Digitized by Google

CONC NAZ
PROV. DIOC
162
B
65.
BIB NAZ NAPOLI
BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
65
NAPOLI

Digitized by Google

SYNODVS
DIOECESANA CAPVTAQVENSIS
ſub
THOMA CARAFA
EPISCOPO

Celebrata Laurini Anno 1649. Die 12. 13. & 14. Decembris.



ROMÆ, Ex Typographia Ludouici Grignani.
Anno Iubilei. MDCL. *Superiorum permiſſu.*

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij Apoſt.

A. Riualdus Viceſg.

EX commiſsione Reuerendiſs. P. Magiſtri S. P. Legi Codicem, cui Titulus, *SYNODVS Diœceſana Caputaquenſis ſub THOMA CARAFA Epiſcopo celebrata*. Et nihil in eo offendi, quod vel ſanæ doctrinæ, vel bonis moribus ſit aduerſum: Immo pro optimo Eccleſiarum regimine, & ſacrorum adminiſtratione tam aptè diſpoſitum, ac doctè elaboratum, inueni, vt digniſſimum cenſeam publici iuris fieri, ac typis excudi. In quorum fidem has litteras ſcripſi Romæ, in noſtris Aedibus S. Andreæ de Valle. Nonis Aprilis 1650.

D. Auguſtinus de Bellis Cler. Reg. S. Theol. Prof. & S. Congregationis Indicis Conſultor.

****

Imprimatur, Fr. Raymundus Capiſuccus Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi Patris Fr. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Prædic.

gnitates, & Canonicos noſtræ Cathedralis, deindè omnes, & ſingulos RR. Abbates, Parochos, tàm Sæculares, quam Regulares curā animarū habentes, Archipresbyteros, Curatos, Præpoſitos, Rectores, Presbyteros, & Clericos beneficia poſſidentes. Nec non RR. Abbates intra fines, & limites noſtræ Diœceſis Eccleſias Parochiales obtinentes, quantumuis ſe exemptos, & nullius eſſe prætendant, & eorum Parochos, & omnes, qui de iure, vel de conſuetudine, & diſpoſitione Canonum, Conc Trident. & Conſtitutionum Summorum Pontificum, conuenire tenentur. Et ſic citando vnica pro trina monitione in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis à iure Statutis ac aliis noſtri arbitrij, &c. mandamus ad eamdem Synodum Statuta die conuenire perſonaliter, quod ſi iuſto impedimento, coram nobis probando fuerint, præpediti, per legitimos procuratores efficiant, quos eoſdem procuratores præcipimus à ſingulis Cleris, ſeorſim à Parocho, bene inſtructos deſtinari, ſub pœnis eiſdem, ſingulique Synodo durante in actionibus incedant, & aſſiſtant nobiſcum, cum decenti babitu ſuperpelliceis, & Parochi cum orarijs, nec diſcedant, niſi peracta Synodo & habita licentia. Et ne durante abſentia Eccleſiæ Rectore careant, alios idoneos, approbatos ſufficiant. Præterea hoc intermedio tempore, in ſingulis Eccleſijs Parochialibus in Dominicis Litaniæ decantentur, & in quinti Ferijs Miſſa de Spiritu Sancto celebretur, & ſi impediantur, ſaltem collectæ fiant ad diuinam opem implorandam, & populis inſinuent deuotas Deo preces in Spiritu humilitatis, & animo contrito iugiter fundere, vt ſuo diuino afflante Spiritu, quæcumque noſtro gregi ſalutaria fuerint, in hac Synodo ſtatuenda ſuggerat. Identidem Parochi plebes ſuas moneant, vt ſi quid ad Dei laudem denunciandum habent, ipſis in ſcriptis deferant. In quorum fidem has præſentes noſtra manu ſubſcriptas, & ſigillo munitas fieri iuſsimus; per ſingula loca noſtræ Diœceſis notificanda, & in primis ſequentibus Dominicis publicanda in frequentia populi, dum Miſſa ſolemnis celebratur. Quæ ſic intimatæ vim, & robur obtineant, non ſecus ac ſingulis ad quos &c. perſonaliter fuiſſent notificatæ. Datum Noui die vltima Octobris 1649.

Thomas Carafa Epiſcopus Caputaquenſis.

Loco Sigilli.

D. Ioannes Baptiſta Letus Synodi Secr.

SYNODVS

Diœceſana Caputaquēnſis incœpta die 12. Decembris Dominica tertia Aduentus.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS THOMAS CARAFA DEI, ET APOST. Sedis gratia Epiſcopus Caputaquenſis, Peſtanus, Velinus, Acropolitanus, & Dominus, ac Baro Montis Luculi. In hac noſtra prima Synodo, ad Dei laudem, eiuſq; cultus reſtaurationem, & Cleri, ac populi eiuſdem Diœceſis diſciplinam, & reformationem, congregata. Sequentes Conſtitutiones de conſilio nobiſcum aſsiſtentium decernimus, & ſancimus.

De Fide Catholica profitenda. Titulus I.

IVSTITIAE fundamentum cùm ſit fides, ſine qua impoſſibile eſt homini Deo placere, & vitam in ſe habere manentem; Iuſtus enim ex fide viuit, & vbi ſana fides deficit, nulla poteſt eſſe Iuſtitia. Per fidem namq; ſancti operati ſunt iuſtitiam, & adepti ſunt repromiſſiones. Meritò igitur hanc noſtram primam Diœceſanam Synodum in Spiritu ſancto congregatam, auſpicantes, ab ipſa Catholicæ fidei profeſſione exordiemur: Quæ in Romana Catholica dumtaxat Eccleſia (extra quam nullus omninò rectè ſentit, nec ſaluari poteſt) ſyncera, & immaculata ſeruatur, vſquè in finem duratura: conſtabilita namq; ſupra firmam petram, nempè in confeſsione Beati Petri Apoſtoli; fundamentalis Eccleſiæ ædificatio temporibus, ſibi inuicem ſuccedentibus, maximorum Pontificum vigilanti ſolicitudine, & pietate, fabricæ faſtigium adeò in ſublime elatum eſt: vt nullæ aduerſus eam hoſtiles nequitiæ moliri, neque portæ inferi valeant præualere. Ad hoc etenim fuit eidem Apoſtolo à Chriſto Domino, teſtatum. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, &c.* Quo circa ſicut omnes corde credimus, ita eamdem vno ore confiteamur, & inhærentes Decretis *Sac. Conc. 1. Niceni, & nouiſſimi Trident. ſeſſ. 25. cap. 2. de reform.* ad præſcriptum formulæ à Pio PP. IV, traditæ: in huius noſtræ Synodicæ actionis vniuerſi profiteamur exordio.

1 Ad huiuſmodi fidei profeſsionem emittendam, non modo aſtrictas declaramus perſonas comprehænſas in decreto; *Sac. Conc. Triden. ſeſſ. 24. cap. 12. de*

refor:

reſor. Nempè Canonicos, & dignitates noſtræ Cathedralis infra duos menſes à die adeptæ poſſeſsionis, capitulariter coram nobis, vel noſtris officialibus, & prouiſos de Eccleſijs, & beneficijs quomodocumq; habentibus curam animarum alias fructus ſuos non facient, nec capta poſſeſsio ſuffragabitur.

2 Verum etiam vigore huius noſtræ Synodalis conſtitutionis, inhærendo veſtigijs noſtrorũ prædeceſſorum, ad ſequentes perſonas ampliamus. Ad prouiſos omnes de beneficijs etiã ſimplicibus, & de iurepatronatus laicorum infra idem tempus. Ad concionatores etiam regulares (niſi conſtet illos coram ſuis ſuperioribus emiſiſſe) admittendos ad prædicandum verbum Dei in hac noſtra Diœceſi. Confeſſarios in ſui muneris aggreſſu. Docentes, & alijs interpretantes Theologiam, Ius Canonicum, & Ciuile, Philoſophiam, Artem medicam, Chirurgiam. Grammaticam, Muſicen, Mathematicam, Geometriam, Aſtrologiam, Arithmeticam, Dialecticen, & quaſuis alias artes, & diſciplinas exercentes, & profitentes, ſub grauibus pœnis pro noſtro arbitrio, & modo culpæ irrogandis; vltra contentas *in conſtit. Pij. IV. incip. Sacroſancta de anno* 1564.

3 Noſtræ inſuper Epiſcopalis Curiæ Officiales (ſi alias non emiſerint) Notarios, Cancellarios, Scribas, Cauſidicos, Aduocatos, & Procuratores, in ingreſſu officij, mancipamus ad eadem emittendam; alias ad officium non admittantur.

4 Porrò ſi ſupra notatæ perſonæ (præter Dignitates Canonicos, & Curatos) legitimo fuerint impedimento per eos probando, præpeditæ. Eãdem fidei profeſsionem per Procuratorem cum ſpeciali mandato, emittere poterunt, vt ſæpè declarauit *Rot. Rom.* maximèq; *in vna Vermien. Canonicatus* 13. *Iunij* 1608.

5 Græci verò, ſi quos in hanc noſtrã Diœceſim peruenire, & commorari contigerit, alia vtentur formula à Sanctiſſimo Domino *Gregor. XIII.* St. tuta.

6 Regulares etiam Curatos Sæcularium animarum curam habentes, ad huiuſmodi profeſsionem, etiam ſi a ſuis ſuperioribus ad illam curam præficiantur, præuio tamen noſtro examine, & approbatione, vt inferius dicetur, comprehendimus.

7 Vt autem de prædictis exactè notitia habeatur, num inuiolatè ſeruentur, & contra tranſgreſſores inquiri poſſit. Præcipimus Curatis, & Vicarijs foraneis noſtræ iuriſdictionis, inuigilare, vt ſi quos ex prædictis obſtrictis vltra tempus præfixum differre internoſcant, noſtræ Curiæ quantocius ſignificare, non omittant.

8 Atquè vt in caſu probationis veritas eluceſcat: Notarij noſtræ Curiæ codicem ad huiuſmodi profeſsiones regiſtrandas deſtinatum habeant.

De Hæreticis profligandis. Tit. II.

IN hac orthodoxæ fidei, ſublimi arce conſtituti ſpeculatores, quia cum vaferrimo humani generis hoſte, & tenebrarum Principe colluctationem habemus, ſemper vigilante, & inſidias, ac verſutias machinante, & qui non modo per carnis concupiſcentias, & mundi illecebras; ſed inter ipſa quoquè ſincera fidei

ſemina

ſemina ſpargens zizania falſitatum, veritatis ſtudet violare culturam, vt quos prauis actibus corrumpere non potuerit, impijs ſaltem ſubuertat erroribus. Vndè inter plurima, quæ Chriſtianum adoriuntur, & deuaſtant genus perniciosa ſcælera; Hæreſis peſtilentiſſimum eſt contagium, ſe latè diffundens, acutius penetrans, tenacius inhærens, & obinde difficilis curationis, namquè, vt ait Apoſtolus, tamq; immedicabilis cancer per totam animam ſerpit. Id propterea indefeſsè excubare debemus, huiuſmodi perniciosas tabes; ex Dominico ouili, mordicus arcere. E quamuis ſingulari Dei prouidentia ab vniuerſa noſtra Diœceſi, tam praui ſcæleris patratores, hucuſq; abſuerint, & in poſterum abfuturos ſperemus: nulla enim vigent in ea Hæreſes, & falſa dogmata. Nè tamen Diabolo aliunde fortaſſe adnectante, inſurgant, & Vineam Domini Sabaoth noſtræ cuſtodiæ commiſſam, vt vulpes demoliantur, & gregem concreditum, ceu lupi in veſtimentis ouium adoriantur, cautelis ſequentibus præcauendum ſtatuimus.

1 Vniuerſis, & ſingulis, tam Eccleſiaſticis, quàm laicis, quauis dignitate fulgentibus, in hac noſtra Diœceſi exiſtentibus; etiam regularibus quantumuis exẽptis, ſub pœna excõmunicationis latæ ſentẽtiæ diſtrictè præcipimus, vt ſi quempiam ſciuerint alicuius hæreſis nota ſuſpectum, aut quouis modo ab orthodoxa fide aberrantem; de articulis fidei perperam ſentientem; ſenſum contrarium, Concilijs, & Apoſtolicis conſtitutionibus habentem: Verba hæreticalia proferentem, vel Hæreticorum more viuentem, aut eorumdem ſectatorem, fautorem, aut defenſorem ſe profitentem, omni mora poſtpoſita, ad nos deferant. Pollicentes eaſdem reuelationes, delationes, & denunciationes, noſmetipſos ſub inuiolabilis ſecreti ſigillo tectum ire. Atq; vt decretum huiuſmodi omnibus innoteſcat: iniungimus, Parochis, vt in primis Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ intermiſſarum ſolemnia, ſuis plebibus euulgent, ſub pœna ſuſpenſionis.

2 Vltra Hæreticorum formalium denunciationem, vt ſupra: Adiungimus ſub eadem pœna illos deferendos, quos in aliquod crimen, & delictum ſpectans ad Tribunal ſancti Officij ſupremæ Inquiſitionis, lapſos ſciuerint.

3 Inſuper impium, & deteſtabile ſcælus quorumdam perditorum hominum, qui vt impuri ſicophantæ per falſa ſcommata, vt alijs aſſententur, & per iocum verba, & ſententias ſacræ Scripturæ ad contrarium ſenſum, & vſum, atq; à Spiritu Sancto dictata, & ab Eccleſia Catholica recepta ſunt, detorquent, funditus eradicare cupientes. Prohibemus ſub interminatione diuini iudicij illa ore proferre, vel ſcripto vſurpare, & ad iocum, contumeliam, impietatem, ſuperſtitionem, fabulas, aſſentationem, detractionem, libellos famoſos, ſortes, percantationes, etiam ſub ſpecie pietatis, & ad quoſuis profanos vſus, & intellectus, iuxtà *Trident. ſeſſ. 4. cap. 2.*

4 Præterea ſi quando problemata, & axiomata, propoſitiones, ſiue Theſes, quas concluſiones appellant ſuper Theologia, philoſophia, iure Canonico, & quauis alia facultate proponendæ, ſiue ſuſtentandæ, & diſputandæ ſint, etiam à regularibus. Nullatenus etiam ſcripto tantum euulgari, & proponi præcipimus

B mus

mus, niſi prius noſtro iuſſu recognita, & examinata permittantur, alias ſeuerum noſtrum iudicium experientur.

5 Idcircò numquam imperitis, maximéq; laicis, qui in Sacra Theologia, & diuinis litteris non ſunt profeſſi; de myſterijs aſſerere, neque cum Hæreticis diſputare liceat, ſine ſpeciali facultate, & licentia, quæ peritis tantum concedetur.

De librorum prohibitorum vſu, & lectione. Titulus III.

SI Apoſtolo atteſtante, bonos corrumpunt mores colloquia mala, quanto magis libri prohibiti, quibus cum lectores diù colloquuntur, non mores tantù, ſed ipſam apti erunt corrumpere fidem? Plures enim extant libri peſtiferi, quamuis melle in ſuperficie conditi, & in quibus molliti ſunt ſermones ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula, quæ animas confodiunt. Nullumque venenatius poculum ad Hæreſim ebibendam Diabolus propinare ſolet, nec magis corrumpentia zizania in medio tritici ſeminare, quæ facilius Hæreſim in Catholicos germinare, & producere poſſint; quam Hæreticorum libros, de hæreſi, & de rebus falſi dogmatis, ſuperſtitioſis, & obſcenis tractantes, & quos iamdudum catholica Eccleſia damnauit, & legi, ac retineri prohibuit. Vt igitur puris mentibus innoteſcat, non à cœleſti officina, ſed à Tartareis Typis excuſos Hæreticorum, & laſciuorum hominum prodire libros, qui animas turpiſſimis aſpergunt maculis, & exitiali tabe inficiunt, ſequens antidotum parari decernimus.

1 Primo ad internoſcendum ſicubi tales pernicioſi libri exiſtant: omnibus, & ſingulis curam animarum habentibus diſtrictè præcipimus, & mandamus, quatenus infra bimeſtre ſpatium poſt huius noſtræ Synodi diuulgationem, tribus diebus feſtiuis inter miſſarum ſolemnia, populos ſibi commiſſos moneant nomine noſtro, vt ſeruata forma Synodi Epiſcopi de Matta anni 1617. ſub pœna excommunicationis infra quindecim dies ſequentes, ſinguli tàm Eccleſiaſtici, quam laici, penes ipſos curatos exhibere debeant, & habeant indicem, ſiue notam omnium, & quorumcumque librorum impreſſorum, vel nondum impreſſorum, quamuis catholicorum, & vulgatorum, & de quacumque re, & ſcientia, tam Eccleſiaſtica, quam profana tractantium, quos penes ſe habeant, & parochi ipſi eaſdem notas receptas ad nos ſtatim deferre teneantur, ſub pœna ducatorum viginti ab eiſdem Curatis negligentibus, incurrenda. Et vt melius decretum omnibus innoteſcat, poſt diuulgationem, illius copia in valuis cuiuſcumque parochialis affigatur.

2 Porrò vt omnes de libris legi, & retineri prohibitis notitiam habeant, monemus omnes, qui librorum ſuppellectilem retinere delectantur, ſibi emere Indicem nouiſſimum librorum prohibitorum, cum additione edictorum ſucceſſiuè vſque ad præſens promulgatorum de ordine Sac. Congreg. Indicis, ac Magiſtri Sacri Palatij

tij Apoſtolici: vt cenſuras, & pœnas inflictas in Regulis eiuſdem Indicis contra legentes, & retinentes, euadere poſſint.

3 Sciantq; vniuerſi, quòd legentes, vel retinentes libros quoſcumque de quacumque materia tractantes compoſitos ab Hæreticis ab Eccleſia damnatis, vel alios libros non ab Hæreticis, ſed de Hæreſi, vel falſa religione tractantes, in excommunicationem quoque contentam in Bulla Cœnæ Domini incurrunt. Licentias quaſcumque legendi, & retinendi libros prohibitos ex quouis capite reuocauit Gregorius XV. de anno 1622. in Conſtit. incip. *Apoſtolatus*. facultatemque concedendi ſoli Congregat. Sancti Officij ſupremæ Inquiſitionis, reſeruauit.

De Maleficijs, & Superſtitionibus:
Titulus IV.

HVmani generis infenſiſſimus hoſtis æternus: Proditor inquam Angelus ille, qui propriæ eminentis naturæ tumidus; principatum in Cœlis ambiens, ſolium ſuper aſtra eleuare, & altiſſimo ſe æquare præſumpſit Conceſſis meritò pulſus honoribus; ardentibus hucuſq; exagitatus inuidiæ ſtimulis; non ſolum de Cœlo pellere nititur, quos Deus aduocauit. ſed in ſua elatione peruicax, diuinitatis quoque vmbram, non ceſſat quotidie ſuperbus affectare. Habens huic operi ſeruientes ſibi miniſtros, ſuperſtitioſos ſcilicet quoſdam magos appellatos, quos á catholica fide apoſtatas, ſuæ mancipat ſeruituti, & damnationis participat æternæ: Quamdam illis in ſeruitutis ſtipendium præſtigioſam poteſtatem in ambigua prædictione futurorum, & falſa curatione morborum, tribuendo. Hinc itaquè in mundum inuexit monſtruoſa illa pertenta, ex pacto cum illis fœderato, ad formandas ligaturas, maleficia, faſcinationes, dementationes, infrigidationes, & præter naturam medelas, quas ipſa medicina non nouit: ægritudines quoque, & languores humanis corporibus inducendo, quos ars ſanare non valet; niſi adhibitis ab eiſdem præcantationibus, caracteribus, verbis, & rebus ad hoc virtutem, & facultatem naturalem non habentibus. Vt ergo infernalem iſtam Tyrannidem, & impiam Idololatriá de medio iuſtorum expugnare, & eliminare poſſimus; ſequentia ſtatuimus.

1 Primum inhærendo decretis præteritarum Synodorum ſub hoc titulo, & Conſtit. Gregorij XV. incip. *Omnipotentis*, &c. declaramus omnes, & ſingulos vtentes huiuſmodi incantationibus, maleficijs, Phyltris, ligaturis, & artibus quibuſcumque morbos, & languores inducentibus, vel etiam depellentibus à corporibus humanis; figuram, & conditionem mutantibus: mari, aeri, tempeſtati, ventiſque imperantibus, etiam ſi id falſa ſpecie pietatis efficere ſe iactent. Nec pro tali poteſtate aſſequenda, cum Dæmone ipſo pacta, & fœdera tacitè, vel expreſsè etiam per interpoſitas perſonas facientes. Quos vè inſana futurorum præcognitione, & prædictione euentuum contingentium, furto ſubtractarum rerum denunciatio-

ne,

ne, Theſaurorum abſconditorum inuentione, ſortibus, vel interpretatione ſomniorum, talia diabolica opera profiteri contigerit. Ipſo facto, ipſoque iure in pœnam excommunicationis, & maledictionis æternæ incurrere, & poſt mortem cremandos in igne, qui paratus eſt Diabolo, & huiuſmodi cooperatoribus Angelis eſſe eius, & hoc in foro interiori. Nam ſi in foro exteriori de hoc peſſimo crimine aliquos conuictum iri contigerit, alijs ſe ſciant atrocioribus, etiam mortis naturalis, in Tribunali Sancti Officij ſupremæ Inquiſitionis, pœnis coercendos, iuxtà relatam Conſtit. Gregorij X V. Nec non antiquorum Sacrorum Canonum, & etiam legum ciuilium, diſpoſitionem.

2 Et quia tales pernicioſi homines nulla ſunt humana affectione cælandi, aut conniuentia tergiuerſandi, nè in ſua damnatione perſiſtant. Idcircò mandamus omnibus, tam laicis, quam Eccleſiaſticis ſæcularibus, & regularibus vtriuſquè ſexus ſcientibus aliquos huiuſmodi crimine nequiſſimo inquinatos, ad nos, vel Vicarium noſtrorum, quauis mora poſtpoſita deferre, & denunciare, ſub eadem pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. Et hoc decretum à Parochis publicetur populo bis in anno, nempè feria 4. cinerum, & in Dominica Palmarum, ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs arbitrarijs.

3 Rurſus ſub eadem pœna excommunicationis eo ipſo incurrenda, prohibemus, & omnino interdicimus, recurri per ſe, vel per alios ad conſilia, vel remedia poſtulanda à Magis, Veneficis, Lamijs, ſtrigis, Ariolis, diuinatoribus, ſortilegis, & ſimilibus perditis hominibus, & mulierculis, ſe huiuſmodi infernalem artem habere iactantibus, tam ad finem nocendi alijs, quam pro requirendis medelis ad ægritudines, dolores, & maleficia, facturas, & ligaturas; Vel ad ſciſcitandum num aliqua perſona ſit maleficiata, ligata, ſpiritibus immundis obſeſſa, &c. Iniungentes omnibus ſcientibus aliquos, vt ſupra recurriſſe, eoſdem noſtræ Curiæ ſub eadem pœna anathematis, denunciare.

4 Et quoniam in medendis hoc modo ægritudinibus, & vulneribus, ac alijs humani corporis affectibus, vt plurimum mulierculæ quædam ſe exercent, plerumq; adhibendo ſacra verba, & orationes, vt obinde ſub ſpecie pietatis, & deuotionis id permiſſum ſibi eſſe perſuadeant. Quod perinde, ac à Diabolo ſuggeſtum, neutiquè tolerandum eſt, nam verba illa ad contrarium ſenſum detorta, quam ab Eccleſia recepta fuerunt, eſſe noſcuntur, & ſuperſtitio ſæpè ſolet eſſe pietatis falſa imitatrix: non enim aliter Diabolus poſſet ſimplices decipere. Hoc idipſum Parochi abolere curabunt efficacibus monitis, & ſi quando orationibus aliquod aliud ſuperſtitioſum adhiberi, comperiant; ad nos ſub interminatione diuini Iudicij deferant.

5 Præter ſupradicta, ſpecificè declaramus incurrere in excommunicationem, ligantes ſponſos, & eoſdem reddentes inhabiles ad copulam; vel è conuerſo eoſdem ſic inhabiles, & ligatos ſoluentes per maleficia, verba ſuperſtitioſa, & inſtrumenta malefica diſſoluentes: Nec non tali modo indirecto ſolutiones, & liberationes procurantes.

6 Inhærendo quoquè *conſtit. Sixti V. incip. Cæli, & terræ &c. de anno* 1585.

die 5. *Ianuarij* æditam: Prohibemus ſub pœnis in illa contentis, & alijs à noſtro arbitrio irrogandis, quibuſcumq; perſonis vti, & profiteri Aſtrologiam Iudiciariam, natiuitates, vt aiunt, efformando, & de futuris contingentibus, ſucceſſibus, & actionibus, ab humana voluntate non dependentibus, aliquid pro certo affirmando, & etiam; ſi non affirment, pro certo tamen affeuerando, & præſagiendo, aliaq; exercendo, quæ ſigilla'im in eadem *conſtit. Sixti V. & nouiſsimè in alia Vrbani .VIII. de anno* 1631. *die primo Aprilis incip. Inſcrutabilis. &c. prohibetur.*

7 Vnde ſingulis inſinuamus prohibitos eſſe in Indice librorum *prohibit: reg.* 9. omnes, & quoſcumq, libros, tractatus, & opera de Aſtrologiâ Iudiciariâ tractantes, qui de ſupradictis futuris contingentibus, ſucceſſibus, & fortuitis affirmare docent; cum in omnibus, Aſtrologia ipſa diuinatris, ſiue Iudiciaria ſit prohibita: niſi in caſibus exceptis in citata *conſtit.* Sixti V. nempè ad vſum iuuandæ nauigationis, agriculturæ, & artis medicæ, per naturales obſeruationes, & pari modo prohibitos eſſe libros conſimiles Geomantiæ, Hidromantiæ, Acromantiæ Piromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ Necromantiæ &c. Quos qui habuerit, vel alios habere ſciuerit, ad nos ſub pœna excomunicationis referat.

8 Monemus quoquè omnes, qualiter in eadem *conſtit.* prohibentur ſpeciatim quædam ſuperſtitioſæ vulgi obſeruationes, in ſuſceptione alicuius negotij conficiendi, itineris aggrediendi, vel aliud quoduis peragendi, cum obſeruatione dierum, & horarum, vocum animalium, volatus, & garritus auium, ſomniorum, & aliorum conſimilium auguriorum, cum ridiculis interpretationibus. Quæ omnia à mentibus fidelium cenfeſſarij alienare procurent.

9 Demum quia hac infernali lue plerumq; inquinatæ eſſe ſolent perſonæ rudes, & vt diximus ſignanter vetulæ quædam. Idcircò diſtrictè præcipimus confeſſarijs, vt ſi quando tales deprehenderint: Illos diſtrictè moneant, hoc eſſe Diabolicum inuentum, ad illaquendas animas, & quantum periculoſa ſit ſocietas, & infida, ac perniciòſa familiaritas cum Dæmone, & maximè decere Chriſtianos pretioſo Chriſti ſanguine redemptos nullam habere communicationem ad Belial, illos quoquè certiores reddant de grauibus cenſuris, & pœnis contra huiuſmodi profeſſores à ſacris Canonibus inflictis. Illudquè, præter alia exempla mirabile *in lib.* 4. *regum cap.* 1. de Rege Ochozia, qui dum in læui infirmitate ab Idolis conſilium, & auxilium exquirere vellet, in vtramq; mortem animæ, & corporis incidit inſinuent; forſan talibus monitis, hi nequiſſimi homines ſuam impietatem abnegantes, reſipiſcant.

18 Immanem quoq; abuſum adhibendi ſacros liquores Sacramentalium ad vngenda corpora ægrotorum, pro varijs morbis, ſub ſpecie deuotionis, curandis; & ſignanter pro collirijs oculorum; tamquam ſacrilegum, & omnino contrarium vſui Eccleſiæ, ſub incurſu anathematis ipſo facto, prohibemus.

11 Interdicimus quoq; vſum deferendi Breuia (vt vocant) deſcipta in membranis, & paginis, in quibus plerumq; ſunt admixtæ orationes, verba, & caracteres prohibiti, & ſuperſtitioſi.

12 Item aſportationes deſuper reliquiarum, non paſſim fiant, cum illorum

pro-

proprius locus ſit Eccleſia; ſi tamen quis ſecum aſportare cupiat cauſa deuotionis, niſi ſint benè probatæ, & recognitæ, id non efficiat, ſub pœna arbitrij.

13 Prætetea prohibemus vſum adhibendi res benedictas, nempè candelas, palmas, incenſum thimiamata, aquam luſtralem, & ſimilia ad alios vſus, quam catholica vſurpauit Eccleſia, maximè ad quoſdam morbos curandos, & plerumquè pro animalibus irrationalibus, cum admixtione multarum actionum ſuperſtitioſarum.

De Blaſphemis, & Maledicis.
Titulus V.

CVm omni tempore, in omniquè lege nefarium, & deteſtabile Blaſphemiæ ſcælus, Diabolo præcentore introductum, vt hic ſocios incipiat habere criminis, quos in æternum poſsideat pœnarum conſortes; damnatum, pariterq; vltum ſit. Decet enim contra ſacrilegos tales, non manu, ſed lingua Chriſtum iugiter crucifigentes, inſurgere iura diuina, & humana, ac leges armari; pro exequutione illius tremendæ diuinæ ſententiæ *Leuitici c.24. Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus eum opprimet multitudo populi, &c.* Vt huius igitur tanti ſcæleris ſimus vltores, & tam immane ſacrilegium impiorum hominum, qui linguas acuendo ſicut ſerpentes, execrabile virus Blaſphemiarum in Deum, matremq; eius, ac ſanctos euomere, non abhorrent, pro noſtra virili de medio tollere, & vſu abolere curemus, contra ipſos Blaſphemos procedemus, & procedi mandamus per noſtros officiales iuxta *conſtit. Gregor. 9.* Leonis X. *in concil. Lateranen. ſeſſ. 9.* & nouiſsimè Pij V. de anno 1566. die primo Aprilis *Incip. Cum primum, &c.*

1 Vltra pœnam cœnſuræ inflictæ in foro conſcientiæ: Pro pœnis irrogandis in foro iudiciario, ſequentia ſtatuimus, ex eadem *conſtit.* Pij V. Blaſphemus ſi ſit clericus beneficiatus, etiam in ſacris, pro prima vice inquiſitionis priuetur fructibus beneficiorum, ſeu obuentionum Eccleſiaſticarum, & portionis fructuum, quos percipit ab Eccleſia pro vno anno. Pro ſecunda vice, priuetur ipſis beneficijs. Tertia vice omnibus dignitatibus exutus deponetur, & in exilium ad tempus arbitrarium mittetur. Sin autem nullum obtineat beneficium, vel Eccleſiaſticum præſtimonium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice punietur. Pro ſecunda carceribus mancipetur. Pro tertia verbaliter degradatus ad triremes mittetur, & hoc ſtatutum intelligatur contra Blaſphemantes Deum, & Beatam Virginem eius matrem. Nam pro blaſphemantibus Sanctos, pænas imponendas, pro modo culpæ, noſtro arbitrio reſeruamus. Vices autem ſupra poſitas, non intelligimus pro multiplicatione numeri blaſphemiarum, ſed deductionis in Iudicium, & inquiſicionis contra aliquem ita delinquentem.

2 Quando autem Blaſphemus fuerit laicus, de hoc peſsimo crimine conuictus, non ſolum iuxtà Sacros Canones ad coerctionem linguæ in cataſta lignea coactādā, & ſic permanendo ante fores Eccleſiæ, cum candela accenſa genuflexum, dum ſolemnis Miſſa celebratur, procedemus. Sed quoquè ſi grauitas delicti expoſcat, grauioribus pœnis, & ſupplicijs in laicalibus ſanctionibus inflictis, vti non dedignabimur, ac interdum mulctis pecuniarijs taxatis in eadem Conſtit. Pij V.

3 Porrò, vt huic perniciosæ lui remedium aliquod afferamus. Præcipimus in locis noſtræ Diœceſis, vbi non fuerit erecta confraternitas Sanctiſsimi Nominis Dei, in Eccleſijs ſæcularibus, vel regularibus, quam primum erigendam à Parochis procurari, cum aſſecutione indulgentiarū, *iuxta Conſtit. Pij V. de anno* 1564. *die primo Aprilis incip. Cum primum, &c.* ſupra citatam, & aliam incip. *Saluatoris, & Domini, &c.* in eodem anno die 13. Aprilis, & in ea præcipuum ſit inſtitutum ad prauas Blaſphemiarum conſuetudines abolendas. Sin verò ſit inibi monaſterium regularium, maximeq; ordinis Prædicatorum, in quo talis confraternitas ſit erecta, ibidem hoc laudabile opus peragatur.

4 Quando verò Blaſphemiæ aliquod hæreticæ prauitatis ad mixtum habuerint, volumus per noſtros officiales contra delinquentes, tamquam de hæreſi ſuſpectos procedi; & huiuſmodi blaſphemi ſunt, vt diximus, ex debito, denunciandi.

5 Et quoniam plerumque huius delicti inquiſitio ad iudicia laicalia deducitur, ſub prætextu quòd ſit mixti fori: tali caſu contingente, eoſdem iudices monemus, vt Dei zelo commoueantur tam execrabile ſcælus exterminare, agnoſcentes ſe vindices eſſe debere honoris diuini, & contumeliæ illius, quæ in ciuilis reipublicæ dedecus vergit. Quidquid enim in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.

6 Blaſphemiæ inſuper ſolet eſſe affinis famoſorum libellorum affixio, fabricatio, & publicatio, ex quibus in dies grauia emergunt ſcandala. Vnde volentes huic malo, quantum in nobis eſt occurrere, ſingulos huiuſmodi libellorum compoſitores, ſcriptores, euulgatores, & affixores, nec non talia iubentes, in excommunicationis pœnam declaramus incurrere ipſo facto.

7 Ad hanc materiam annectere libet quæſtionem inter ſimplices confeſſarios controuerſam, & quæ noſtras crebrò pulſauit aures. Per quotam vicem Blaſphemus intelligatur conſuetudinarius, & obinde incurriſſe in cenſuram iuxta Conſtitutiones Synodales. Ad cuius articuli reſolutionem dicimus, quòd licet Doctores hoc omne remittant arbitrio iudicantis; tamen videmus aliquam normam; declaramus Blaſphemantes Deum, vel Beatam Virginem eius matrem, etiam ſemel, ob atrocitatem delicti, cenſeri conſuetudinarium, quoad cenſuram incurrendam. Circa Blaſphemantes reliquos ſanctos, ſi Blaſphemus ſit confeſſus, & infra menſem poſt confeſſionem tribus vicibus blaſphemauerit, dicetur conſuetudinarius: Sin verò confeſſio fuerit per plures menſes, vel per annum, non dicetur conſuetudinarius, niſi poſt decimam vicem, & hoc erit, quando contigerit coram teſtibus ſaltem duobus, intelligendo de vice interpolata, non continua eodem tempore Blaſphemiarum, & hos terminos præſcribimus ad internoſcendam frequentiā.

De

De Cultu, & obſeruatione Feſtorum.
Titulus VI.

GRauiſſimum in diuina lege feſtorum dierum ſanctificatio, & obſeruatio præceptum eſt, in prima Decalogicæ legis tabula deſcriptum, cuius transgreſſio, vt diuinæ paſſim teſtantur litteræ, ſemper fuit ſæueriſſimè vindicata. Tremendum adducitur exemplum *lib. numeri cap.* 15. de homine illo colligente ligna die Sabbati, Dei oraculo ad mortem damnato in illis verbis. *Moriatur homo iſte: obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra, &c.* Si igitur inobſeruantia, & execratio feſtorum diuinam vltionem adeò laceſſire noſcuntur. & nihilominus ob auaritiam, & terrenum lucrum ferè vniuerſi varias excuſationes, & cauſas neceſſitatis, pietatis, & vtilitatis prætexentes. paſſim diebus Dominicis, & feſtis de præcepto ſeruandis, quodcumq; opus ſeruile, & manuale exercere non verentur, vt inter feſtos, & nefaſtos dies nihil intereſſe videatur. Id propterea vehementibus, corrupta iſta conſuetudo, vltionibus, eſt extirpanda.

1 Quo circà, vt quieſcere faciamus omnes feſtos Dei à terra, diſtrictè præcipiendo mandamus noſtris Vicarijs foraneis, & in eorum defectu Parochis, vt edicta ſuper hoc emanata obſeruari faciant, iuxta regulas, & inſtructiones in appendice præteritæ Synodi deſcriptas. Alioquin ipſi talia non curantes, & conniuentes pœnis eiſdem contra traſgreſſores impoſitis, ſubiacebunt; & ne ignorantiæ cauſſa allegari poſſit: idem edictum ſaltem in feſtis primæ claſſis populo inter Miſſarum ſolemnia publicetur, ſub alijs pœnis noſtro arbitrio reſeruatis.

2 Mulctæ à tranſgreſſoribus exigendæ taxatæ in præterita Synodo ſub hoc titulo, applicandæ erunt in ſubſidium pauperum, vel ad pios vſus auctoritate noſtra, vel noſtræ Curiæ, non ab ipſis foraneis, *vt decreuit Congr. Epiſc. die* 25. *Maij* 1590.

3 Cauti ſint Vicarij, ad quos ſpectat licentias in caſibus permiſſis concedere, omnino ſeruare in huiuſmodi conceſſione inſtructiones ſupra citatas, quouis humano affectu, reuerentia, timore, vel complacentia poſthabitis; alioquin tamquam tranſgreſſionis participes incurrent ob malam conceſſionem, in pœnam ducatorum trium, quorum tertia pars denuncianti applicabitur, & hoc in qualibet vice.

4 Eamdemq; pœnam incurrant, ſi videndo aliquas perſonas, ſine licentia, laborantes, conquieſcant, & conniuentes informationem non capiant, nec pœnam exigant.

5 Pro licentia concedenda nihil, etiam ſpontè oblatum, recipiant, ſub pœna carceris arbitrariæ, & reſtitutionis dupli; & ſi quid ob aliquod opus neceſſariò exercendum, veluti in meſſe vindemia, ſatione, piſcatione, &c. eleemoſynæ in beneficium alicuius Eccleſiæ fabricæ, & ſimilibus fieri velit; hoc non fiat per modum paciſcendæ compoſitionis, ſed ſimpliciter exortando, vt eadem Sac. Congregat.

ſupra

ſupra relata decreuit. De qua eleemoſyna, nullam ſibi partem, licet minimam, ipſi Vicarij vindicent, ſub pœnis ſupra relatis.

6 Caueant igitur à Symoniaca compoſitione paciſcendi cum laborantibus in diebus Feſtis, maximeq; cum molitoribus, tonſoribus, laniſtis, foſſoribus, Aratoribus, & alijs artes mechanicas exercentibus, vt impunè laborare poſſint, ſoluta aliqua inter eos pacta mercede. Nam pro huiuſmodi nefarijs pactionibus Vicarij ipſi delinquentes in pœnam ducatorum quinquaginta, pro vice qualibet incurrent.

7 Vt què foranei ipſi melius inuigilare poſſint, & ſciſcitari feſtorum tranſgreſſores: ſibi aſſocient aliquot Clericos, qui ceu excubatores. & vigiles diſcurrant explorando per territoria, & agros, ſicubi inueniant laborantes. Quòd ſi Clerici vocati, obedire, & aſſociare detractauerint, pœnam caroleni vnius pro qualibet vice renitentiæ incurrant, aſſociantibus verò tertia pars pœnæ exigendæ, cum noſtra licentia, aſſignabitur.

8 Non liceat foraneis ipſis mulctas, & pœnas propria auctoritate in toto, vel in parte ſibi appropriare, vel locis pijs, vt ſupra dictum eſt, ſed eaſdem pœnas exigant iuxta taxam in ſynodo præterita, & edicto deſcriptam, quam nec augere, nec minuere poſſint: & tertio quoquè menſe ad noſtram curiam deferant notam in ſcriptis talium pœnarum, vt fieri poſſit applicatio, alioqui non deferentes, vltra pœnam dupli, aliam quoq; carceris arbitrarij ſubibunt.

9 Circa nundinas in hac Diœceſi fieri cõſuetas quibuſdam diebus feſtiuis, quæ vulgo appellantur perdonanze: vltra decreta in præterita Synodo. Hæc inſuper ſeruanda præcipimus. Primò quod merces venales exponantur extra atrium, ſiue veſtibulum, cæmeterium, & ambitum murorum illius Eccleſiæ. Secundo vendātur celelebrat a Miſſa feſti, vt habetur in decreto Sac. Congræg. in eadem Synodo relato. Hoc tamen omne permittimus ad noſtrum beneplacitum, ita vt nullo modo per tolerantiam conſuetudo præſcribere poſſit, quin pro noſtro libito nundinas ipſas prohibere nequeamus, vt in facti contingentia reſcripſit Sac Congrg. Epiſcopi licuiſſe Archiepiſcopo Neapolitano prohibere nundinas, ſiue mercatus, qui de antiqua conſuetudine celebrantur in eadē Ciuitate in feſtiuitatibus Sanctæ Mariæ Annunciatæ, & Spiritus Sancti, cum à decreto eiuſdem Archiepiſcopi prohibentis à magiſtris dictarum Eccleſiarum recurſus eſſet habitus ad eamdem Sacram Congregationem.

10 Quocirca nos, inhærendo eiſdem decretis, prohibemus non ſolum fieri eaſdem nundinas in atrijs, & Cœmeterijs Eccleſiarum, & ante Miſſam. Sed quoque mādamus apothecas, & lignamina illarum nullo modo inniti, & affigi muris ipſis, & omnia venalia, & merces exponantur eminus ab Eccleſia, ne diuina turbentur, & ingreſſus Eccleſiæ præcludatur: ſub pœna amiſsionis ipſarum mercium, & in ſubſidiū excommunicationis, & hoc decretum denuncietur, & copia illius in tempore, & loco nundinarum affigatur, illiuſque obſeruantia à foraneis procuretur.

11 Pro Nundinis verò publicis, ferijs appellatis, quæ plurium dierum circulo haberi ſolent; in feſtis de præcepto inter illas cadentibus, mandamus ſeruari decretum Sac. Congreg. *in vna Bcrauaten. die 9. Decembris 1600. in hac verba*

Præce

Præceptum de Dominicis, & feſtiuis diebus ſanctificandis, & obſeruandis, ſub prætextu mercatuum, nundinarum, & feriarum, eſt ſeruandum, nullateuuſq; violandum. Ceterum his diebus licere Agaſonibus, & alijs iumentorum vectoribus, ſeù mercium conductoribus, baiulis, & alijs huiuſmodi ſeruientibus, & miniſtris ſarcinas, & onera, nundinarum causâ, exonerare, & deponere, inceptumq; iter, Miſſa tamen prius audita, tranſeundo proſequi, & continuare. Non autem debere ſarcinas componere, & iumenta onerare ad iter de nouo incipiẽdum: Neque mercatoribus, aut alijs ciuibus, & viatoribus, ijs diebus, etiam clauſis Apotecis, merces vendere, emere, aut aſportare, licere, niſi tantum ad victum neceſſaria, aut alia minuſcula, & modici momenti: Opera iam cõflata, & elaborata pro tranſeuntium hoſpitum, & aduenarum vrgenti, & præſentanea neceſſitate, & opportunitate: In quo partes erunt Epiſcopi, propoſitis edictis prouidere, vt in primis hi feſti dies debitâ obſeruatione colantur: Quoad iudicia autem, quæ Dominicis, & feſtis diebus ſilere debent, id obſeruari poterit, quod iure communi permittitur in quibuſdam vrgentibus caſibus, qui morã, & dilationem non patiuntur: in quibus, & alijs iuriſdictionem conſulum Nundinis præpoſitorum concernentibus, Conſtitutiones, & Summorum Pontificum, ſi qua habent Priuilegia, & Breue Pij V. de anno 1566. quod incipit; *Cùm primum Apoſtolatus, &c.* ſeruanda eſſe ſtatuit.

12 Regulares poterunt in ſuis Eccleſijs inter Miſſarum ſolemnia publicare populo dies feſtos, & ieiunia, vt decreuit *Sac. Congreg. Conc. die 2. Iunij 1620.*

13 Ipſiq; regulares tenentur ſeruare, & à ſuis familiaribus, & ſeruientibus ſeruari facere feſta de præcepto à nobis indicta, & inſuper tenentur publicare, & ſeruare cenſuras, & interdicta à noſtra curia impoſita, & promulgata, iuxta *Trid. Seſſ. 25. cap. 12. de regul.*

14 Itemq; ſeruare feſta, & celebrare officium Patroni proprij alicuius loci, ſiuè Oppidi, vt ſuo loco dicetur.

15 Præcipimus Parochis, & animarum curatoribus iugiter monere ſub pœna retardandæ abſolutionis patres, & matres familias, maximèq; nobiles, vt ſuas filias, puellas, ſecum in Eccleſijs ad diuina auſcultanda perducant, & ſic etiam ſuos famulos, & ancillas ad eaſdem mittant, & Sacramenta frequentare faciant, & iubeant, diebuſq; feſtis à ſeruili opere ceſſare permittant, ne peccatum illorum, ſibiipſis Dominis imputetur.

16 Et quoniam poſt publicatum Calendariũ feſtorum in præcedenti Synodo ab Vrbano PP. VIII. fuit facta correctio ipſius Calendarij circa feſta ſeruanda de præcepto, vel ex ſola deuotione; ideò illud ſic correctum infrà apponimus.

Tabella Feſtorum de præcepto vniuerſali ſeruandorum iuxta conſtitutionem Vrbani PP. VIII. quæ incipit: *Vniuerſa*; de Anno 1642. die 13. Septembris.

IANVARIVS.

1 Circumciſio D. N. Ieſu Chriſti.
6 Epiphania eiuſdem.

FEBRVARIVS.

2 Purificatio B. M. V.
24 Matthiæ Apoſt.

MARTIVS.

19 Ioſeph Conf. Sponſi B. M. V.
25 Annunciatio B. M. V.

APRILIS vacat.

MAIVS.

1 Philippi Iacobi Apoſt.
3 Inuentio S. Crucis.

IVNIVS.

24 Nat. S. Ioannis Baptiſtæ.
29 Petri, & Pauli Apoſt.

IVLIVS.

25 Iacobi Apoſtoli.
26 Annæ Matris B. Virg.

AVGVSTVS.

10 Laurentij Martyris.
15 Aſſumptio B. M. Virg.
25 Bartholomæi Apoſt.

SEPTEMBER.

8 Natiuitas B. M. Virg.
19 Ianuarij Martyris principalis Patroni Regni Neap.
21 Matthæi Apoſtoli.
29 Dedicatio S. Michaëlis Archang.

OCTOBER.

28 Simonis, & Iudæ Apoſt.

NOVEMBER.

1 Omnium Sanctorum.
30 Andreæ Apoſt.

DECEMBER.

21 Thomæ Apoſt.
25 Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti.
26 Stephani Protomartyris.
27 Ioannis Apoſt. & Euang.
28 SS. Innocentium Mart.
31 Sylueſtri PP. & Conf.

Paſcha Reſurrectionis cum duobus ſequentibus.
Pentecoſtes cum duobus pariter ſequen.
Aſcenſio Domini N. Ieſu Chriſti.
Feſtum Sacratiſſ. Corporis Chriſti
Dominica Trinitatis.
Dominicæ omnes totius anni.
Feſtum principalis Patroni Regni, ac Prouinciæ, Oppidi, Loci, &c. reſpectiuè.

De

De Doctrina Chriſtiana.
Tiutulus VII.

DOctrinam Chriſtianam ab ipſa nominis Etymologia, ſiuè quòd à Chriſto ſit tradita, vel quod vnumquemq; Chriſtianum ipſam callere deceat: non minus vtilem, quam abſolutè neceſſariam eſſe dignoſcitur; vt obindè à Sacris Canonibus, *& Concil. Trid. Seſſ. 5. cap. 2. de reform, & ſeſſ. 24. cap. 4. de ead. ref.* tam ardenter Parochis inculcetur. In ea enim eſſentialia noſtræ fidei, & quid credendum, & quid ſperandum, quid agendum, & quid deniq; declinandum ſit, continetur. Hoc tamen proficuum, & diuinum opus, ſocordia Parochorum in noſtra Diœceſi adeò elanguiſſe ex viſitationibus, comperimus; vt meritò dici, & conqueri poſſit. Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Hinc ſanè efficitur, plebes ità rudes eſſe, vt quæ de neceſsitatè fidei ſcire tenentur ignorent. Huic deplorandæ calamitati, & deteſtandæ Curatorum deſidiæ, quamuis in viſitatione opportuna paſsim adhibuerimus remedia, & ſtymulos per pœnas adiecerimus. In hac tamen Synodo illius frequentationem repetere, & continuationem præcipere volumus.

1 Mandamus itaquè Parochis omnibus in Dominicis, & feſtis de præcepto in Miſſa in aurora celebranda, partes ſaltem Doctrinæ Chriſtianæ, pura orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, decem præcepta Decalogi & Eccleſiæ. Septem ſacramenta, & reliqua fidei rudimenta, pueros, & ſimplices edocere, alta voce, iubendo eoſdem verba repetere, & ità iugiter inculcare, donec memoriæ inhæreant: Et ſi quando ipſimet Parochi fuerint impediti, per alios Sacerdotes idoneos eadem præſtari faciant. Poſtmodum verò in Miſſa ſolemni populum ſibi commiſſum, pro ſuo, & illius captu, ſalutaribus verbis paſcant, docendo neceſſaria ad ſalutem, & cum breuitate, & facilitate ſermonis, annuncient vitia, quæ euitare, & virtutes, quas ſectari oporteat. Tempore deinde pomeridiano, pueros, & rudes ad Eccleſiam conuenire procurent, mittentes ad hoc clericos litanias decantantes ad eoſdem conuocandos, & ibidem explicent doctrinam Chriſtianam, ad quod vti poterunt paruo illo cathechiſmo, ſiue libello Cardinal. Bellarmini, alliciendo pueros per munuſcula pagellarum depictarum cum ſanctorum imaginibus: Grauiter monendo, & corripiendo parentes puerorum ad illos ad talem exercitationem adducendos, ſub interminatione denegandæ ſacramentalis abſolutionis, vt tali timore concuſſi, ad hoc præſtandum diſponantur.

2 Ad quod laudabile opus, ſi ipſi Parochi negligentes fuerint, declaramus illos pro vice qualibet omiſsionis, incidere in pœnam carolenorum quinque, quorum medietas accuſatori cedat. Et præterea de hoc in viſitatione ſtrictiſsimam rationem exigemus.

3 Præter ſupradicta edocenda; eiſdem Curatis ſpecialiter demandamus in dictis diebus feſtiuis inſtruere populum, de modo perfectè confeſsionis faciendæ, nempè quomodo ſit præparatio ad ipſam faciendã per examen peccatorum, demõſtrando quot modis peccetur per omiſsionem in præceptis affirmatiuis, & per commiſsionem in negatiuis, ſiue prohibitiuis: in præceptis Eccleſiæ: in ſacramentis recipiendis, in peccatis mortalibus, in actionibus humanis illicitis, in negotijs, in contractibus, in reſtitutionibus faciendis. Et poſt examen, quomodo ſit eliciendus actus neceſſariæ contritionis, & alia doceant, quæ Sacramento pœnitentiæ, & alijs Sacramentis dignè recipiendis, neceſſaria eſſe dignoſcent; nè tempore confeſſionis ſit cum illis immorandum, & confeſsio inualida fiat.

4 Vt verò populus Chriſtianus ad hoc pium opus abundantius inflammetur, monemus cleros nobis ſubiectos, curare in ſuis Eccleſijs confraternitatem Doctrinæ Chriſtianæ pro aſſequendis indulgentijs iuxta Conſtitutionum Pij V. de anno 1572. die 6 Octobris incip. *Ex debito*. & alia Gregor. XIII. eodem anno incip. *Vniuerſis, &c.* erigandam.

5 Præter Parochos, monemus idem officium edocendi pueros in doctrina Chriſtiana, & rudimentis fidei, incumbere non ſolum parentibus naturalibus, & præceptoribus litterarijs, verum etiam eorum patrinis, nempè cum hoc in ſuſceptione illorum de Sacro fonte baptiſmatis ſpoponderint.

De Concionatoribus.

Titulus VIII.

EXcedit quidem, multũmque ſupereminet humani eloquij facultatem, diuinarum rerum magnitudo: Et inde oritur difficultas fandi; Vnde adeſt ratio non tacendi, vt ait Leo Papa. Et profectò quis arcana Dei, iuſtitias, & iudicia digné enarrare poteſt? niſi Deus ipſe, qui dat verbum euangelizantibus virtute multa, det virtutem vocis, & qui linguas infantium facit eſſe diſertas, & ignito calculo ſui ſpiritus labia mundat mutorum; Prædicantibus verbum ſuum det os, & ſapientiam, vt digne, & competenter illud annunciare valeant. Cum igitur prædicationis munus ſit á Chriſto Domino opere, & ſermone inſtitutum, Apoſtolis ab eo demandatum, & deindè ad Succeſſores Apoſtolorum Epiſcopos deriuatum. Dum ipſi nequeunt in ſingulis locis ſuarum Diœceſum hoc officium præſtare, exemplo Chriſti alios conſacerdotes ad hoc officum idoneos deſignant: quaſi illis dicentes; ite prædicate euangelium Dei omni creaturæ, docentes, quæ ſeruari oportet. Diuinum certè opus, cui humana imbecillitas præponderare non poteſt. Attamen Dei auxiliante gratia, qui huiuſmodi diuinis præconibus, diuinam pollicetur aſsiſtentiam, dum ait, *Exalta vocẽ tuam, qui euangelizas in Syon, & noli timere, quia ego tecum ſum.* & concionatores dicantur

cantur Tubæ Dei: ſperent ſe diuino afflante Spiritu,eructare,quæ decent ad ſanam doctrinam,

1 Concionatores itaque in noſtra Diœceſi ad prædicationis munus deſtinandi: Hæc ſibi præcipua in concionibus ſeruanda proponant: Nimirum docere populum, quid credendum, ſeruandum, & ſperandum ſit; quiduè timendum, & vitandum: In omnibus ſe adaptando ad captum, & ingenium auditorum,vt fructum ex ſparſo ſemine centuplum ſperent ſe reportaturos. & quia de grauiſſimis rebus agunt; ſeria narrent, ad fabulas autem, & narrationes prurientes aures auſcultantium, non conuertantur. Non veniant in ſublimitate ſermonis, ſed puro cordis affectu, & animatum ſalutis zelo: Prædicent Ieſum Crucifixum: Annunciando populis ſcelera eorum, nempè, quæ apud illos magis vigent, & vſui eſſe ſolent, nec aliqua humana affectione, vel reuerentia peccatis publicis conniueant, nec tacenda proferant, aut proferenda in vtilitatem aliorum, reticeant. Sacram ſcripturam ſecundum verum,& germanum ſenſum, quem tenet Sancta mater Eccleſia (cuius eſt iudicare quænam vera ſit illius interpretatio) iuxta Orthodoxorum patrum vnanimem conſenſum interpretentur, & explicent, nunquam proprio ſenſui confidentes, nè vè huc, atque illuc omni doctrinæ vento circumferantur; ſed in doctrinis ſuis ſanum, & irreprehenſibile verbum annuncient. Hæreticorum ſententias circa fidei noſtræ myſteria non nimis curioſæ proponant in adhibendis reprehenſionum aculeis, cauti ſint ne in aliquem ſpecialiter inuehi videantur; ſed vitia, in quibus populus frequentius delinquere videtur,generatim inſectentur. Ad Sacramentorum frequentiā adhortentur; & demum viam, moreſquè ſuos, ità componant, vt non minus verbo, quam exemplo proficiant: nè cum alijs prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur.

2 Præterea ſcire debent Prædicatores tam regulares, quam ſeculares quouis modo approbati,nullo pacto prædicare poſſe, niſi à nobis mittantur ad loca omnia noſtræ Diœceſis; nam vt ait Apoſtolus. Quomodo prædicabunt; niſi mittantur? nulluſque debet immittere falcem in meſſem alienam.

3 Nullus regularis,vel ſecularis etiam in Eccleſia ſui ordinis,& inſtituti,prædicare poteſt nobis contradicentibus ex *decr.Trident.ſeſſ.24.cap.4.de refor.* ſed poſt habitam licentiam,& approbationem à ſuis ſuperioribus regularibus, debent ſe præſentare perſonaliter coram nobis, & benedictionem accipere,antequam prædicare incipiant,etiam,vt dictum eſt,in Eccleſijs ſui ordinis, vbi degunt, vt idem *Trident.ſeſſ.5.cap.2. de refor.* Neque ſat erit petere benedictionem per nuncios, ſiue per litteras. eamque benedictionem omni tempore,ne dum Aduentus,& Quadrageſimæ, petere tenent. *vt declarauit Sac. Congreg. Epiſcop.16. Octobris* 1601.

4 Vndè ſi quis prædicare præſumpſerit, etiam regularis cuiuſvis ordinis, & inſtituti,tàm in Eccleſijs proprijs,quam alienis, & quæ ſui ordinis non ſunt, ſine noſtra licentia expreſsè obtenta in alienis Eccleſijs, & benedictione in ſuis, vel nobis contradicentibus: ſciat ſe à nobis per cenſuras, & pœnas contentas in Conſtit. Gregor. XV. incip. *Inſcrutabili*. de anno 1622. die 5. Febr. ſub tit. de priuileg. exempt. & in Breui Vrbani VIII. directo Cardinali de Sandoual Epiſcopo

Gienn.

Gienn. 30. Ianuarij 1629, ſeuerè punitum iri.

5 Ijdem concionatores, quando à nobis licentiam prædicandi erunt petituri, fidei profeſſionem coram nobis, vel alijs à nobis deſtinandis, emittent, *ex decr. Sacr. Congreg. Concil. ſuper cap. 4. ſeſſ. 24. verſ. Nullus*. Et ſi nobis viſum fuerit, etiam quoad doctrinam examinabuntur, non obſtante quòd ſint graduati, iuxtà decretum eiuſdem Congreg. 24. Nouembris 1596. & 22. Iunij 1622. in Vgentina.

6 Quoniam concionatores, quamuis per patentes litteras noſtras ad particularia loca ſint deſtinati, ad illa tamen, niſi prius noſtro ſe conſpectui præſentent, accedere non præſumant.

7 Neque in noſtra contradictione neceſſe erit cauſſam exprimere, vt eadem Sacr. Congreg. in vna Mediolanen. in eodem cap. 4. ſeſſ. 24. verſic. Contradicente, &c.

8 Concionatores deſtinati prædicent in Eccleſijs Parochialibus, vel alijs in eorum patentibus litteris deſignatis; non extra, ſine noſtra licentia in ſcriptis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio prædicandi,

9 In Eccleſijs monialium præcipuè, nullo modo prædicent, abſque ſpeciali noſtro ordine, ſub pœna ſuſpenſionis à concionando.

10 Prohibemus eiſdem concionatoribus, maximeque regularibus, ſeipſos in concionibus populo commendare, vel alias particulares perſonas, quamuis pauperes pro eleemoſyna captanda, ſine noſtra, vel officialium noſtrorum licentia, ſed tantum poterunt propria monaſteria commendare ex *decr. Sacr. Congreg. epiſc. 8. Maij 1602.*

11 Indulgentias quaſcumque non prædicent, neque euulgent, ſine noſtra licentia.

12 Concionem paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti de nocte non habeant, & ſi de ſero fiat, adeptetur opportunitati temporis, vt vltra dimidiam noctis horam adſummum non protrahatur. Enitantur itaquè illam interdiù peragere, ad euitanda ſcandala, & pericula: Et quia vt teſtatur Hylarius, Non legimus Dominum ſolitum fuiſſe noctibus ſermocinari, & doctrinam in tenebris tradidiſſe. Caueantq; in ipſa aliquid Dramaticum, & ræpreſentatiuum myſterium paſſionis admiſcere: illud enim riſum potius, quam pietatem plerumquè excitare ſolet, & curati id ſcientes prohibeant noſtro nomine, etiam per pœnas interdicti à predicando.

13 Apoſtolicum hoc munus, non per lucroſam mercedem, & auaritiam affectent, non proponendo finem ſalutem animarum lucrandarum, & obinde per humanos fauores, & interceſſiones, & plerumq; per data, vel promiſſa munera, quæ à Symoniaca labe non diſtant, & per alios ſordidos modos, prædicandi facultatē in locis inſignioribus, & vbi largior eleemosyna eſt aſſignata, ſibi procurent. Sed potius ad lucrum illud à Domino pollicitum in verbis illis mercedem laboris ego reddam vobis; animum indendere debeant, neq; verbum Dei quaſi venale exponere, ne ſibi aliquando dicatur. Mercedem recepiſtis, &c. Ipſeq; Dominus Ieſus per vicos, & Caſtella, magiſquam per opulentas, & magnificas ciuitates, euangelizare conſueuit.

14 Memi-

14 Meminiſſe debēt concionatores ſeruare *Conſtit. Leonis X. de anno* 1516. *in Concil. Lateranen. æditam, quæ incip. Supernæ, &c.* vt errores, & ſcandala non diſſeminent. Sacram Scripturam iuxta Catholicos Patres exponant, & ſub pœna excommunicationis PP. reſeruatæ in concionibus non affirmatiuè aſſignent diem futuri Iudicij finalis. Aduentus Antichriſti; non confingant reuelationes aliquas ſibi diuinitus factas: & vitia, ſiuè delicta Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum ſpecificè non arguant, illos quandoquè nominatim carpendo.

15 Neque in ſuis concionibus mentionem faciant de oppoſita opinione conceptionis B. M. Virginis abſque peccato originali iuxta *Conſtit. Gregorij XV. de anno* 1622. *die* 24. *Maij*, ſub pœnis, & cenſuris in ea contentis.

16 Deputatio concionatorum in quauis Eccleſia, & loca noſtræ Diœceſis ad nos propriè de Iure, & officio ſpectat, vt ex *Triden. ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *& ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de refor.* Nihilominus benignitatem, & Indulgentiam noſtrorum prædeceſſorum proſequi volentes (ſaluo tamen in hoc ſemper noſtro arbitrio, & beneplacito) Nominationes prædicatorum faciendas ab Vniuerſitatibus locorum in tempore præfixo à præcedētibus Synodis, tolerabimus; Dummodò nominatio fiat conuocato concilio totius Vniuerſitatis illius loci, & nominatio ipſa de Cōmuni conſenſu decernatur, & in Libro communium concluſionum, ſiuè colloquium deſcribatur, & ex eodē deſumpto exemplo authentico ſubſcripto ab electis de regimine illius anni (ſi durante eorum officio cadat Quadrageſima illa, pro qua cōcionatorem nominant) cum Sigillo publico cōmunitatis; & nominatio ad nos per totum menſem Octobris præcedentis deferatur; alioquin nominatio, & petitio non admittetur; idquè ſtatuimus ad euitanda multa abſurda, quæ contingere ſolebant; nam locorum Decuriones, ſiuè electi veteres vnum nominabant, & noui deindè ſucceſſores alium interpellatis temporibus; vnde ſcandala, odia, & ſimultates inter ipſos de regimine, & quandoq; inter concionatores, oriebantur.

17 Ad idq; euitandum omnibus innoteſcere facimus, quòd ſi quando coram nobis legitimè facta fuerit nominatio concionatoris, illa deindè varietur in perſonam alterius, tunc neuter ex nominatis admittetur, ſed alium nobis benè viſum deſtinabimus.

18 Si contigerit, nos aliquā rationabili causā nolle admittere concionatorem ab aliqua communitate nominatum; & obinde ciues loci illius ad vindictā, prædicatorem à nobis deſtinatum recipere renuant, vel receptum malè tractauerint, in præſtatione victus, & conſuetæ eleemoſynæ. Tunc inhærendo decreto præteritæ Synodi, Communitatem ipſam Eccleſiaſtico ſupponemus interdicto, & particulares reſiſtentes excommunicabimus.

19 Demùm, quia præcognitis morbis grauantibus, remedia facillimè adhibentur; idcircò monemus concionatores deſtinatos, vt antequā prædicationis munus aggrediātur, cautè à Curatoribus animarum ſciſcitentur, quænā peccata, & abuſus loco in illo vigeant, vt eiſdem redarguendis, & extirpandis neruoſus inſiſtere poſſint. Explicent quoque vim, & qualitatem cenſurarum, & quanta mala non modò animabus; ſed corporibus quoque, & familijs inferant. Populum ad

feſta

feſta ſeruanda diſponant, illum per exempla diuinæ vltionis cōtra tales tranſgreſſores terrefaciendo. Inſectentur crebris monitionibus periuros, præcipuè in Iudicio falſum deponentes; Decimas Eccleſiaſticas, cenſus, & canones non ſoluentes; Bona, & iura Eccleſiaſtica vſurpantes; Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum libertatem, & immunitatem, ac Iuriſdictionem lædentes; Veneficijs, etiā ad ſanitatem recuperandā, vt aiunt, vtentes; Superſtitionibus credentes; Vſuras, & fœnora committentes; In concubinatu, & odio ſcandaloſè, & induratè permanentes; Furta, rapinas, & homicidia perpetrantes; & alia grauia delicta operantes; adhibendo remedia curantia, & præſeruantia, per frequentiam Sacramentorum, ieiunia, & orationes, eleemoſynas, & alia ſatisfactionum genera.

20 Poſtremò, ne ſine maximo ſcandalo, prædicatio, vt aiunt, fiat in deſerto, inhærentes decretis præter Synod. ſub hoc tit. præcipimus, & mandamus Vicarijs foraneis, & in defectu, Curatis animarum compellere ſingulos Eccleſiaſticos ad conueniendum quotidie ad conciones audiendas, & à tranſgreſſoribus non legitimè impeditis pœnam caroleni vnius pro quolibet defectu, Sacriſtiæ applicandi, irremiſſibiliter exigant.

21 Plebes item ad hoc efficiendum acriter, & ſub interminatione diuinæ vltionis impellent.

De Sacramentis in genere.
Titulus. IX.

REX ille pacificus, qui de ſinu æterni Patris deſcendens, Spiritu Sancto cooperante de Virgine naſci dignatus eſt, & Deus, homo fieri non abhorruit, vt hominem de captiuitate redimeret, quem formauerat, & quem protoplaſti peccatum ob ſeminale contagium, morte mancipauerat; Pellicani more ſui pretioſiſſimi ſanguinis effuſione viuificaret: vt idem homo in ſpiritualem vitam reuocatus, in illa permanere poſſet per gratiam: Quaſi præſeruatiua remedia, ſeptiformis gratiæ ſymbola, ſeptem inſtituit Sacramenta; in quibus omnis vera iuſtitia nobis, vel incipit, vel cæpta augetur, aut amiſſa reparatur. Ad hoc deſignandum, fuit nobis diuino oraculo reſeratum. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, &c.* Ille etenim Chriſtus Dominus Sapientia Patris ædificauit ſibi domum, Catholicam ſcilicet eccleſiam, in qua fulciendo ſeptem ſolidas columnas, nempè ſeptem Sacramenta ex proprio latere in ara Crucis extruxit; quæ omnia ex Chriſti ſanguine virtutem, quam continent, receperunt. Hi ſunt illi fluuij de Paradiſi fonte, hoc eſt de Chriſti latere manantes, qui totam terram irrigant, & mundum cunctis purgant erroribus.

1 Parochorum itaquè præcipuum munus erit inter Miſſarū ſolemnia iugiter eorumdem Sacramentorum vim, efficaciam, & rectum vſum, ac requiſitam diſpo-

ſitionem ad illa dignè recipienda; populo enunciare, iuxta decretum *concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. de refor.* Quod ſi parochi ipſi ſe rudes ad hoc eſſe cognoſcant, poterunt vti Cathechiſmo Romano in linguam vernaculum verſo.

2 Quocirca volumus, vt omnes Eccleſiaſtici, præſertim in maioribus ordinibus conſtituti, pro neceſſariò ſcire teneantur eſſentialia Sacramentorum, & ex quibus vnumquodq; eorum conſtet, nempè materiam, formam, Et intentionem. Quæ materia ſit apta de neceſſitate Sacramenti, & quæ de neceſſitate præcepti. Quæ verba ſint de ſubſtantia formæ, & quæ appoſita ab Eccleſia: & quomodo formam ipſam contingat vitiari, per detractionem, additionem, & tranſpoſitionem verborum, ita vt ſenſus corrumpatur, & ſi per alia verba Synonima ſuppleantur, & quomodo forma ipſa ſit proferenda in ipſa applicatione debitæ materiæ. Præterea callere debent, qualis intentio requiratur, & cum ſit triplex, nimirum, actualis, virtualis, & habitualis, quænam illarum ſufficiat, & quando non ſolum in miniſtro, ſed etiam in recipiente, requiratur.

3 Et quamuis apud Doctores inueniantur multa opinabilia dicta circa materiam, formam, & intentionem prædictas: quæ ſcilicet illarum ſit apta, vel ſufficiens, & è conuerſo, ſi per æquipollentia conferantur Sacramenta: huiuſmodi, tamen opiniones, licet ſint probabiles ſpeculatiuè; illis practicè vti, & ſeruari prohibemus: cum enim operatio hæc Sacramentorum, tam ſtrictè ſit ad ſalutem animarum neceſſaria; ſemper tutior ſententia, & opinio amplectenda erit.

4 Inſuper Sacramenta adminiſtraturi adamuſſim addiſcant ritus, & cæremonias ad rectam illorum adminiſtrationem neceſſarias ex rubricis, non enim pro libito à miniſtris omitti, vel variari poſſunt, quemadmodum ſub pœna anathematis prohibet *Trid: ſeſſ. 7. can. 13.*

5 Caſus quoq; practicabiliores, qui de repentè contingere poſſunt ex Rituali, cathechiſmo, & doctoribus de illis tractantibus, ita addiſcant, vt in facti contingentia benè ſegerere ſciant.

6 Nemo præter parochos, qui facultatem à nobis non obtinuerit, tam ſæcularis, quam regularis Sacerdos; Sacramenta miniſtrare præſumat, & ſi à nobis, vel officialibus noſtris fuerit approbatus, tamen ſemper accedat conſenſus Parochi, cui ille approbatus ſuam approbationem inſinuare teneatur, & ſufficiet ſaltē ſemel ab eo conſenſū obtinere, exceptis caſibus magnæ neceſſitatis, in quibus licentia non requiritur.

7 Nullus in peccato mortali exiſtens Sacramenta miniſtrare audeat, graue enim ſacrilegium admitteret, nam ſancta à ſanctis ſunt tractanda, & ſi in lege veteri pollutis interdictum erat etiam aſportatione vaſorum, quanto magis ipſa miniſtratio Sacramentorum? Idcirco niſi neceſſitas vrgeat, & ſcandalum adſit, miniſtrator priuſquā miniſterium aggrediatur Sacramentali ſe abluat pœnitentia, vel ſaltem actum contritionis, vel perfectæ attritionis eliciat.

8 Pro adminiſtratione facienda, omnem ſymoniæ, & auaritiæ ſuſpitionem abeſſe oportet, nihil igitur pro miniſterio mercedis, quaſi ex pacto petatur; nam quæ à Chriſto gratis accepta, ſunt gratis quoq; ſunt, alijs largienda: Non probibemus

mus tamen illas ſpontaneas oblationes pietatis, vel eleemosynæ titulo, miniſtris pro labore, vel alia laudabili conſuetudine à recipientibus Sacramenta, tradi ſolitas, dummodo non videantur expreſſe exigi pro mercede, & prætio rei ſpiritualis conferendę, vt declarauit *Sac. Congreg. Concil.* 1. *Febrar* 1593.

9 Sacramenta ipſa, & Sacramentalia, ac res ſacræ quæcumq; vt dictum eſt, ad alium vſum, quam ab Eccleſia vſurpata ſunt, ſub pœna excommunicationis non adhibeantur.

10 Ad recipiendum olea ſacra à nobis quotannis in feria quinta cenæ Domini benedicta, & per Diœceſim diſtribuenda, deſtinabitur aliquis presbyter, vel ſaltem conſtitutus in ſacris, non autem clericus in minoribus, niſi in totali defectu, & tunc ſit prouectæ ætatis, & timoratæ conſcientiæ, & hic adeat perſonas à nobis deputatas ad olea prædicta diſtribuenda, & in receptione deſcribat ſe illa recepiſſe tali die in libro ad hoc deſtinato.

11 Vaſcula pro eiſdem oleis recipiendis in vnaquaq; Eccleſia prouideantur, (pro vt in noſtris viſitationibus præcepimus) ſint ſaltem Stannea nitida ad inſtar Amulæ, ſiue Ampullæ anguſti orificij cũ operculo tornatili, ne liquores ſacri effundãtur; vaſa ipſa reponantur intus aliquam thecam ligneam corio decenti veſtitam, & ad hunc vſum efformatam, vt ampullas includat, vel ſaltem ſit capſula lignea portanda intus burſam à collo appenſam: Apponatur in tali theca, ſiue capſula peſſulum ferreum apertum, & ita mittatur ſine traditione clauis peſſuli, quæ remanebit penes ipſum curatum, a quo deferat litteras pro petitione oleorum, & tunc deputatus ad diſtribuenda olea, poſtquam illa cum infundibulo indiderit in vaſcula ſignata cum inſcriptione, vt dictũ eſt, protinus thecam illam cum peſſulo claudat, ita vt in itinere aperiri nequeat, ideo peſſulũ ſit tale, vt ſine claue claudatur, ſed ſine illa aperiri non poſſit. Recipiens ipſe deferat coſtam, & laternam accenſam. Et non concurrentibus ſupradictis omnibus, olea ipſa non conſignentur. Diſtributor ipſe nihil pro hoc mercedis, vel muneris recipiat, vt *Sacr. Congreg. Concil. die* 6. *Decembris* 1604. *prohibuit.*

12 Ad illa recipienda à loco deſtinato Parochus cuiuſque loci teneatur; nec illa recepta alijs vicinorum locorum participet ſub pœna arbitrij, &c. ad quam conuincendam ſufficiet atteſtatio deputati, quod in libro non ſit deſcripta receptio illius loci, ſiue Oppidi. Hoc tamen permittitur in locis minoribus, quæ recipere illa ab Oppidis maioribus conſueuere.

13 Poſt feriam prædictam 5. in Cœna Domini, vnuſquiſque Curatus procuret noua olea recipienda, nec vetera comburat, antequam noua receperit, veteribus tamen non vtatur, niſi in caſu neceſſitatis, quemadmodum Sacri Canones concedunt, *& Sacr. Congreg. declarauit die* 20. *Martij* 1590. non autem extra caſum neceſſitatis, vt *Congreg. Rit.* 7. *Decembris* 1601. Poſtquam noua ſunt conſecrata; Si quo euentu aqua baptiſmalis effundatur, corrumpatur vè per lapſum alicuius animalis, aut aliter deficiat: poterit Curatus etiam extra tempora Sabbati Sancti, & Pentecoſtes illam benedicere, iuxta formam poſitam in Rituali Romano.

14 In locis omnibus noſtræ Diœceſis, etiam exemptis, & regularium, non recipiantur

cipiantur olea benedicta, niſi à nobis in feria 5. Cœnæ Domini, vel de noſtra licentia, quod ſi abſentes à Diœceſi illa benedicere nequiuerimus, & obinde ab aliquo viciniori Epiſcopo benedicta ſint recipienda; tunc accedat licentia noſtrorum Officialium.

De Sacramento Baptiſmi :

Titulus X.

FIrmiſſimè credendum eſt, & nullatenus ambigendum, quaſi Chriſti teſtimonio comprobatum, nullum poſſe ingredi Regnum Cœlorum, niſi renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, & hoc non ſolum de hominibus adultis, & ratione vtentibus eſt aſtruendum: Verum etiam de paruulis è materno vtero mox egreſſis, vel in ipſo morientibus; qui & ſi propriè actionis peccatum non habuerunt, origiualis tamen damnationem, carnali conceptione traxerunt. Ad huius igitur originalis maculæ deletionem, quæ in præuaricatione Adæ contracta per propagationem in omnes ità transfundebatur, vt vniuerſi naſcerentur filij Iræ, & in cunctos mors pertranſierit. Redemptor noſter Chriſtus Ieſus Baptiſmi Sacramentum inſtituit, in Iordane baptizatus ſanctificauit, in morte perfecit, & poſt reſurrectionem in præceptum omnibus abſolutè neceſſarium dedit. Vt obindè Ianua Sacramentorũ, & prima poſt humanæ naturæ naufragium tabula, meritò à ſanctis Patribus appelletur.

1 Et quoniam de huius magni Sacramenti, materia, forma, intentione, ritibus, cœremonijs, & recta adminiſtratione à Doctoribus, Cathechiſmo, & Rituali Romano abundè agitur: ideò ab illis miniſtros addiſcere remittimus neceſſaria.

2 Quod autem in hoc grauiſſimo negotio, & Sacramento ad ſalutem neceſſario valide miniſtrando, magis vrget, erit inſtruere obſtetrices, quæ paſſim autumantes, quemcumque partum difficilem, & laborioſum, eſſe caſum neceſſitatis, naſcentes infantes plerumq; è maternis viſceribus non dum ſolutos baptizare audent, quamuis non benè ſint inſtructæ de debita forma materia, & modo baptizandi. Et quoniam talis modus baptizandi non poteſt ſine magno periculo animarum eis prohiberi nam ſæpenumero contingunt caſus verè neceſſitatis. Idcircò volumus quædam capita, & interrogatoria efformare, ſuper quibus obſtetrices ipſæ ſunt à Parochis inſtruendæ, & iugiter interrogandæ, donec eas optimè calleãt, & in facti contingentia ſciant in promptu, quomodo ſe gerant. Et non inſtructas ab officio prohibeant ſub pœna excommunicationis donec, &c. Inſtructiſq; licentiam, & admiſſionem concedant, ac in viſitatione illas noſtro examini præſentent. Taleq; neceſſarium opus Curati ipſi non prætermittant ſub interminatione diuini Iudicij, & alijs pœnis noſtro arbitrio irrogandis.

3 Iniugendo inſuper eiſdem Curatis non admittere ad hoc officium obſtetri-

ces exteras; huiuſmodi licentiam, & approbationem non habentes, vel ſaltem per examen ſuper ſequentibus capitibus benè ſe gerere ſciant; & capita ipſa in inſtructione facienda, lingua materna proponere poterunt, & verbis exemplificent, ita vt ab illis intelligantur, & ſenſus percipiatur.

Capita ſuper quibus ſunt interrogandæ, & inſtruendæ obſtetrices.

1 *An extra caſus neceſſitatis ſibi liceat baptizare.*

2 *Quos exiſtiment eſſe caſus neceſſitatis, & ſuper illos exemplificent.*

3 *An quandò periculum non eſt adeò imminens, debeant aduocare ſacerdotem.*

4 *An ſacerdos, vel ſaltem maſculus ſit præferendus obſtetricibus in caſu neceſſitatis.*

5 *An ſi partus non dum exierit, & ſit periculum, tunc mulier ſit præferenda ob honeſtatem.*

6 *Quæ ſit materia neceſſaria, ſaltem apta, & ſufficiens ad baptizandum.*

7 *An alij liquores, præter aquam naturalem, ſint materia apta ad baptiſmum.*

8 *An ſi aquæ ſint admixti alij liquores; ſit materia conueniens.*

9 *An ipſæ obſtetrices cum aqua ſoleant miſcere ſalem, oleum, vel aliud quidpiam.*

10 *Quæ ſint verba formæ neceſſaria: & an poſſint proferri lingua vulgari.*

11 *An poſſint, vel ipſæ ſoleant miſcere alia verba, vel aliquod detrahere.*

12 *An ſi taceatur aliquod formale verbum, baptiſmus ſit validus.*

13 *An ſit de neceſſitate eodem inſtanti proferre verba, & infundere aquam.*

14 *An ſit de neceſſitate ter infundere in modum crucis, & oportere aquam tangere carnem.*

15 *An ſit de neceſſitate adhibere patrinum ſuſceptorem, præter baptizantem ipſum, & imponere nomen.*

16 *An ipſæ admiſceant aliquid aliud ſuperſtitioſum in baptizandò, & prima ablutione infantis.*

17 *An ſoleant baptizare partum non dum emiſſum, & ſi ſit in capite; an ſit verus Baptiſmus.*

18 *An ſi exeat aliud membrum, & in periculo ſit ibi baptizandum, ſit verus Baptiſmus.*

19 *Quid ſi nullum membrum exeat, ſed in vtero inſpiciatur, poſſit aqua intromitti, & baptizari.*

20 *Quid ſi naſcatur monſtrum, & ob periculum non adſit opportunitas conſulendi parochum.*

21 *Quid ſi naſcatur partus informis, referens aliqualiter figuram humanam, ſit baptizandus.*

22 *Quid ſi partus non integer exierit, & dubitetur an ſit viuus, qua forma ſit baptizandus.*

23 *Quid ſi mulier emittat abortiuum, & dubitetur, an ſit animatus.*

24 *Quomodo proferatur forma in baptiſmo ſub conditione, & quando taliter ſit adhibenda.*

25 *An in ægritudinibus puerorum ſoleant vti præcantationibus, orationibus, & ſuperſtitionibus.*

26 *An quando domi baptizarunt, poſtea ducendo illos ad Eccleſiam, hoc ſacerdoti referant.*

27 *An ſuper baptizandos in Eccleſia deferant aliquod ſuperſtitioſum, & quid nam ſit.*

28 *An ſciant, omnes abutentes ſacramentis, & ſacramentalibus, & vẽneficijs excommunicationem incurrere.*

5 In viſitationibus inuenimus omnes ferè Presbyteros errare in ſupplendis cœremonijs ſuper baptizatos in caſu neceſſitatis, nam in prolatione illarum trium orationum, quæ dicuntur manu poſita ſuper caput infantis baptizandi, recitant illas eaſdem, quæ poſitæ ſunt in Rituali in ipſo ordine baptizandi, & in hoc magnoperè errant, quia illæ orationes tractant de baptiſmo ſuſcipiendo, non autem ſuſcepto. Ideo omnes monemus eo caſu tales orationes, & modum tenendum in tali ſuppletione reperire in Rituali fol. 45. poſt baptiſmum adultorum, vbi varias orationes, & exorciſmos inuenient.

6 Baptizandis non modo imponantur nomina ſanctorum, vt præcipit Cathechiſmus Romanus, ſed quoque tollatur ille abuſus pluralitatis nominum, quæ ad ſummum non excedant duo, & quæ communi vſu, & appellatione cohæreant, & hoc ad euitandam ambiguitatem, & fraudes, quæ in deſumenda fide ex libro baptizatorum fieri poſſunt, ſi quis plura nomina retineat, & vnum, quod mallet, in fide apponeretur.

7 Confirmamus decretum præteritæ Synodi de non extrahenda fide à libro baptizatorum ad inſtantiam alterius, quam ipſius baptizati, & parentum eius, ſine noſtra licentia.

8 Baptiſmus nati infantis non differatur vltra triduum ſine rationabili cauſa, ob periculum, & differentes acriter corripiantur.

9 Moneantur matres ſecum non tenere in eodem cubili de nocte infantulos citra annum natiuitatis, ne incurrant in excommunicationem impoſitam in præteritis Synodis, & vt in rituali ipſo præcipitur.

10 In admittendis ſuſceptoribus, ſiuè patrinis iuxta decretũ *Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. de refor. matr.* vltra Statuta Synodi de anno 1617. præcipimus non aſſumi duos viros, vel duas fœminas, niſi vnus, vt principalis, & alter, vt procurator alicuius fęminæ abſentis, & ſic è conuerſo, interueniant: Et hoc omne adnotetur in libro baptizatorũ, vt ſciantur impedimenta matrimonij, notando quòd procuratores tenentes, non contrahunt cognationem ſibi ipſis, ſed ſolum ſuis principalibus, à quibus fuerunt conſtituti procuratores, vt declarauit *Sacr. Congreg pluries ſuper dicto cap. 2. ſeſſ. 24.* & nouiſſimè in vna *Tudert. 16. Martij 1630.*

11 Si

11 Si plures accedant, antequam illos admittat, baptizans, ſciſcitetur qui ſint deſignati à parentibus, & illos tantum recipiat, nam ſi alij vltra deſignatos tetigerint, cognationem ſpiritualem non contrahent.

12 Sin autem nullus ſit deſignatus, & plures tetigerint, omnes contrahere declarauit *Sacr. Congreg. Concil. ſuper eod. cap. 2. ſeſſ. 24. de reform. matr.*

13 A tenentibus ad cęremonias ſupplendas poſt baptiſmum collatum in neceſſitate, nullam contrahi cognationem, declarauit *Sacra Congreg. eodem loco citato*.

14 Baptizantes ipſi collatum baptiſmum deſcribere iuxtà formulam datam in Rituali Romano, non differant; & ne liber authenticus baptizatorum in propatulo teneatur: mandamus retineri in eodem fonte baptiſmali paruum Codicem, in quo dietim à baptizantibus deſcribantur baptizati ipſi; & poſt modum ſingulis menſibus ex illo quinternione Parochus ſua manu in libro grandiori penes ſe retinendo, eoſdem baptizatos iuxta Rituale deſcribat: cauti verò ſint deſcribentes in varietate formularum appoſitarum in eodem rituali.

15 Adulti, ſicubi ſint baptizandi, non baptizentur, niſi prius noſtro conſpectui ſe præſentent, vt ſciſcitemur ſi ſint cathecumeni inſtructi, & verè, ac benè diſpoſiti ad baptiſmum, & fidem recipiendam; Et hoc maximè in mancipijs aliorum: niſi articulus mortis, aut quid ſimile occurrat.

16 In Baptiſmate cuiuslibet infantis afferatur nouum ſudariolum ex tenui tela quod deinde totum poterit adhiberi pro purificatorio calicis.

17 Quæ ſint neceſſaria ad vſum baptiſmatis in fonte baptiſmali, præter notata in præcedentibus Synodis, & decreta in viſitationibus generalibus, ſigillatim deſcribentur inferius in titulo de eccleſiarum ſtructura, &c.

18 Præter cottam, ſtolam, & biretum, alia paramenta non adhibeantur à Baptizante, quemadmodum ad nos perlatum eſt in quibuſdam locis addiberi pluuiale in baptiſmo filiorum magnatum, quod prohibemus, ſub pœna ſuſpenſionis.

19 Puerperæ cum primum conualuerint præceptum auſcultandi Miſſam non omittant in feſtis, quamuis differant cœremoniam purificationis recipiendæ.

20 Quoniam Sacramenta ob reuerentiam, & maiorem decentiam regulariter in Eccleſia miniſtranda ſunt. Ideo Baptiſmus fiat in Parochiali, & extra illam præter caſum neceſſitatis, non baptizetur: & quando qui iam domi fuerunt baptizati aſportantur ad Eccleſiam pro ſupplendis cœremonijs, tunc Parochus, ſiue alius Presbyter, qui eas ſupplet ſciſcitetur diligenter, de modo, quo fuit collatus baptiſmus, & ſi inueniat aliquem probabilem defectum commiſſum in materia, vel forma, rebaptizet cum conditione, vt in Rituali. alias non reiteret baptiſmum ſub prætextu maioris cautelæ.

21 Expoſiti infantes nullum ſecum de ſuſcepto Baptiſmo ſignum, vel notam afferentes baptizentur ? ſub conditione. *Si non es baptizatus, &c.*

De Sacramento Confirmationis.

Titulus XI.

QVos per lauacrum regenerationis in Baptiſmate Chriſtus in vita ſpirituali aſcripſit, eoſdem ſpiritus ſancti gratia in ſacri chriſmatis vnctione corroborat; vt aduerſus Diaboli continuos inſultus ſtrenui fiant Athletæ. Sicut etiam carnalis homo creſcens in vita corporali indiget alimentis roborari, ſic quoq; in vita ſpirituali per cōfirmationis Sacramenti gratiam firmatur; & per illam nouam, quæ in eodem Sacramento tribuitur, illa prior gratia in baptiſmate ſuſcepta pficitur. Et quemadmodum Spiritus Sanctus ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendens illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: Ita in confirmatione augumentum præſtat ad gratiam. Et quia in hoc mundo victuris inter inuiſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt. In Baptiſmo regeneramur ad vitam, in confirmatione roboramur ad pugnam, in Baptiſmo abluimur, in confirmatione armamur. Regeneratio ſaluat per ſe mox in pace beati ſæculi recipiendos; confirmatio armat, & inſtruit ad agones mundi huius, & prælia reſeruandos. Salubre hoc igitur, & neceſſarium Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum eſſe, cum Catholica confiteamur Eccleſia.

1 Cum primum itaquè Parochi locorum notitiam habuerint, nos hoc Sacramentum de proximo collaturos fore, quòd ſemper ſolet eſſe in viſitationibus locorum. Inter Miſſarum ſolemnia populo inſinuent, vim, efficaciam, & effectus huius Sacramenti, & de neceſſaria diſpoſitione ad illud recipiendum, tam ex parte confirmandorum, quam præſentantium eoſdem: Quæ omnia enucleare poterunt ex catechiſmo Romano, vel ſaltem per ſequentes inſtructiones ex Pontificali deſumptas.

2 Reſpectu confirmandorum hæc publicentur. Primo nullus alias confirmatus accedat ad hoc Sacramentum iterato recipiendum. Secundo, non præſententur infantes citra quinquennium, ſine noſtra licentia. Tertiò ſi confirmandi ſint adulti, prius confiteantur ſua peccata, vel ſaltem de illis perfectam contritionem habeant, vt gratiam recipere mereantur. Quarto nullus accedat excommunicatus, interdictus, vel alijs cenſuris irretitus, aut grauioribus facinoribus grauatus, veluti publicus concubinarius, vſurarius, &c. Qui fidei rudimenta prorſus ignorant &c.

3 Pro præſentantibus verò hæc publicentur. Primo pacto, & mater proprios filios non teneant. Secundo vir non pręſentet vxorem. Neq; è conuerſo. Tertiò nemo teneat vltra duos ſine licentia. Quarto pręſentantes ipſi non ſint cenſuris irretiti, nequè peccatis, & delictis publicis inquinati. Quinto ſint ipſi prius

confir-

confirmati. Sexto ſciant eſſentialia doctrinæ Chriſtianæ, vt illos eadem docere poſſint. Septimo Regulares non teneant ſine noſtra licentia, nam Canones prohibent.

4 Moneant preterea in hoc Sacramento contrahi eamdem cognationem ſpiritualem impedientem matrimonia, ſicut in baptiſmo, inrer perſonas numeratas *in concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de reſor. matr.* Quòd maſculi præſentent maſculos ob honeſtatem; & ſic è conuerſo, ſi ſint adulti. Præſentantes ſciant nomina confirmandorum; Facies, & frontes non ſint ſordidæ: Et poſt vntionem tergãtur ab aliquo presbytero cum bombacio, deinde comburendo. Deſtinentur aliqui ad deſcribendum confirmatos cum nominibus patrum illorum, & præſentantium, in folijs, ex quibus poſtea Parochus referat in librum penes ſe retinendum; Quòd ſi adſint aduenæ, notentur ſeparatim addendo patriam illorum; & deinde de illis detur liſta Parochis illorum locorum, ſine aliqua mercede. Nullus cõfirmatus diſcedat Epiſcopali benedictione non recepta. Non accedant confuſè maſculi cum fœminis properanter, & cum ſtrepitu, & clamoribus. Apponantur ſcamna cum mantilibus, & ad hæc moderanda deſtinentur ex clero perſonæ prudentes.

5 Et quia manus Apoſtolicæ impoſitionẽ ab alieno Prælato, ſine proprij conſenſu recipere non licet. Præcipimus omnibus noſtræ Diœceſis ſub pœna excommunicationis non præſumere, accedere ſine noſtra licentia ad hoc Sacramentum ab alieno Epiſcopo excipiendum; Neque à quibus vis Abbatibus, etiam ad illud conferendum omnibus ſpeciale priuilegium habentibus; & ſignanter ab Abbatibus Ordinis Sancti Benedicti, quamuis exiſtentibus in finibus, & intra fines noſtræ Diœceſis, & hoc decretum publicetur à Parochis in fœſto Epiphaniæ, ſub pœna librarum ceræ albæ quinquaginta.

9 Moneant item patres filios habentes, ne vltra ſeptemnium protrahant receptionem huius Sacramenti ab illis fieri, nam non ſine ſcandalo, & ſacrilego contemptu inuenimus interdum quoſdam ſexagenarios non dum confirmatos, Et ſe excuſantes talem obligationem nunquam ſibi à Parochis fuiſſe inſinuatam.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Titulus XII.

MVLTIPLEX miſericordia Dei, quæ lapſibus ſemper ſubuenit humanis. Cum homo ex baptiſmate ſanctificatus, ex primi fomitis contagio, pronus ad peccandum: reſtitutam innocentiæ ſtolam diù incontaminatam ſeruare non poſſet: per pœnitentiæ medicinam ſpem vitæ reparat æternæ. Vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio cōdemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent: ita diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis: vt Dei Indulgentiā per Sacerdotum miniſterium obtineant: Mediator enim Dei, & hominum homo Ieſus Chriſtus Dominus noſter, hanc præpoſitis ſuæ Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt, & pœnitentibus in confeſſione ſatisfactiones darent congruentes, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum, per ianuam reconciliationis, admitterent; & quaſi ſecundam in ſecundo naufragio tabulam porrigendo, in hoc ſaluberrimo pœnitentiæ Sacramento ad inſtar natatoriæ Syloe, peccatorum maculas lacrymarum aquis abluerent.

1 Et quamuis vnumquemquè poſt aliquem (*Diabolo ſupplantante*) lapſum commiſſum ad reparationem accedere, & infernalis ſerpentis venenato dente ſauciatum ad hoc antidotum, priuſquam virus per animæ fibras ſenſim diffundatur, recipiendum, properare deceret. Tamen cum *Lateranen. concil.* decreto ſtatutum ſit, quemquè in ea ætate conſtitutum, vt peeccata diſcernere poſſit, ſemel ſaltem in anno confiteri debere. Illud omnino ſeruandum præcipimus, ſub pœnis comminatis in eodem *cap. Omnis vtriuſq; ſexus. tit. de pænit. & remiſſ.* Quod decretum quotannis publicetur per modum apponendum in ſequenti titulo.

2 Ad dignoſcendum autem ætatem obligationis, non poteſt certa regula aſſignari: quidam enim Doctores ſeptennium, alij decimum quartum, nimium indulgentes, annum autumant; ſed quia in multis malitia ſupplet ætatem; ſint cauti Parochi, ne plus debito conniuentes pueros iàm doli capaces adhoc præceptum adimplendum, nimium protrahant: Plures enim minores ſeptennio peccata cognoſcunt; & eiſdem imputantur, vt Diuus *Greg. lib. 4. dialog. cap.* 18. Taſtatur de quodam puero quinquennali Deum Blaſphemante à Dæmonibus in ſinu proprij parentis occiſo. Ideo omnes pueros iam ſeptennes examinent, & ad confeſſionem aſſueſcant, & vnumquemq; id ætatis habentem obnoxium declarent ad hoc præceptum adimplendum: In cenſuras verò impoſitas contra tranſgreſſores, incurrere ſolos conſtitutos in decimo quarto, & non adimplentes, declaramus.

5 Atquè vt frequentandi cofeſſiones anſa præbeatur, in Eccleſijs procurentur inſtitui confraternitates, & ſodalitates cum conceſſione indul-

gentiarum , maximeq; Sacratiſsimi Roſarij B. Virg. in quibus frequentatio Sacramentorum exerceatur.

4 Porrò diebus feſtis hora magis congruenti ; vt dictum eſt ſupra in tit. de doctrina Chriſtiana, pueros, mulieres, & rudes plebes inſtruant de modo accedendi ad confeſsionem per veram contritionem, & ex quibus motiuis illa poſſit elici; de examine diligenti præmittendo; de modo benè confitendi cum omnibus conditionibus requiſitis, & circumſtantijs ex debito patefaciendis: de numero peccatorum aperiendo; detollendis occaſionibus propinquis; de cauſsis inualidantibus confeſsionem, de modo diſcurrendiper ſingulas ſpecies peccatorum , per comiſſionem, vel omiſsionem contra, vel præter præcepta Decalogi, & Eccleſiæ:in articulis fidei, vſu Sacramentorum, in peccatis capitalibus, operibus miſericordiæ ſenſibus corporis, tranſgreſsione legum diuinarum , & humanarum , & deniquè vbicumq; peccari poſsit. Doceant regulas, Vnde mortale à veniali dignoſci poſſit. Proficuum quoque erit agere quomodo peccatur in negotijs, mercaturis , & contractibus illicitis, per vſuras, venditiones, emptiones, mutua, commodata, ſocietates, & ſimilia. Item ſuper reſtitutionibus faciendis de ablatis, iniuſtè acceptis, & detemptis, & quo ordine, & quibus ſint faciendæ, & de adimplendis ſatisfactionibus Sacramentalibus, vt ſint ſatisfactoriæ, & meritoriæ, & demum alia ſuggerant ad hoc Sacramentum ritè peragendum neceſſaria, illa ſæpè ſæpius plebibus inculcando.

5 Confeſsio ipſa non adusq; hebdomadam maiorem protrahatur, quando cōfeſſarij; vel pœnitentum affluentia obruti, vel diuinis officijs ſatisfaciendis præpediti, vix ſuo muneri ſatisfacere poſſunt. Quare Parochi in prima Dominica Quadrageſimæ populum moneant, & à concionatoribus monendum curent, vt ſinguli confiteantur ante Dominicam Palmarum, vt antequam ſacra Communione reficiantur, mente quietiori omnes ſuæ conſcientiæ ſinus perſcrutando poſſint cum Deo reconciliari: exceptis, qui frequenter confitentur, nam hi confeſſarijs parum negotij faceſſunt.

6 Præter curatos in ſuis Parochijs deputatos, & alios confeſſarios particulares à nobis, vel à noſtris officialibus approbatos in ſuis domicilijs tantum. Nullus alius Sacerdos tam ſecularis, quam Regularis, cuiuſuis Priuilegij, facultatis, & indulti prætextu, admittatur ad confeſsiones audiendas perſonarum ſæcularium, quamuis presbyterorum, & clericorum, etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum: Niſi doceat de noſtra licentia, & approbatione, vel noſtrorum Officialium, præuio formali examine, & hoc non ſolum ex *Concil. Triden. decret. ſeſſ. 23. cap. 15 de reſor.* Sed etiam ex *conſtit. Vrbani. VIII. de anno* 1627. *die* 2. *Septembris incip. Cum ſicut &c.* Quam approbationem, & examen pro prima vice, nobis tantummodo reſeruamus.

7 Approbationes ſiue licentiæ ſupradictæ concedantur limitatæ pro certis locis & maximè regularibus, pro illis locis, in quibus ſunt monaſteria, vbi regulares ipſi ſunt de familia, & conceſsio fiat ad ſex menſes; quibus tranſactis, ſit in arbitrio noſtro, & noſtrorum officialium eoſdem iterum examinare, ſi confirma-

tionem

tionem requirant, iuxtà aliud Breue eiuſdem Vrbani. VIII. die 30. Ianuarij. Approbationes autem ad noſtrum beneplacitum quandocumquè libuerit reuocare, & annullare poſſumus, vt declarauit *Sac. Congr. Epiſ. in vna Papien. 19. Martij* 1619. Regulares item à nobis approbatos ſimpliciter, vel ad tempus non dum finitum, poſſumus pro libito ſuſpendere à confeſsionibus audiendis pro cauſſa pertinente ad ipsā confeſsionem noſtro iudicio benè viſam, quam non tenemur declarare ipſis regularibus, ſed tantum ſedi Apoſtolicæ, ſi petat illius declarationem, iuxtà Breue Vrbani. VIII. Epiſcopo *Ghienn. 30. Ianuarij 1629. ſupra relatum*, *& Sac. Congr. Epiſ & regular. in Oriolan. die* 30. *Auguſti* 1630. & demum ſi ex inaduertentia, vel alio caſu ſint approbati abſq; examine, poſſunt à nobis ſuſpendi, donec examinentur, vt eadem *cong. in Vercellin.* 31. *Iulij* 1615.

8 Quæ licentiæ regiſtrentur in particulari libro retinendo in noſtro Epiſcopali Archiuio, & fiat mentio de termino, & quod preceſsit examen.

9 Iidem regulares, quamuis in locis, vbi deputati ſunt, non indigeant delegatione Parochorum, tamen de obtenta licentia illos certiorent, ſi in Eccleſijs ſæcularibus confeſsiones ſint audituri, cùm ita congruum ſit.

10 Si quis non approbatus confeſsiones audire, & Sacramentaliter abſoluere præſumpſerit præter nullitatem abſolutionis: Ipſum in excommunicationem nobis reſeruatam incurrere eo ipſo declaramus.

11 Prouiſi de parochialibus regulariter facultatem habent audiendi confeſſiones in eiſdem parochijs, tam ſuorum ſubditorum, quam quorumcumque eo affluentium, nec alibi extra limites ſuæ Parochiæ per Diœceſim id efficere poſſunt, abſque noſtro ſpeciali conſenſu, & deputatione.

12 Similiter alij confeſſarij admiſſi ad confeſſiones audiendas, intelliguntur approbati pro loco ſui domicilij, & pro aduenientibus, etiam exteris, & ſunt quaſi coadiutores Parochorum, & ideo ſine eorum licentia peculiari id efficere poſſunt, vigore noſtræ approbationis.

13 Peregrini item, & alienigenæ de longinquis regionibus aduentantes, qui ſuorum negotiorum cauſa in Diœceſi tunc reperiuntur; quia difficile haberent tales licentias procurare; poterunt confiteri cuicumquè confeſſario approbato in illo loco, & de abſolutione atteſtationem recipere.

14 Cauti quoque ſint confeſſarij in excipiendis confeſſionibus alienigenarum effugientium præſentiam ſui ſacerdotis, nam plerique ſolent eſſe peccatores publici, concubinarij, vſurarij, reſtitutionibus obnoxij, conſuetudinarij in peccatis, & qui ſuos Parochos alias deceperunt, & proinde diffidentes de abſolutione, alienum adeunt, vt abſolutionem extorqueant. Quod facilè dignoſcetur ſi confiteantur enormia. Et quoniam impium eſſet huiuſmodi peccatorum iaculis ſauciatos dimittere immedicatos, & inconſultos, exemplo Sacerdotis, & leuitæ, qui vulneratum á latronibus curare neglexerunt. Ideo confeſſarius ipſe tamquam pius ſamaritanus oleum, & vinum infundat, ſciſcitando diligenter de ſtatu illius, de vicibus, in quibus fortaſſe confeſſus eſt ſine contritione, & in quibus proprium Sacerdotem deceperit, vt opportune eidem conſuli poſſit, & tunc ſi eum verè conuerſum,

ſum,& emendatum cognouerit, poſt repetitas inualidas confeſſiones. Si cum eo auctoritatem habeat, abſoluat, alioqui de opportuno remedio prouideat.

15 Et hoc plerumque accidere ſolet, cum tales alienigenæ habent caſus reſeruatos in ſua Diœceſi, & obinde ab illa egrediuntur in fraudem, vt ſuum forum effugiant. Ideo tales arceantur, ſi fraudulenter, & malitiosè deprehendantur accedere, forus enim non aggregatur foro in pœnitentiæ foro. Sin autem à tali repulſa probabiliter ſcandalum oriretur: Hæc in praxi ſeruanda præcipimus. Primo, ſi fraude ceſſante (in qua cognoſcenda ſit prudens confeſſarius) ille pœnitens confiteatur peccata, quæ ſunt reſeruata in ſua Diœceſi, ſed non in ea, in qua cōfiteatur, tunc poterit abſolui à quocumque approbato, quia extra Diœceſim ceſſat illa reſeruatio: è contra vero ſi confiteatur peccata non reſeruata in ſua Diœceſi, ſed tamen reſeruata in loco vbi confitetur, non poterit abſolui, niſi ab habente poteſtatem ſuper reſeruatis, quia in confeſſionibus ſemper attenditur forus loci, vbi fit confeſſio. Hoc autem intelligendum erit in caſibus reſeruatis ſpecialibus ab homine in illa Diœceſi, nō autem à reſeruatis Epiſcopo in Iure, nam in illis requiritur poteſtas abſoluendi à quocumque confeſſario, vt ritè abſolui poſſit.

16 Sin vero caſus habeat annexam cenſuram, & eo magis ſi de illa ſit denunciatus, erit remittendus ad ſuum ordinarium pro abſolutione.

17 Porrò ad intelligendum, quis dicatur ordinarius in hoc foro pœnitentiali, ſemper quando fit mentio de confeſſario approbato ab ordinario, vt ſolet eſſe in diplomatibus indulgentiarum, ille dicitur confeſſarius approbatus ab ordinario, qui fuit approbatus ab ordinario loci, in quo fit confeſſio, vt *Sacr. Congreg. iuſſu Pij V. reſcripſit Epiſcopo Valentino*.

18 Si continget aliquem confiteri peccata reſeruata, & non reſeruata, quamuis ſecundum opiniones multorum, probabile ſit poſſe abſolui à non reſeruatis, & pro reſeruatis remitti ad ſuperiorem: Pro maiori tamen ſecuritate, mandamus confeſſarijs talem dimittere ad prius procurandam facultatem ſuper reſeruatis illis, & ſic ab omnibus abſoluant, ne dimidietur confeſſio, & abſolutio ſit imperfecta, vel ipſe confeſſarius ſibi talem facultatem procuret: ſin autem ſcandalum, vel neceſſitas intercedat, tunc poterit vti modo ſupra poſito, & procurare, quam citius poterit, ſupradictam facultatem: Et hoc in reſeruatis ſimpliciter; nam ſi habeant annexam cenſuram: prius erit obtinenda facultas, & poſtea danda abſolutio, etiam à non reſeruatis.

19 Sciant item confeſſarij, quod ſi quis in articulo mortis confiteatur peccata cum annexione cenſuræ reſeruatæ etiam Papæ, poterit abſolui à quocumque etiam ſimplici Sacerdote, cum præcepto, vt ſi conualuerit teneatur adire illum ſuperiorem, cui reſeruata erat eadem cenſura non ad obtinendam abſolutionem à cenſura reſeruata, quia in illo articulo ceſſat omnis reſeruatio, nec regreditur, ſed vt ſe coram illo præſentet, & ſuam abſolutionem manifeſtando, ab eo mandata recipiat. Quod ſi ille facere neglexerit in eamdem reincidet cenſuram.

20 Extra caſum neceſſitatis caueant confeſſarij abſoluere à reſeruatis Papæ, & ordinarijs locorum, ſine debita facultate, quia nulla eſſet abſolutio, & ipſi abſoluentes

tes incurrerent in excõmunicationem, vt declarauit *Sacr.Congreg.die nono Ianuarij* 1601. *de mandato Clementis VIII.* & hoc intelligendum eſſe de Regularibus quoque cuiusvis religionis, & inſtituti, & ſocietatis, declarauit eadem *Congregat. Epiſc. de mandato Vrbani VIII. die ſeptimo Nouembris* 1628.

21 Si contingat confeſſarijs aduocari ad aliquem repentina morte proximum, vt non poſſit confiteri per verba, ſed per ſigna indicantia peccata, vel actum contritionis, tunc illum abſoluant. Sin autem neque per ſigna poſſit confiteri, nec dare inditium contritionis, ſed aliquis teſtificetur illum antea dediſſe ſigna contritionis, & petijſſe confeſſionem, erit item abſoluendus; quia illa contritio appellatur quaſi materia á *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Si verò nihil præceſſerit de his, & ille ſit prorſus ſenſibus deſtitutus, ſed tamen viuus, tunc ſi ille fuit bonæ vitæ, & ſolitus cõfiteri debitis temporibus, abſoluatur ſub conditione ſaltem tacita, ſi eſt capax, &c. & ſi dubitetur an ſit viuus, abſoluatur ſub conditione. *Si viuis ego te abſoluo à cenſuris, & peccatis, &c.* demum in his caſibus non eſt nimium ſcrupulis immorandum.

22 Non ſint valdè faciles confeſſarij imponere manus ſuper publicos peccatores, ne illi callum obducentes, in peccatis inſordeſcant, velati in concubinatu, odio, vſuris, &c. ſed eiſdem abſolutionem denegent, donec proximas occaſiones omninò tollant; ſin ſecus, præter inualiditatem actus, etiam ipſi abſoluentes peccatorum participes efficerentur. Quando autem ex tali denegatione grauia ſcandala oriri poſſint, exempli gratia, ſuper eijcienda à domo muliere, cum qua quis ſecretam habet copulam, vtantur confeſſarij ipſi cautelis aſſignatis à doctoribus in huiuſmodi negotio.

23 Sint cauti confeſſarij quomodo ſe gerere debeant in caſibus ſollicitationis in confeſſione, *iuxta Conſtitut. Gregor. XV. de anno* 1622. *die* 30. *Auguſti incip. Vniuerſi, &c.* & ad normam litterarum *Sacr.Congreg. impreſſarum in præterita Synodo*.

24 Presbyteri, quamuis ex conſuetudine, poſſint confiteri cuicumque confeſſario approbato, *vt decreuit Sacra Congreg. Epiſc.* 15. *Octobris* 1601. tamen vt ſecuriùs id efficere valeant: declaramus, & concedimus confeſſarios approbatos poſſe vbilibet in locis noſtræ Diœceſis audire confeſsiones ſacerdotum.

25 Porrò, quoniam, vt ſupra declaratum eſt, tam Parochi, quam alij Sacerdotes confeſſarij regulariter intelliguntur approbari pro ciuibus loci, vbi degunt, & pro affluentibus ad ea. Verumtamen ſi contingat vocari ab alienis Parochis pro auſcultandis confeſsionibus ſuorum conſanguineorum, & familiarium, maximé vbi nullus alius exiſtat confeſſarius. Tunc volumus talem confeſſarium accerſitum poſſe id efficere cum conſanguineis, domeſticis, & familiaribus curati aduocantis; & etiam cum alijs ab illo deſignandis, quorum confeſsiones ille probabiliter auſcultare non valet.

26 Innouamus decretum præteritæ Synodi de euitandis confeſſarijs locorum exemptorum non habentium approbationem à nobis, ad quos ſpectat, ad terminos *Conſtit. Gregor. XV. ſub titulo de priuileg. exempt. incip. Inſcrutabili, &c.* & hoc

cum

tum in noſtra Diœceſi multa ſint loca exempta intra fines, quæ à nobis viſitantur; & tamen nullo fundamento, ſed ſua tantum opinione ſuffulti, iactant ſe eſſe nullius Diœceſis, & proinde non comprehendi in Conſtit. citata. Attamen poſito & non concesſo, quod prætenderent eſſe nullius, ad nos ſpectat approbatio donec, &c. vt declarauit *Sacr. Congreg. in vna Conuerſanen. ſiue nullius 26. Iunij 1627.* in qua decreuit approbationem ſpectare ad Epiſcopum, donec per prætendentem probetur immemorialis, & quòd ſit nullius: Idquè nobis contigit quoq; in viſitatione Terræ Centulæ, nam cum quidam detrectantes recipere approbationem à nobis per examen ad miniſtranda Sacramenta, & ſignanter illud pœnitentiæ, ſub prætextu, quod ſint de Abbatia exempta, & Abbatem in ea habeat omnimodam iuriſdictionem, & iura Epiſcopalia; & ob inde fuiſſent à nobis ſuſpenſi, & per edictum noſtrum ſub cenſuris prohibiri miniſtrare abſquè noſtra licentia, & approbatione, fuit ab eorum Abbate reclamatum ad *Sac Congr.* & cauſa introducta, dato termino, & auditis partibus fuit per eamdem *Sac. Congreg.* decretum, vt ſequitur. *In cauſa inter Epiſcopum Caputaquen. ex vna, & Abbatem Centulæ ex altera die 12. Nouembris 1644. Sac. Congreg. Eminentiſsimorũ Cardinal. Concil. Trident. Interpret. cenſuit Epiſcopum Caputaquen. habere aſſiſtentiam iuris, & ideo poſſe illa vti, remedijs à Sac. Canonibus præſcriptis, cum ex aduerſo nihil releuans iuſtificatum fuerit. F. Cardin. Epiſcopus Sabinen. Paulucius S.C.Sec.*

27 Et hoc ius nobis aſſiſtens dicimus non ſolum eſſe expreſſum in antiquis Canonibus maximè 10. *q.* 1. Sed plenius, ac clarius *in Sac. Conc. Triden. ſeſſ. 7. cap. 7. & 8. de refor. item ſeſſ. 21. cap. 8. & ſeſſ 24. cap 9. de refor. & demum in conſtit. Greg. 15. de priuileg. exẽpt. incip. Inſcrutabili &c.* citata; quare illo poſſumus vti per iuris remedia contra inobedientes, vt ſæpius declarauit; *Sac. Congreg. & maximè de anno 1625. die 19. Septembris in vna Liman. & in Nebien. de anno 1632. die 7. Februarij, declarauit Epiſcopum in omnibus caſibus, in quibus ſibi ius aſſiſtit in regulares, & alios exemptos, poſſe cogere illos ad obſeruantiam per cenſuras,* ergo &c.

28 Sacerdotes, qui in noſtra Diœceſi non ſunt approbati ad Sacramentum pœnitentiæ, non poſſunt extra illam ab alijs approbari, ſiuè eligi, & deputari ad confeſsiones audiendas in ſua iuriſdictione, ſine litteris ſaltem dimiſſorialibus, in quibus deputentur ad Sacramentorum adminiſtrationem, *vt declarauit Sacr. Congregat. concil. ſuper cap. 15. ſ ſſ. 23. de refor. his verbis. Sanctiſsimus Dominus noſter audita relatione cõgregat. declarauit Epiſcopos vigore priuilegij, de quo in cap final. de pœnit. & remiſſ. non poſſe ſibi eligere Sacerdotem non ſubditum, qui à proprio ordinario non fuerit ad hoc, ad formam huius decreti concil. admiſſus, & approbatus ad audiendas confeſsiones.*

29 Non impendatur beneficium abſolutionis aſſerentibus, ſe nullo pacto poſſe ab aliquo peccato abſtinere, puta meretricibus, vſurarijs, in odio permanentibus, occaſiones proximas ſubmouere recuſantibus; Quorum confeſsiones audiri tantum concedunt Sac. Can. & dari monita ad reſipiſcendum, non autẽ abſolutionẽ, niſi formale propoſitũ abſtinẽdi habeant, & occaſiones reuera ſubmoueant.

30 De-

30 Decretum præteritæ Synodi de aſſignatione præcipui Curato pro miniſterio Sacramentorum, & confeſſarijs pro labore, toleramus ad noſtru beneplacitum in locis, vbi ſuppetunt Eccleſiæ prouentus: Dummodo confeſſarij omnino ſeruent conditiones ibidem relatas, & præterea coadiuuent Parochum in alijs Sacramentis miniſtrandis, doctrina Chriſtiana edocenda, & iuuandis agonizantibus ad benè moriendum, & ſimilibus actionibus.

31 Confeſſarij approbati in noſtra Diœceſi, non poſſunt extra illam audire confeſsiones, etiam Diœceſanorum, niſi in eos Iuriſdictionem ordinariam habeant, *vt declarauit Sac. Congreg. concil. die VIII. Maij* 1610. & hoc de ſæcularibus confeſſarijs, non de regularibus priuilegiatis.

32 Plerique medicorum ſanitatis corporalis, potiuſquam ſpiritualis ſatagentes, ægrotos viſitando, quamuis illos in certo vitæ diſcrimine conſtitutos agnoſcant, ad confeſsiones, & Sacramenta recipienda adhortari non currant. Vnde in pœnas ſtatutas *in concil. general. Lateranen. ſub. Innocent. 3. innouati in conſtitutione Pij V. de anno* 1566. *die* 11. *Martij, incip Super gregem, &c.* incurrent, & ſignanter interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, perpetuæ infamiæ, & priuationis gradus doctoratus. His itaquè obuiare volentes: Præcipimus medicis omnibus noſtræ Diœceſis infirmos non viſitare vltra tertiam vicem, quos confeſſos non inuenerint, niſi infirmitas ſit læuis & citra omne mortis periculum, ſub pœna interdicti, & aliarum pœnarum ſupranominatarum. Præterea inherendo mandatis eiuſdem conſtitutionis, mandamus Vicarijs locorum nomine noſtro prohibere eiſdem Medicis exercitiũ medendi, niſi iurent ſe eamdem conſtit. Pij V. ſeruaturos: vel probent idem Iuramentum emiſiſse in receptione inſignium, & gradus Doctoratus; & ne à quouis cauſa ignorantiæ prætexatur hoc decretum in feſtis Natiuitatis Domini, & Pentecoſtes à Parochis publicetur.

33 Cauti ſint confeſſarij, ne auaritiam, & mundanum lucrum potius quam animarum ſalutem affectantes, confitentibus paſsim imponant pœnitentias pecuniarias, vel miſſarum celebrandarum quas ſibi ipſis appropriant. Sed eo caſu alijs Sacerdotibus dandas iubeant, ſi adſint, nam ſatisfactiones pœnitentiales debent eſſe tales, vt contraria contrarijs curentur veluti lubricis continentiam tenacibus largitatem, elatis humilitatem &c. vt monet Diuus Gregor. ſeruetúrque in illis imponendis: *Decret. Concil. Trident ſeſſ* 14 *cap.* 8. Idemque agant in reſtitutione ablatorum, & ſi quando penes ſe reponantur, illa protinus veris patronis conſignent.

34 In facienda abſolutione publicè excommunicatorum, ex delegatione Pontificia, vel noſtra, & in diſpenſatione ſuper irregularitatibus, relaxatione interdicti, abſolutione à ſuſpenſionibus, interdictis, & alijs ſeruetur forma commiſsionis, & formulæ adhibeantur, ex Rituali Romano.

35 Et quia grauiſſimum negotium eſt, quod confeſſarij tractaturi ſunt putà ſalutem animarum: & ideò multa opus eſt ſcientia, & prudentia pollere, monemus quotquot ad hoc miniſterium cooptari cupiunt; ſeſe diutius exercere in ſtudio moralis Theologiæ, & caſuum conſcientiæ, vt quando examini ſubijciantur,

poſsint

poſſint adæquatè reſpondere, & interrogationes proponendæ, vt plurimum ſequentes erunt. Quid ſit Pœnitentia. De eius neceſſitate. Quare, & à quo ſit inſtituta. Quæ ſit Pœnitentia virtus, & pœnitentia Sacramentum. Quæ ſit eius materia proxima, & remota. Quæ forma. Qui effectus. Quis miniſter proprius, & delegatus. Quæ conditiones requirantur. Quomodo dignoſcatur mortale à veniali. Quæ ſint partes pœnitentiæ. Quæ ratio ſingularum partium. Quid ſit contritio. Quæ ſint neceſſaria ad eius perfectionem. Qui ſint fructus, & vtilitates illius. Quomodo quis poſſit illam acquirere. Quæ ſint ſigna veræ contritionis. Quæ ſit attritio, & quotuplex. Quæ nam ſit ſufficiens adiuncto Sacramento. Quomodo faciendum ſit examen conſcientiæ. Super quibus ſit faciendum. Quæ ſit confeſſio. An ſit neceſſaria. Quæ eius natura, & ſubſtantia. Quæ ſint ſpecies peccatorum. Quæ peccata ſint neceſſario confitenda. Quæ ſint circumſtantiæ. Quæ illarum in confeſſione manifeſtandæ. Quomodo mutent ſpeciem. Quæ peccata ſint obnoxia reſtitutioni. Quæ ſint radices, & cauſæ reſtitutionis. Quomodo, cui, quando, quid, & vbi ſit reſtituendum. Qui contractus ſint illiciti, vſurarij, & prohibiti, vel ſaltem dubij, & ſuper quibus debeat fieri dubitatio, & conſultatio. In quibus caſibus cadat reſtitutio in emptione, venditione, mutuo, cenſibus, cambijs, locatione, conductione, emphyteuſi, ſocietate, ludo, ſponſionibus, depoſito, commodato, fideiuſſione, pignore, hypotheca, iniuſta acceptione, vſura, furto, rapina, iniurijs, damno dato, & ſimilibus. Sciant pariter caſus, in quibus ſunt annexæ cenſuræ. Quæ, & quot ſint cenſuræ. Qui earum effectus. Quibus inter ſe differant. Quæ ſint pœnæ canonicæ. In quibus differant à cenſuris. In quibus caſibus incurratur in Iure Irregularitas, ſuſpenſio, & interdictum. Quando ſit confitendum. Quomodo confeſſio fiat inualida, & quando iteranda. Quando ſit ſtatim confitendum. Quando excuſat. Quæ ſit ſatisfactio. Quæ eius partes. Qui finis. Qui fructus, & vtilitates. Quæ ad illa requirantur. Quomodo ſint imponendæ ſatisfactiones. Quid ſit abſolutio, eius forma, & quomodo impertienda. Quæ ſint formæ abſoluendi à peccatis, & cenſuris, & diſpenſandi ſuper irregularitate. Sciant præterea quouſq; ſua ſe extendat facultas; nè abſoluant à cenſuris in caſibus reſeruatis Papæ, & ordinarijs: Quæ vt in promptu habeantur, operæ pretium eſſe duximus colligere catalogum omnium excommunicationum in Iure, tam reſeruatarum Papæ, quam nulli. Nec non caſuum omnium, vbi ſuſpenſio, & interdictum de Iure incurritur, vt facilius memoriæ mandari poſsint.

36 Pro faciliori functione huius grauiſsimi muneris, praxim quamdam excipiendi confeſsiones annectere placuit.

37 Primo confeſſarius videat ſi in pœnitentem ſibi præſentem habeat Iuriſdictionem propriam, vel delegatam, cum aliter non poſſit illum ſoluere, neque ligare.

38 Secundo, ſi non ſit perſona nota; ſciſcitetur de eius ſtatu, conditione, & profeſsione, vt opportunas interrogationes formare poſsit.

39 Tertio quanto ab hinc tempore non ſit confeſſus, vt videat, an adimpleuerit præceptum.

40 Quarto

40 Quarto, ſi quando fecit confeſsionem inualidam, & imperfectam ſcienter ob defectum contritionis, vel ſaltem perfectæ attritionis, non habens formale propoſitum abſtinendi à peccatis, vel aliquid mortale malitiosè tacuit, aut alia de cauſa confeſsio fuit inualida. Nam eo caſu ſi talis pœnitens ſuam malitiam non corrigendo, alias ſcienter adiunxerit confeſsiones, etiam cum debitis circumſtantijs; omnes ab illa inualida, ſunt quoquè inualidæ, & repetendæ; & vitium eſt manifeſtandum. Sin autem pœnitens inculpabiliter oblitus illius primæ inualidæ, alias ſequentes bona fide fecerit, ſufficiet, dum recordatur, illam primam inualidam ſupplere: Et demum diſcurrat per alios caſus, in quibus confeſſio ſit inualida ex parte pœnitentis, & confeſſarij.

41 Quinto videat, num pœnitens præmiſerit examen ſuæ conſcientiæ diligenter perſcrutando omnes illius latebras; ſi rememorata peccata deteſtetur, & dolorem eliciat. Alioqui ſi nullum, aut momentaneum examen fecerit, nec de peccatis in amaritudine animæ ſuæ doleat, erit dimittendus ad melius ſeſe diſponendum.

42 Sexto, num occaſiones proximas ſubmouerit peccatorum; ab odio proximi non ceſſet, aliena potens non reſtituat, concubinam non eijciat, &c. quia ſi talis ſit, non erit abſoluendus.

43 Septimo, num habeat reſeruata ad quæ ipſius confeſſarij non extendatur facultas.

44 Octauo, ſi ſit pater familias: ſciſcitetur de regimine familiarium, & ſi illos frequentare Sacramenta curat.

45 Nono, ſi pœnitens ſit ruſticus, an ſciat rudimenta fidei, & doctrinam Chriſtianam.

46 Decimo: Si nullum prædictorum obſtet: Iubeat pœnitentem proprio ore ſua peccata confiteri, & vbi viderit illum in aliquo deficere, adiuuet inſtruendo de modo benè confitendi, & diſcurrendi ſuper præceptis decalogi, & Eccleſiæ, & reliquis capitibus ſupra narratis, & interrogando, habeat rationem ſtatus pœnitentis, ne interrogationes admiſceat importunas.

47 Vndecimo, ſit cautus perquirere circumſtantias non modo mutantes ſpeciem, quæ ſunt neceſſario confitendæ, ſed aggrauantes, & minuentes, vt poſsit diſcretas ſatisfactiones irrogare: exemplum ſit. Si quis confiteatur ſe carnaliter peccaſſe. Interroget cum quali perſona, quoties, quomodo, ſi eſt conſuetudinarius, ſi de facili habet acceſſum. Si publicè ad illam diuertat, ſi domi retinet cum ſcandalo, nam tunc erit concubinatus, cui eſt annexa cenſura.

48 Duodecimo; audita confeſsione, ſi poſſit, abſoluat, pœnitentiam irrogando pro modo culpæ, non nimis rigidam, vt ille adimplere poſſit, nec adeò læuem, vt anſam præbeat ad peccandum, & ſit non modo peccatorum præteritorum purgatiua; ſed à futuris præſeruatiua. Super prædictis ſe benè exerceant hoc munus aggreſſuri, & à Doctoribus, & Summiſtis omnia addiſcant: alioqui ipſi cæci erunt, & duces cæcorum, & propterea in foueam cadent damnationis æternæ.

49 Porrò non ſint negligentes Parochi annunciare populo, vt ceſſent à peccatis, & ſe corrigant, alioqui ſi ipſimet tacuerint, expaueant horrendum illud à Deo comminatum Iudicium *Exechiel cap.* 33. ſciantq; à ſe ipſis amiſſionem animarum concreditarum à Deo repetendam fore.

50 Enarrent vtilitates freqnentis confeſsionis, nempè remiſſionem peccatorum, recuperationem diuinæ gratiæ; aditum ad regnum Cœlorum; ſanitatem animæ, tranquillitatem conſcientiæ, meritorum reuiuificationem, iuxta illud Exechiel cap. ſupra citato. *Impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua &c.* & demum roboratio ſpiritus aduerſus carnis, & diaboli tentationes.

51 Et quoniam ipſius Diaboli inſultus eo potiſsimùm videntur collimare, vt pœnitentem inducant in diffidentiam, & difficultatem ſe extricandi à peccatis, nimirum ob multa reſtituenda: & quia cum ſit immundo carnis cæno, & mundi illecebris inuolutus, deſperat diſſolutionem, vel quoniam mercaturis, & vſuris implicitus, durum habet illas omittere, & ſimilibus, In his omnibus prudenter, & dexterè confeſſarius ſegerat, inſinuando quam magna ſit iactura regni cæleſtis, vt habetur *Matth* 8. *Quidprodeſt homini, &c.*

52 Confirmamus reſeruationem caſuum, & cenſurarum in præterita Synodo anni 1629. Eminentiſsimi Brancacij, cum annexis declarationibus, & cautelis ſeruandis vt in appendice eiuſdem Synodi habentur donec à nobis alia prouiſio ſuper illis facienda ſit.

53 Innouamus etiam decretum eiuſdem Synodi ſub hoc titulo, & de nouo concedimus facultatē Parochis, & eorum ſubſtitutis abſoluendi à caſibus reſeruaris, vbi non eſt annexa cenſura à feria quarta cinerum, per totam octauam Paſcatis.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Titulus XIII.

TRanſiturus Dominus Ieſus ex hoc mundo ad patrem Quia humanum corpus aſſumptū ab oculis noſtris erat ablaturus, & in cœlos ad dexteram Dei illaturus. Cum promiſiſſet Apoſtolis, non relinquere orphanos in ſe ipſum credentes; ſed vſquè ad conſummationem ſæculi cum ipſis permanere; Ea propter ne eos vera, & reali ſui diuini, & pretioſi corporis exiſtentia priuaret; In nouam ſuorum mirabilium memoriam, in vltima cœna Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui conſecrauit, ſub ſpeciebus materialibus pani, & vini contentum: Vt iugiter conferatur per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium: Et quia quotidiana currebat pro hominum ſalute redemptio, perpe-

perpetua quoque eſſet redemptionis oblatio; Et perennis illa victima viueret in memoria, ac præſens eſſet in gratia. O verè perfecta hoſtia, fide non ſenſibus extimanda: Non vſu exteriori cenſenda, ſed interiori affectu credenda. Quam veritatem cum ipſe Dominus confirmet, in ipſo actu inquiens. *Hoc eſt Corpus meum: Et hic eſt ſanguis meus, &c.* Nihil erit ambigendum, imò aſſeueranter fatendum, hoc eſſe veritate verius; Quandoquidem qui auctor eſt muneris, idem teſtator eſt veritatis. Quòd ſicut ſub ſpeciebus prædictis materialibus panis, & vini conſecratis ab ipſo Domino, verum corpus, & ſanguinem cum anima, & diuinitate ſui ipſius, nobis reliquit memoriale expreſſiuũ ſuæ paſſionis ad cultum, & præſentiam dicens. *Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi.* Et in refectionem animarum dicens. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Pari modo per poteſtatem ab ipſo communicatam ſuis diſcipulis, & ſucceſſiuè noui teſtamenti ſacerdotibus; hoc idem ſacramentum, ſub eiſdem ſpeciebus, & verbis in perſona Chriſti conficitur, & conſecratur. Tremendum hoc igitur, & venerandum ſacramentum, eumdem Chriſtum Deum eſſe aſtruamus, colamus, & maiori, qua poſſumus puritate ad ipſum ſumendum accedamus, vt eidem incorporemur.

1 Quapropter peruigilent animarum curati in recognoſcendo ſtatum animarum, & pueros, & puellas vſum rationis habentes, inſtruant de eſſentia huius auguſtiſsimi Sacramenti, de eius effectibus, & de neceſſaria præparatione ad illud, & quando iam decimum annum attigerint, ipſos hac ſacramentali refectione carere, non permittant; nè diutius tanto beneficio ad ſpiritualem vitam neceſſario, priuentur; *nam qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Qui autem hoc negligenter omiſerint, grauiſsimas pœnas nobis reſeruatas incurrent.

2 Porrò priuſquam pueros in tali ætate conſtitutos admittant, de eorum habilitate, & diſpoſitione, per aliquot præmiſſas confeſsiones, experiantur, & etiam in docenda doctrina Chriſtiana. Præterea eoſdem cathechizent aſtruendo, quod in illa ſacra communione ſumitur verum, & reale corpus, cum ſanguine, anima, & diuinitate Chriſti Dei. Simulque inſinuant, quàm vbertimi gratiarum riuuli ex tali diuino fonte ad omnes dignè ſumentes emanent; Qua puritate ad tale Sacramentum ſit accedendum, & quam grauia ſupplicia indignè ſumentibus ſint reſeruata.

3 Et cum in ſupracitato cap. *Omnis vtriuſque ſexus.* Concil. Lateranen. videatur deſignatum tempus præcepti annuæ communionis adimplendæ eſſe in Paſchate; hoc tamen non præcisè de illo ſolo die intelligendum, generalis vſus Eccleſiæ, & *Conſtit. Eugen. IV. incip. Fide digna, &c. de anno* 1440. *de* 8. *Iulij* declarauerunt; ſed tempus incipere à Dominica Palmarum per totam Dominicam in albis, neque poteſt anticipari à tertia Dominica Quadrageſimæ, vel differri ad tertiam Dominicam poſt Paſcha, vt declarauit *Sacra Congregatio Rit.* 15. *Februarij* 1614. *in vna Granaten.*

4 Communionem pro adimplendo præcepto, mandamus fieri in propria Parochia, & ſi alibi fiat ſit de licentia Parochi, vt ille poſsit notitiam habere, num

omnes ſui Parochiani præceptum adimpleuerint, & ſi taliter fiat extra Parochiã, communicatus atteſtationem afferat, & ponatur in libro.

5 Decurſo tempore præcepti adimplendi, nimirum poſt Dominicam in albis, Parochi inter Miſſarum ſolemnia, moneant omnes non communicatos, iam præcepti tranſgreſſores effectos eſſe, & obinde vltra peccatum admiſſum, reos eſſe pœnarum, & cenſurarum in eodem *cap. Omnis*, comminatarum, nempè interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, vt eoſdem ſic lapſos iuridicè poſsimus tales declarare. Mandantes ipſis Parochis, vt noſtro nomine publicè monendo, citent omnes non communicatos, quòd niſi infra alios octo dies, ideſt per totam ſecundam Dominicam poſt Paſcha, cum effectu non communicauerint, per noſtram Curiam, abſque alia citatione, & monitione, ſed ſola relatione Parochi in pœnas, & cenſuras ſupradictas incurſi publicè declarabuntur, & huiuſmodi contumaces protinus tranſacto tempore præcepti denuncientur ſub pœna ducatorum viginti, & tales adimplentes in ſecundo termino poterunt abſolui, ſed non ſine graui pœnitentia, obuiolatum præceptum.

6 Quando verò legitima cauſa ſubſit differendi, tunc Parochi talem dilationem vltra menſem protrahere nequeant, ſed à nobis petatur dilatio, quæ non dabitur, niſi cognita iuſtitiæ cauſæ.

7 Per hoc decretum nullum fiat præiudicium noſtræ Curiæ, ſi velimus tranſgreſſores in pœnis pecuniarijs multare, *& iuxta decretum Sacræ Congreg. Concil. die* 30. *Ianuarij* 1587.

8 Singulis annis ab omnibus Parochis, & animarum curatoribus ad nos ſtatus animarum ſibi ſubiectarum tranſmittatur, ſaltem per totam Dominicam Pentecoſtes, ſub graui pœna arbitraria; & ad hoc tenentur etiam regulares curam animarum ſæcularium ſuſtinentes.

9 Et quia in frequentia communicantium, deficientes non facile internoſci poſſent: tunc vel Parochus deſignet perſonas, ad deſcribendum nomina communicantium: vel pridie præparet multas pagellas ſuo ſigillo obſignatas, & in actu communionis ſingulis ſingulas pagellas ab aliquo clerico tradi faciat, & deinde eoſdem moneat receptas pagellas poſt Octauam Paſchatis ſibimet Parocho reſtituere, vt poſsint nomina reſtituentium deſcribi: & ſi quando ab alijs ſacerdotibus communicabuntur, idem ſeruandum iubeat. A communicatis extra Parochiam requirat atteſtationes, alias eoſdem denunciet. Deinde conferat liſtã communicantium cum libro ſtatus animarum, vt dignoſcere poſsit, num omnes idonei, communionem ſumpſerint.

10 Quotannis renouetur liber ſtatus animarum, ita vt in prima Dominica Quadrageſimæ ſit confectus, vt dignoſci poſsint obligati ad communionem, & qui contrafecerit, pœnam ducatorum ſex incurrat.

11 Ante communicandos apponantur mantilia munda, & Diaconus comitetur Sacerdotem communicantem, ſupponendo pallam mento cuiuſque communicandi, ne fortè hoſtia Sacra decidat: non apponat patenam calicis, quæ in ſola communione facienda ab Epiſcopo apponenda erit. & prohibeatur commu-

nicandis

nicandis oſculari manum communicantis Sacerdotis.

12 Propinatio aquæ communicandis vbi eſt in vſu, non improbatur.

13 Sacerdos in altari exiſtens, nullius proximè communicaturi reconciliationem peccatorum audiat.

14 Particulæ conſecratæ ſi numero non ſufficiant communicandis, non diuidantur extra caſum neceſſitatis; Ideo potius plures, quam pauciores conſecrentur, & ſi vltra decem ſint particulæ, tunc intus pixidem, non ſuper patena exiſtentes diſtribuantur, ne decidant.

15 In Dominica Paſchæ nullus communicet in Eccleſijs regularium, ſiuè laicus, ſiuè clericus, niſi ſit de ipſorum regularium familia, clauſtraliter, & actu deſeruiens. *nam Sacr. Congreg. Concil. die ſecunda Martij* 1619. declarauit regulares illa die non poſſe miniſtrare populo Sacramentum Euchariſtiæ, quia expreſsè prohibitum fuit ab Eugenio I V. Quinimmò ſi regulares miniſtrent ſine ne licentia, incurrunt excommunicationem *Clementinæ prima de Priuileg.* & hoc fieri prohibetur illa die, etiam cauſa deuotionis in Eccleſia regularium non habentium curam animarum ſæcularium *ab eadem Sacr. Congregat. Concil. de anno* 1586. *die* 23. *Ianuar.* & 1615. *die* 14. *Martij.* Præterea tempore præcepti, etiam extra diem Paſchatis ſuſcipiens Euchariſtiam de manibus regularium, quamuis priuilegium habentibus illam miniſtrandi extra diem Paſchæ, non ſatisfacit præcepto, ſi non recipiat de manu Parochi, vel de eius licentia, *vt decreuit eadem Sacr. Congregatio, die* 31. *Maij* 1601.

16 Ex his itaque aduertant ſeculares ſeruitia præſtantes in locis regularium, & qui ex hoc ſunt commenſales, quod niſi ſint de eorum regularium numero, & regula, veluti tertiarij, & ſimiles, tenentur adimplere præceptum communionis in propria Parochia, ſicut merè laici, *vt decreuit eadem Congreg. de anno* 1576. *die* 20. *Februarij, &* 28. *Martij* 1594.

17 Burſam pro aſportanda pixide, cum ſacratiſſimo viatico ad infirmos tempore noctis, & pluuiæ, & quandocumque non poteſt deferri vmbella ſine periculo, à nobis ordinatam in viſitationibus, & à Rituali in rubricis memoratam: Multis in locis prouiſam non inuenimus. Quapropter præſenti decreto præcipimus in vnaquaq; Parochia infra tres menſes ſub pœna ducatorum trium, comparari aurophrigiatam vel ſaltem ſericeam albi coloris cum cordulis oloſericis, vt commodè de collo pendeat, & in ea includatur pixis aſportanda cum Sanctiſſimo viatico. Simulq; ſub eadem pœna, & in termino prouideatur de velo oblongo ſubſerico tenui palmorum quinque eiuſdem coloris albi cum lacinijs circum, & laqueis cum flocculis, quod circa collum adaptetur, & de vtroque humero pendeat Sacerdotis deferentis pixidem, quæ cum parte eiuſdem veli contegatur.

18 In aſſociatione Sanctiſſimi, decem ad minus intortitia accenſa deferantur, & duæ laternæ ad minus ſimiliter accenſæ.

19 Quando acceditur ad domum infirmi valdè inopis, deferatur ab ipſa Eccleſia linteum mundum, pro operienda menſa, in qua reponitur pixis.

20 Si

20 Si infirmus periculoſè ægrotans viaticum ſumpſerit, & poſt dies aliquot ex deuotione petierit iterum communicari, eidem concedatur, ſed non per modum viatici, quod ſemel præbeatur in eadem infirmitate.

21 Omnes de clero, tam in ſacris, quam in minoribus conſtituti feria quinta in Cęna Domini communicent, vt decreuit *S.C. Rit. die* 27. *Septembris* 1608. & Sacerdotes geſtent cottā cum ſtola circa collum, clerici verò cum ſola cotta

22 Eadem feria quinta, & ſequenti non aſportetur Sacramentum proceſſionaliter extra Eccleſiam, vt eadem *Sacr. Congreg. Rit. die* 18. *Auguſti* 1606.

23 In eadem feria quinta, ſacramentum ſeruandum in craſtinum in capella præparata more ſolito in ſignum Dominicæ ſepulturæ, reponatur intus calicem; non autem in pixide, aut tabernaculo oſtenſorio; & calix ipſe non teneatur in propatulo, ſed intus capſulam ligneam benè coloratam, & efformatam ad inſtar ſepulchri marmorei, de qua capſula vnaquæquè Eccleſia Parochialis prouideatur infra ſex menſes, ſub pœna ducatorum quinque; & capſula ipſa commodè capiens calicem, claudatur claue retinenda à Parocho, non ab alijs, præcipuè laicis, vt prohibuit *Sacr. Congreg. Rit.* 22. *Nouembris* 1631. & 17. *Septembris* 1632. In eadem capſula includatur pixis cum aliquot particulis conſecratis pro communicandis infirmis in caſu repentino, & nihil retineatur intus tabernaculum altaris, & ſacramentum ipſum in Calice deferatur ab ipſomet Sacerdote, qui celebrauit, *vt ead. Congreg.* 2. *Iulij* 1618. *in vna Syracuſana Modica.*

24 In eadem fer. 6. nullus, præter infirmos, communicetur, *vt Sac. Congreg. Rit.* 19. *Februarij* 1622.

25 Prohibemus retineri Sacramentum Euchariſtiæ in capellis Confraternitatum, & Oratorijs Congregationum laicorum, ſine noſtra expreſſa licentia, non obſtantibus quibuſvis priuilegijs, & conſuetudinibus, vt decreuit eadem *Congreg. Rit.* 19. *Iunij* 1604. non enim pro ſola adoratione retinendum eſt.

26 Non exponatur idem Sacramentum publicè pro oratione quadraginta horarum extra Parochias, in eiſdem capellis priuatis, vel in Eccleſijs Regulariū, ſine noſtra ſpeciali licentia, ſub quouis prætextu, vt decreuit *eadem Congreg. Rit. in vna Aſculana* 3. *Aprilis* 1632. & *Congreg. Concil. in Neapolitana* 17. *Auguſti* 1630. De nocte ceſſet oratio, quæ incipiat circa ortum ſolis, & deſinat in occaſu, & ſemper à nobis, vel noſtris Officialibus petatur licentia.

27 Recepturi ſacram communionem moneantur, qua reuerentia ſit accedendum ad tam Sacrum Conuiuium, & compoſitione non ſolum interiori; ſed quoq; exteriori, oculorum demiſſione, & cultus obſeruantia. Ideò ad ſacram ipſam Synaxim, non accedant feſtinanter, ſe mutuò cōprimentes, nō mixti homines cum fœminis, non armati; non vano luxu, & ornamento nitentes, maximeq; mulieres, quæ frequenter fucatæ, & calamiſtratæ accedere conſueuerunt: Ideò talibus, inſinuetur, quanta ſit irreuerentia ſic accedere, & quod ſibi cōmunio denegabitur.

28 Quando Sacramentum ad infirmos, vel proceſſionaliter geſtatur præcipimus Eccleſiaſticis omnibus præſentibus, illud venerando obſequio comitati, & monemus quoq; laicos eumdem cultum, & obſequium præſtare.

De

De Celebratione Miſſarum.

Titulus XIV.

DIVINVM, & admirabile Miſſæ ſacrificium, excedens cuncta quotquot ſub priori teſtamento fuerunt oblationes, & holocauſta; In quo Deus ipſe immolatur, & ſumitur. Cum ſit illius cruenti ſacrificij repræſentatiuum, in quo Dominus Ieſus ſe ipſum Patri in ara Crucis, pro totius mundi redemptione, obtulit, vna enim eademque eſt hoſtia, ſola offerendi ratione diuerſa, per modum incruentum. Cumq; ſacrificium hoc à Chriſto in nouiſſima Cœna inſtitutum, & ſacerdotibus noui teſtamenti quotidie offerendum, demandatum ſit, verè propitiatorium pro peccatis: vt ſi recto corde, vera fide, & reuerentia, contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam, & gratiam indubitanter ſimus impetraturi. Cumq; non modo ſit propitiatorium pro peccatis, & ſatisfactionibus viuorum; ſed etiam pro defunctorum nondum purgatorum expiationibus, apprimè proficuum eſſe Catholica docuerit, & doceat Eccleſia: Offertur namq; pro viuis & defunctis; vt omnibus proſit, quod pro omnium ſalute fuit inſtitutum. Hoc ergo diuinum miniſterium tam ſanctum, ſanctè itidem tractandum eſſe aſtruamus, & Sacerdotes ſacrificantes, maxima animi reuerentia, cordis veneratione, & conſcientiæ puritate nitere omnino debere. Vnde ſacrificium hoc miniſtraturi, ſe tales non agnoſcentes, abſtineant potius; non enim parua imminet pœna indignè ſumentibus: Cogitentq; ſeſe illum, quem in Cœlis dominantem Angeli trementes adorant, de ſinu patris eſſe reuocaturos, manibus contrectaturos, & in ſuis viſceribus verè, & realiter recepturos.

1 Neque ſolum animæ puritate pollere debet Miſſam celebraturus, ſed in presbyteratus ordine ab Epiſcopo ritè promotum eſſe oportet; alioqui pro ſacrificio ſacrilegium, & pro Sacramento Idololatriam operaretur ſeſequé vltimo ſupplicio etiam corporali damnaret. Namq; ſi quis ad presbyteratum non promotus Miſſas celebrare, confeſsiones audire, & pænitentes abſoluere attentaret, erit pro delicto à Tribunali Supremæ inquiſitionis, inquirendus, degradandus, & Curiæ ſæculari tradendus, vltimo ſupplicio plectendus. *iuxta conſtit. Pontificias, nimirum Gregor. 13. de anno 1576. die 16. Auguſti Clement. VIII. de anno 1601. die primo Decembris incip. Si alias &c. & demum Vrbani VIII. de anno 1628. die 23. Martij incip. Apoſtolatus &c.*

2 Atqui, cum decreto Sac. conc. Trid. Statutum ſit Sacerdotes peregrinos non eſſe admittendos ad celebrationem, litteras commendatitias ſuorum ordinariorum non afferentes: Ea propter præcipimus, à noſtris Curatis huiuſmodi Sacerdotes alienæ Diœceſis ad celebrandum in Eccleſijs noſtræ iuriſdictionis,

non

non admittere non habentes litteras huiuſmodi, ſub pœnis grauibus noſtro arbitrio reſeruatis. Niſi tales Sacerdotes ſint ex locis vicinis, & curato loci bene ſint noti eſſe verè Sacerdotes bonæ vitæ, vt *decreuit Sac. Congreg. Epiſ. 26. Ianuarij* 1588.

3 Et hoc idem ſeruandum erit in Eccleſijs Regularium, *Quia Sac. Congr. Conc. de anno* 1594. *die* 12. *Nouembris* decreuit, nos idipſum Regularibus præcipere poſſe. Celebrantes itaq; contra formam huius decreti pœnam incurrent carceris duorum menſium, & Sacriſtæ etiam regulares ſuſpenſionem à diuinis. iuxta decretum *Sacræ Congregation. in vna Neapolitana* 17. *Augusti.* 1630.

4 In Eccleſijs Monialium nullus celebret abſq; noſtra licentia, ſub pœna ſuſpenſionis, & in approbatione Sacerdotum ad celebrationem, hæc conditio taxatiua ſemper cenſeatur appoſita.

5 In Oratorijs, & Capellis domorum priuatarum, non poteſt celebrari, neque itē fundari poſſunt, ſine facultate Apoſtolica, *ex motu proprio Pauli V. vt ex litteris Cardinalis Lancellotti X. Maij* 1615. & ad fundationem requiritur Breue Pontificium dirigendum ordinario loci.

6 Prohibemus quoque celebrari in Oratorijs, & Capellis Hoſpitiorum, & locorum regularium, niſi Ianuæ pateant ad vias publicas, & per eas omnibus peruius ſit ingreſſus, nec adſint feneſtræ, per quas à domibus adiunctis poſſit ad dictas Capellas haberi proſpectus. Habeant requiſita neceſſaria, nec præiudicetur iuribus Parochi libus, *vt Sac. Congreg. Epiſc. & regul. reſpondit die* 11. *Septembris* 1615. *fratribus reformatis S. Franciſci conquerentibus de decreto prohibente Archiepiſcopi Florentini*.

7 Quinimò pro capellis extruendis, vel etiam extructis iuxta ædes Priuatorum, opere prætium eſſe duximus apponere decretum *Sac. Congreg. concil. in vna Caninbricen. die prima Iulij* 1616. *in hæc verba. Quia decretum Sac. Cong. Cardin. Sac: Conc. Triden. Interpret. de mandato Santiſſimi Domini noſtri iam pridem æditum Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium, in illis tantum Oratorijs, quæ in priuatis domibus habentur celebrari vetat, Capellas verò, & Eccleſias publicas ab eiſdem domibus ſeiunctas non complectitur. Illuſtriſſimi huius Sac Congr. ad amplitudinem tuam ſcribi iuſſerunt, vt in Oratorio, ſeu Capella, quam Andreas de Almeida Catholici Regis Senator in Ciuitate Portuenſi, propè ſuas ædes ſuperioribus annis extruxit; rem ſacram fieri permittat; Dummodo idem Oratorium, ſeu capella, publico in loco ſita ſit, atq; ita à priuatis domibus ſeparata, vt per eas ad Capellam huiuſmodi iri minimè poſſit, ad eamdem liber acceſſus à via publica pateat capax, decenterq; exornata exiſtat; neque aliquid eorum, quæ ad ſacrum in ea faciendum neceſſaria ſunt, deſideretur: Ac demum caueatur ne indè Porochialis Eccleſiæ Iuribus nullum præiudicium inferatur.*

8 Et quoniam in Breuibus Pontificijs conceſſionum huiuſmodi Oratoriorum in domibus priuatis, ſit taxatio, vt ne celebretur in feſtis ſolemnibus: tales ſolemnitates declarauit *Sac, Congreg. rit.* 17. *Nouembris* 1607. *eſſe feſtiuitates*

Natalis

Natalis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Annunciationis, & Aſſumptionis Beat. V. Mariæ, Sanctorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum.

9 Aduertenda quoq; erunt verba in illis apponi conſueta, nempè, quod cõceduntur petentibus intuitu, vt ipſi petentes ibidem cum ſua familia Miſſam auſcultare valeant, & præceptũ adimpleant. Quare abſente Domino, domus videtur ceſſare conceſſio adimplendi præceptum inibi.

10 Nemo audeat habere feneſtras à ſuis domibus reſpicientes in Eccleſias, eiſdem domibus coniunctas promiſſa indidem auſcultanda; nam hoc prohibitũ fuit *à Sac. Congreg. rit. die* 19. *Iunij* 1604. & eſt ſolummodo conceſſum Epiſcopis; quibus etiam licet indifferenter celebrare, & celebrari facere in Capellis ſuorum Palatiorum, *vt Congreg. Epiſcop. die* 14. *Nouembris* 1604.

11 In Oratorijs publicis, & alijs Capellis intra habitatum in feſtis de præcepto ante Miſſam Parochialem celebrari prohibemus *ex decr. Congreg. Epiſc.* 24. *Maij* 1585. non autem in Oratorijs, ſeù Capellis campeſtribus, vel ruri ædificatis, *vt eadem Congreg.* 18. *Septembris* 1627.

12 Quando in legatis Miſſarum celebrandarum, non eſt deſtinatus locus, ſiuè altare, tunc erit in arbitrio celebrantis electio, ſed determinatè, vt poſſit innoteſcere de ſatisfactione, *ex decr. Congr. Epiſ. die* 17. *Ianu.* 1594.

13 Multa extant altaria priuilegiata pro defunctis cum aſſignatione dierum veluti feria ſecunda: In his ſciendum erit, quòd Miſſa erit celebranda de Requiẽ, aliàs indultum non ſuffragatur, *vt declarauit Congreg. rit. in vna Piſtorien. prima Iulij* 1601. quòd ſi eâ die cadat feſtum duplex ſeruandum de præcepto, tunc celebrari de Requiem prohibuit *eadem Congreg. die* 24. *Aprilis* 1617. Quãdo verò non ſeruatur feſtum de præcepto, tolerandum *decreuit ead. Congreg. die prima Septembris* 1607. Item in diebus, quibus prohibetur fieri officium de duplici occurrente, non poterit celebrari talis Miſſa de Requiem, *vt ead. Congreg. die* 28. *Auguſti* 1617.

14 Præterea ſi contingat ſepeliri corpus defuncti in hora Miſſarum in die feſto de præcepto, tunc, poterit celebrari Miſſa cantata ſolummodo de Requiem præſente corpore inſepulto; aliæ verò Miſſæ priuatæ celebrentur de feſto, cum applicatione ad defunctum, *vt ead. Congr.* 23. *Maij* 1603.

15 Miſſæ legatæ celebrari diebus, & locis deſignatis, non poſſunt à celebrãte variari. Ideò illas eiſdem diebus, & locis adimplendas præcipimus: nec ſecus fiat ſine diſpenſatione ex rationabili cauſa obtinenda.

16 Miſſam quoque de Requiem in feſto duplici non de præcepto, celebrandam pro adimplenda voluntate teſtatoris tolerat *Sacra Congreg. citata die prima Septembris* 1607. etiam extra Altare priuilegiatum.

17 Quando occurrat variari diem, veluti in anniuerſarijs cadentibus in feſtis de præcepto, tunc cautiùs erit anticipare pridiè, quàm differre, quamuis transferre in diem ſequentem concedat *Sac. Congreg. rit.* 27. *Septembris* 1608. & 19. *Maij* 1614.

G 18 Pro-

18 Prohibemus omninò, tamquam ſacrilegam, conſuetudinem illam ſicubi inoleuit celebrandi Miſſam, reſeruando illius valorem applicandum pro primo eleemoſynam oblaturo ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, *vt prohibuit Sac. Cong. Concil. de mandato Pauli V. die 15. Nouembris 1605:*

19 Ritus particulares ſeruandi in celebratione Miſſarum ſolemniũ, & priuatarum, vltra ordinatos in Miſſali; habentur in appendice Synodi anni 1629. fol. 37. ſicut etiam multa notanda in celebratione Miſſarum votiuarum, ibidem fol. 67.

20 Miſſæ quoque legatæ pro certis diebus, & determinatæ, quarum celebratio fieri non poſſit iuxtà rubricas Miſſalis, deinceps non acceptentur, & de iam acceptatis petatur tranſlatio à Sede Apoſtolica, vt præcipit *Sac. Congreg. rit. die prima, & 3. Septembris 1612. & die 19. Maij 1614.* Quod etiam contingere ſolet in petentibus celebrationem Miſſarum de aliquo Sancto in diebus prohibitis; quo caſu petentibus denuncietur talis prohibitio pro illa die, vt mutent voluntatem, & differant ad aliam diem licitam.

21 Prohibemus, & ex Miſſalibus omninò deleri, & diſſui mandamus, ſub pœna ſuſpenſionis, Miſſas quaſdam impreſſas, & prohibitas *à Sacr. Congreg. rit. die 7. Aprilis 1628.* quæ plerumque in fine Miſſalis apponuntur, nempè de Sancto Gregorio pro viuis, & defunctis (non intelligendo de trigința Miſſis illis inſtitutis à Diuo Gregorio Papa lib. 4. Dialogorum cap. 55.) de quindecim Sanctis auxiliatoribus, & de Patre æterno. Miſſam quoque de Roſario Beat. Mar. incip. *Salue Radix, &c. & Beat. Mar. de Carmelo*, prohibuit celebrari ab alijs præterquam à regularibus Ordin. Prædicat. & Carmelitis reſpectiuè. Ideò in his præcipimus omninò ſeruari decretum Sac. Congreg. Neque eædem Miſſæ poterunt celebrari in Eccleſijs eorumdem regularium à Sacerdotibus ſecularibus, vt declarauit *eadem Congreg. die 29. Nouembris 1622.* Quando ergo legatur, vel petitur ab aliquo Miſſa de Roſario, dicatur illa ordinaria de Beata Virg. de tempore, *vt decret. Sacr. Congr. rit. 31. Iulij 1632.* & ſi petatur celebrari Miſſam de Annunciatione, Aſſumptione, &c. extra illa feſta, celebrabitur Miſſa currens de tempore.

22 Sacerdotes accedentes ad Eccleſias Regularium in feſtis Sanctorum illius Religionis, non celebrent Miſſas proprias conceſſas ad vſum eorumdem Religioſorum; ſed ordinarias appoſitas in Miſſali ſeruatis rubricis, nam illæ particulares à ſolis regularibus ſunt celebrandæ.

23 Neque Capellani Monialium celebrantes in Eccleſijs earumdem, occurrente feſto proprio illius religionis, celebrent alias Miſſas, quàm ordinarius Miſſalis, in quo ſi non adſit propria de feſto, dicatur de communi, *vt declarauit Sac. Congr. rit. 20. Nouembris 1628.*

24 Quando in Miſſa ſolemni adhibetur organum, in Symbolo cantentur omnes verſus, nulluſq; ſupprimatur, vel ſubmiſſa voce recitetur in alternatiua modulatione, & pulſatione organi.

25 Si celebretur Miſſa dedicationis Eccleſiæ, & celebratio fiat extra ipſam Eccle-

Eccleſiam dedicatam: tunc à celebrante in oratione ſecreta Miſſæ omittantur verba incluſa in parentheſi eiuſdem orationis; quæ proferuntur ſolummodò in dedicatione,& anniuerſario dedicationis illius Eccleſiæ, in qua celebrantur.

26 Subdiaconus in Miſſa ſolemni,poſt datam pacem in Choro, illam reſtituat Diacono,& poſt illam alijs aſſiſtentibus, *vt decreuit Sacr. Congreg. rit. 17. Iunij 1606.& 15. Martij 1608.* Non autem illam dat laicis,etiam ſi adſit Dominus loci,*vt ead. Congr. 5. Iulij 1614.*

27 Liber euangeliorum non tradatur oſculandus in Miſſa, niſi Epiſcopis, & maioribus Prælatis in eorum Reſidentijs, & Principibus magnis non recognoſcentibus ſuperiorem: non autem gubernatoribus, & alijs quamuis magnis miniſtris,*vt decr. Congreg. Epiſc. 22. Auguſti* 1589. Non gubernatoribus Prouinciæ, *vt Congreg. rit. 17. Iulij* 1604. Non Vicario Apoſtolico, *vt Congreg. Epiſc. 28. Auguſti* 1589. Non commendatario,& Domino loci, *vt Congreg. rit. 17. Septembris* 1615. Et quando dabitur magno Principi,vt ſuprà,non liber,in quo celebratur Miſſa,ſed alius per aliquem Clericum,non per Subdiaconũ,porrigetur.

28 Non permittatur Dominis laicis locorum, quâuis dignitate, & præeminentiâ fulgentibus,ſibi erigere Baldachinum in Eccleſia,& ſi erigendum attentauerint: tunc noſtri Parochi, Vicarij foranei, & alij Eccleſiaſtici prohibeant, & amoueri curent,vel ad nos,ſi renitentes fuerint,deferant,vt opportunis remedijs prohibere poſſimus, *iuxta decreta Sacr. Congregat. Epiſc. 12. Ianuarij* 1618.& *Congregat. rit. in vna Triuent. 7. Ianuarij* 1637. Cùm enim Comes illius loci illud erexiſſet, mandauit illud amoueri, & quia idem Comes decreto Epiſcopi pro illo amouendo parere non curauit,& obinde ab illo fuiſſet excommunicatus, ſententia fuit laudata, à *Sacr. Congreg. eadem die 20. Iulij eiuſdem anni* 1637. cùmq; Comes habuiſſet recurſum ad eandem *Sacr. Congreg.* fuit ab illa *die 8. Auguſti eiuſdem anni decretum*, quòd Comes omninò pareret decreto Epiſcopi, ad quem eundem remiſit abſoluendum poſt paritionem.

29 In celebratione non geſtentur annuli in digitis, cùm hoc ſit prohibitũ à *Sacr. Congreg. Rit. 11. Febr.* 1623. etiam Prothonotarijs non participantibus, item Doctoribus,& Canonicis Cathedralis, *vt ead. 20. Nouembris* 1628.

30 Neque geſtari poſſunt Pileoli, ſiuè Subireti, etiam à valetudinarijs, à quibus licentia petenda erit à Sanctiſſimo, *vt eadem Congreg 16. Februarij 1619. & 24. Aprilis* 1626.

31 In noſtris viſitationibus animaduertimus hucuſque Sacerdotes, & Sacriſtas parum curaſſe in procuranda benedictione mapparum, & ornamentorum altarium; proindè diſtrictè præcipimus poſt hac talia non adhiberi, niſi benedicta à nobis, vel à noſtris deputatis: nam indultum habemus à Sede Apoſtolica, & Sacr. Congreg. delegare facultatem benedicendi paramenta ſacra perſonis in dignitate conſtitutis,vt ſunt Canonici noſtræ Cathedralis. Caueantque noſtri ſubditi petere talem benedictionem ab Abbatibus,vel à Superioribus Regularium, cùm illi pro vſu ſuarum Eccleſiarum duntaxat id efficere poſſint,ex *declarat Sac. Congreg. Rit. 29. Auguſti* 1609.& 13. *Martij* 1632.

32 Presbyteri ſubiecti Abbatibus quomodocumque exemptionem prætendentibus, etiam in locis intra ambitum noſtræ Diœceſis, nullo prætextu audeant celebrare Miſſas pro ſatisfaciendo oneribus legatorum, Capellaniarum, & aliorũ, etiam in altaribus de iurepatronatus, de quibus ipſi ſint prouiſi, exiſtentibus intus Eccleſias noſtræ iuriſdictionis, ſine noſtra licentia in ſcriptis, quæ ſemper intelligatur conceſſa ſub conditione, vt ſecum aſportent candelas, veſtimenta, & alia neceſſaria, neque ſecùs fiat ſub pœna librarum ceræ albæ 50. incurrenda quoque à Parochis illos admittentibus.

33 Quinimmò id ipſum mandamus ſeruari etiam cum Presbyteris alienigenis, etiam Diœceſanis habentibus onera celebrandi in Eccleſijs, vbi non ſunt aſcripti, vt licentiam habere teneantur. Quando verò ex deuotione celebrare cupierint, admittantur, & etiam neceſſaria illis benignè ſuppeditentur, vt monet *Sac. Congreg. Rit.* 10. *Iunij* 1610.

34 Alienigenæ verò incogniti Sacerdotes de longinquis partibus aduenientes, nullo modo admittantur ad celebrationem, ſeù aliud Sacerdotale miniſteriũ, niſi teſtimoniales litteras proprij ordinarij originales (omni falſitatis vitio carentes atteſtantes de eorum ſacerdotio & exercitio) realiter oſtendant, ſub pœna ſex menſium carceris, & in ſubſidium ſuſpenſionis à diuinis, *iuxtà litteras Sacr. Congreg ſupremæ inquiſitionis, de anno* 1649. *die octauo Maij.*

35 In viſitatione comperimus notabilem defectum in Miſſalibus, quæ paſſim adhibentur in celebratione vetuſta, lacera ſignanter in Canone, quem magis vrget haberi integrum, ſine Miſſis nouorum Sanctorum, quæ de præcepto ſunt celebrandæ. Quã de re præter decreta, & ordinata in viſitationibus localibus. Præcipimus ſingulis cleris nobis ſubiectis, infra terminum ſex menſium à publicatione huius Synodi, cum effectu procurare in vnaquaque Sacriſtia exiſtere duo ſaltem Miſſalia nouiſſimè impreſſionis, & plura vbi numerus celebrantium eſt ſupra decem. In veteribus autẽ tolerantur, nunc, quæ ſunt integra non lacera, nec deturpata, & impreſſa poſt recognitionem Clement. PP. VIII. nullo modo illa vetuſtiora, quæ omninò à ſacris functionibus arcenda præcipimus, & in toleratis adiungantur in fine Miſſæ nouorum Sanctorum additorum; nulluſque huius decreti tranſgreſſor exiſtat ſub pœna ducatorum viginti.

36 Noſtris quoque eſt auribus intimatum diuerſos abuſos, & ridiculas obſeruationes in nonnullis locis noſtræ Diœceſis vigere, quando Presbyter nouellus primam Miſſam eſt cantaturus; nam pridiè ante veſperas totus Clerus paratus cum Cruce, & vmbella ſolet accedere ad domos noui Presbyteri, qui ibidem exiſtit ornatus cũ Pluuiali, & receptus ſub baldachino deducitur ad Eccleſiam proceſſionaliter, Clero hymnnos decantante; & poſt cantatas veſperas, illum parimodo deueſtitum domum reducunt, atque illud ipſum de mane ſequenti obſeruant; quodque abſurdiùs eſt, à prandio eundem Sacerdotem cocta, & ſtola deueſtitum, à laicis aſſociatum, per Oppidum circumuerſare, & ad domos diuertere faciunt colligendo, vt aiunt, munera, largitiones, oblationes, & Xenia. His taque ſuperſtitioſis corruptelis, & ludicris abuſibus, obuiare volentes; præcipimus

mus omnibus Eccleſiaſticis poſthac à prædictis, & ſingulis illorum abſtinere ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, vltra alias pecuniarias nobis reſeruatas: & mandamus tales nouos Presbyteros indui Sacris veſtibus in Sacriſtia, nequè extra Eccleſiam indutos progredi,& oblationes forraſſe conſuetas porrigi, recipiēdas eſſe infra Miſſam in Offertorio,non recedendo ab altare,in quo celebratur,& ad oſculum offerentium porrigatur inſtrumentum pacis, vel crux manipuli,non autem manus celebrantis.

37 Conuiuia,& comeſſationes in præteritis Synodis prohibitas, nos quoque prohibemus,maximeq; ſi interueniant inſtrumenta muſicalia,choreæ, ſaltationes, & ſimilia,ſub pœna carceris per duos menſes ab Eccleſiaſticis, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ pro laicis. Honeſtas verò, & priuatas refectiones inter domeſticos,& familiares,ſi fiant ſobriè, & frugaliter ſine compotationibus, & gnatonicis irriſionibus, toleramus.

38 Fuit ordinatum in præcedentibus Synodis confici librum de Miſſis quotidiè celebrandis,quod multis in locis perperam fuit obſeruatum; & proindè in viſitationibus cognoſcere nequimus, an onera Eccleſiarum fuerint adimpleta. Idcircò præſenti decreto monendo præcipimus ſingulis cleris infra menſem poſt Synodi euulgationem,in vnaquaque Sacriſtia,retinere librum diurnalem voluminis ſufficientis ad deſcribendum Miſſas,& anniuerſaria illius anni. In quo deſcribantur in fronte omnia onera exiſtentia in illa Eccleſia, tàm in Altari maiori, quàm in Capellis etiam de iurepatronatus, notando perſonas, quibus incumbit ſatisfactio, tum in ſequentibus paginis deſcribat primò, Parochus hoc modo; *Ego N. Parochus huius Eccleſiæ S. N. hoc anno ſum ſatisfacturus his oneribus; primo ſeruitio hebdomadæ contingentis per circulum tot presbyterorum, deindè tot Miſſis pro ſeruitio ſaciendo capitulariter in tal',& tali altari. tùm Miſſas tot pro tali capellania beneficio, &c.* & deindè relictis in albo multis folijs, in quibus idem Parochus dietim deſcribat Miſſas à ſe celebratas. Scribant alij de clero per ordinem ad eundem modum; & ità facilis erit ſupputatio calculi, num facta celebratio conueniat oneri annexo,de qua ſatisfactione, & adimplemento, à nobis fiat decretum,& ſic cleri non defatigabuntur à Commiſſarijs Reuerendæ fabricæ, qui deſtinantur ad ſupplendàm negligentiam ordinariorum. Et ſi quando celebratur Miſſa votiua,&c. in deſcriptione addatur aſteriſcus,vt cognoſci poſſit. Si quis autem Miſſam aliquam non celebratam, ſcienter pro celebrata deſcripſerit, pœnam ſuſpenſionis à diuinis eo ipſo incurret. Liber talis ematur ſingulis annis à procuratore maſſæ communis,ſub pœna ducatorum ſex. Et ex nunc condemnamus clerum, vbi liber idem non fuerit confectus,ad pœnam ducatorum decem ſingulis annis incurrendam.

39 Reperimus inſuper in viſitationibus nonnullos ſuſcepiſſe incompatibilia onera Miſſarum ſub ſpe implorandæ opis alienæ, & ſic lucrum affectantes ſæpiùs in ſua decipiuntur opinione. Idcircò præcipimus Eccleſiaſticis omnibus, tot Miſſarum onera ſuſcipere, quibus commodè ſatisfacere poſſunt, habito reſpectu ad alia onera incumbentia, & caſus fortuitos contingentes, ita vt ad plu-

rimum

rimum omnia onera non excedant numerum quinq; Miſſarum in vnaquaq; hebdomada; & qui ſecùs fecerit, graues pœnas, noſtro arbitrio, luet.

40 In vnaquaque Eccleſia noſtræ Diœceſis celebretur, ſiuè decantetur ſingulis annis Miſſa anniuerſarij conſecrationis, ſiuè electionis, & translationis Epiſcopi viuentis, ſignificando, quòd translatio noſtra ad hanc Diœceſim fuit die menſis anni 1639 & ſi tali die cadat feſtum, fiat commemoratio in Miſſa de feſto, extra feſtum celebretur Miſſa, vt in Miſſali cum vnica oratione, in qua exprimatur nomen Epiſcopi, & Ciuitatis cum Gloria, Credo, & Præfatione de tempore, vt monet *cæremon: Ep: ſc. p.p. cap. 35.*

41 Idem ſeruetur in anniuerſario præcedentis Epiſcopi defuncti.

42 Apprimè commendamus laudabilem conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum, canendi in ſecundis ferijs, non impeditis, Miſſas pro defunctis, & de Beata Virgine in Sabbatis. Hortamur continuationem, & morem introduci vbi non eſt, ſi ad minùs adſint quatuor Sacerdotes in Clero.

43 Experientia docuit magnam indecentiam contingere in vſu candelarum, & intortitiorum pro diuinis officijs, ſi priuatim à ſingulis Presbyteri ſuggerantur, nam illas ex viliori cera affirmantes, etiam in ſolemnitatibus ſæpè adeò ſemiuſtos apponunt, vt ad integram Miſſam interdum non ſufficiant. Ad hoc itaq; euitandum, præcipimus in futurum in qualibet Eccleſia candelas, & intortitia ad Miſſas, & diuina officia adhibenda, emi expenſis maſſæ communis, quátitatis ſufficientis, & ſeruetur, vt in Miſſis iuxtà rubricas Miſſalis intortitia accendantur antè conſecrationem, nec extinguantur, niſi poſt ſumptionem ſanguinis, ſi contra fiet à quolibet Clero, pœna ducatorum ſex luetur.

44 Imprudentiam, non minùs acriter deteſtandam, quàm rigidè puniendã, comperimus in omnibus ferè locis noſtræ Diœceſis, ad Miſſam. Cùm enim *de anno* 1625. *die* 21. *Iunij prodijſſent à Sac. Congreg. Conc. juſſu Vrbani PP. VIII.* multa decreta in ordine ad celebrationem Miſſarum, in quorum multis fuit appoſita transgreſſoribus pœna incurrenda Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo. Et eadem decreta cum multis declarationibus eiuſdem Sac. Congreg. à noſtro prædeceſſore fuiſſent impreſſa in appendice præteritæ Synodi fol. 12. Illa tamen à paucis animaduerſa, imò ne lecta quidem, nec viſa fuère. Vnde à pluribus itranſgreſſoribus in pœnas, & cenſuras, fuit incurſum, & ob celebrationem quoque irregularitas eſt contracta. Cui malo ſaltem pro futuro tempore, conſulere volentes, ea ipſa decreta in compendium perceptibilem ordinem redigere, & huic Synodo annectere, operepretium eſſe duximus, vt omnibus innoteſcant, & in praxim, caſibus contigentibus, ponantur.

45 Primò, licet olim vigere ſacrorum Canonum, *& Conc. Trid ſeſſ.* 25. *cap.*4. *de reſor.* Omnes Epiſcopi in Synodo Diœceſana, & ſuperiores regulariũ in ſuis Capitulis generalibus, potuiſſent reducere, & moderare onera Miſſarum ex legatis, & relictis impoſita, cuicumq, Eccleſiæ, Capellæ &c. non autem quæ ex dotatione, & fundatione fuerunt conuenta, & impoſita, vt ſæpè *eadem Cógreg. ſuper eodem cap.* 4. *declarauit.* Nunc autem per ſupradicta decreta talis facultas

cultas reducendi, vel moderandi, etiam in relictis, & legatis, fuit prorsùs ſublata: Vndè pro reductione recurrendum erit ad eandem Cong. per quam datur facultas ordinarijs reducendi, & ſemper excipit Miſſas in dotatione, fundatione, & etiam ex pacto, & conuentione appoſitas.

46 Secundò, notandum: ſi in fundatione Eccleſiæ, Capellæ, ſiuè beneficijs fuerit ex pacto cautum, vt omni tempore liceat Epiſcopo moderare, & reducere; tunc non eſt ablata facultas Epiſcopo per eadem decreta, *vt declarauit Sac. Congreg. ſuper eiſdem decretis verſ. Adprimum &c.*

47 Tertiò notandum: Per hæc decreta non eſſe ademptam facultatem Epiſcopis reducendi onera Miſſarum de relictis, & legatis pijs antiquis ante Concilium, vt ibidem *verſ. Ac primo &c.*

48 Quartò notandū: Decretum reductionis factæ in Synodo anni 1617. omnium Miſſarum impoſitarum, etiam ex fundatione, & dotatione ad rationem Caroleni pro qualibet, non eſſe validum, nempè contra mentem, & decretum Concil. Valet tamen pro Miſsis legatis, & relictis ante eandem Synodum. Quare benè animaduertant aſtricti ad onera Miſſarum ex dotatione, & fundatione capellarum, &c. non poſſe tutâ conſcientiâ vti illa reductione Synodali in dictis oneribus ex fundatione, &c.

49 Quintò notandum: Pro eleemoſyna, ſiuè ſtipendio etiam incongruo, acceptato pro Miſſis celebrādis tot oportere celebrari, quot promiſſæ fuère. Vnde recipiens onus alicuius capellaniæ, ſiuè beneficij cum onere Miſſarum, tenetur ad numerum Miſſarum annexarum, etiam ſi fructus ſint tenues, & incongrui, neque poteſt vti beneficio reductionis eiuſdem Synodi anni 1617. niſi in Miſſis legatis, ſiuè relictis ante dictam Synodum.

50 Sextò notandum. Qui eum determinata, & certa eleemoſyna ſuſcipit onus Miſſę celebrandæ, ſi illam alteri committat, debet eidem totam eleemoſynam tradere, nullâ parte retentâ.

51 Septimò notandum. Eccleſias, & loca pia recipientia oblationes pro Miſſis celebrandis in aduocatione Sacerdotum ad celebrationem, non poſſe ſibi aliquam partem eleemoſynæ retinere in beneficium eiuſdem Eccleſiæ, pro expenſis candelarum, &c. niſi Eccleſiæ, & loca pia ipſa tali egeſtate laborent, vt dictas expenſas candelarum aliunde prouidere non poſſint, nam tunc liceret, dummodo non excedantur expenſæ.

52 Octauò notandum. Si beneficiatus Eccleſiæ, Capellæ, vel beneficij faciat per alios Sacerdotes celebrari Miſſas annexas, non tenetur celebrantibus aſſignare integros fructus eiuſdem beneficij, ſed dare, vel paciſci congruum ſtipendium, more regionis, quo conuenire poteſt.

53 Nonò notandum; vbi teſtator legauerit certam ſummam pro Miſſis celebrandis, veluti dicat, lego ducatos decem annuos pro Miſſis celebrandis, non præfigendo numerum; tunc taxationem ſpectat ad ordinarium circa numerum, iuxtà communem taxam receptam in Diœceſi: ſin autem numerus à teſtatore præfigatur, ille erit adimplendus cum licentia Epiſcopi, vt infrà.

54 Decimò notandum. Adminiſtratores Eccleſiarum, & Capellarum magnæ deuotionis, & concurſus, non poſſe recipere onus plurimarum Miſſarum celebrandarum, etiam pro vna vice, ſi eiſdem ſatisfieri non poſſit, niſi longo poſt tempore, excepto ſi adſit conſenſus eorumdem offerentium, vt ſatisfiat pro opportunitate celebrantis.

55 Vndecimò notandum, obligatum aliqua die celebrare ex aliquo onere non poſſe ſtipendium pro celebratione eiuſdem diei recipere, & vnica Miſſa ſatisfacere vtrique oneri, quamuis celebrans ſit pauper.

56 Duodecimò notandum. Sacerdotem habentem onus celebrandi, poſſe recipere eleemoſynam pro alijs Miſſis, ſi breui poſſit omnibus ſatisfacere, vel accedit conſenſus offerentis differendi ad arbitrium illam ſatisfactionem.

57 Decimotertiò, Capſulæ, quæ conſueuerunt apponi in Eccleſijs, Capellis, & locis pijs pro recipiendis eleemoſynis Miſſarum, omninò remoueantur.

58 Decimoquartò, inhibemus ſequentia decreta ab omnibus maturè penſanda, & in facti contingentia ad vnguem exequenda, nam pœnalia ſunt. Onera perpetua Miſſarum legata, relicta, &c. quomodocumque non poſſe recipi à quibuſcúque Capitulis, Cleris, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, neque à ſingularibus perſonis eccleſiaſticis, tàm ſæcularibus, quàm regularibus, ſine aſſenſu Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij in ſcriptis, pro ſacerdotibus ſæcularibus, & Superioris Generalis, ſeù Prouincialis pro regularibus: ſub pœna tranſgreſſoribus ſæcularibus interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo, &c. regularibus verò priuationis officiorum cum in habilitate ad alia; & vocis actiuæ, & paſſiuæ.

59 Decimoquintò notandum. In recipiendis prædictis oneribus perpetuis, antequam acceptentur, & incipiat ſatisfactio; erit ab illo Clero, ſeu ſpeciali perſona, ad quam incumbit, porrigenda ſupplicatio nobis, vel noſtris Vicarijs pro tali, aſſenſu: nec concedetur, niſi conſtito ſaltem per fidem iuratam eiuſdem Cleri quòd ſit capax idem Clerus, ſiuè ſpecialis perſona recipiendi illud onus, nempè quòd poſſint commodè ſatisfacere oneribus antiquis, ita vt illud nouum recipere valeant, & quod fructus, ſiuè cenſus, &c. aſſignati ſint ſufficientes iuxtà communē taxã, & habito reſpectu ad fertile, ad infertile, & alios caſus contingentes, quibus ſummariè probatis, aſſenſus concedetur gratis, iuxta *decretũ Sac. Cong.*

60 Decimoſextò notandum: Pecuniam, bona mobilia, &c. relicta, & legata Eccleſijs, Capellis, & locis pijs, pro celebratione perpetua Miſſarũ: ſtatim ſequuta morte teſtatoris eſſe aſſignanda, & deponenda ab illis, ad quos ſpectat, in poſſe Rectoris eiuſdem eccleſiæ, vel penes curam perſonam, ſub pœna interdicti, vt ſupra ipſo facto incurrenda à tranſgreſſoribus, vel aſſignare differentibus à die realis acquiſitionis Iuris pro eccleſia ad bona, vt ſupra, legata, ad effectum, vt bona ipſa vendantur, & pretium implicetur in emptionem bonorum ſtabilium, de quorum fructibus Miſſæ celebrentur. Et idem ſeruetur in pecunia legata. Et ſi tractu temporis contingat bona empta legitimè alienari, ſemper fiat mentio oneris annexi, & ſi vendantur, pretium ſemper implicetur in alijs emptionibus.

61 Decimoſeptimò deniquè notandum. (Quod dolentes referimus.) In noſtris

ſtris viſitationibus comperiſſe, (vt diximus) plurimos tranſgreſſores, & obindè in interdictum incurſos, & ob celebrationem etiam in irregularitatem, nec ſe poſſe aliquo Iuris, vel facti præſidio excuſare; & quod deteriùs eſt, cùm ijdem in actu viſitationis fuiſſent moniti, vt ſuæ conſcientiæ conſulerent, & diſpenſationem peterent; monita paruipendentes, propriæ ſelectis effecti ſunt immemores. Cui pernicioſiſſimo animæ torpori, & deſidiæ, paternè mederi volentes, etiam non requiſitis, facultate nobis *à Sac. Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de Refor.* attributa, licentiam concedimus omnibus, & ſingulis perſonis eccleſiaſticis, quæ in caſibus expreſſis inciderunt in cenſuras, & ſucceſſiuè per celebrationem, & exequutionem ordinum contraxerunt quoque irregularitatem, pro illis de prędicto vſque ad publicationem huius Synodi à Confeſſarijs approbatis noſtræ Diœceſis per eos eligendis, ſecum pro vna vice tantum in foro conſcientiæ faciant ſuper irregularitate diſpenſari, & in futurum vigilantiores, & cautiores ſint in his decretis ſeruandis.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Titulus XV.

TOTIVS generis humani callidus hoſtis animaduertēs iam naufragantibus in periculoſo huius vitæ pelago, ſyrtibus, & ſcopulis vndique pleno, pœnitentiæ tabulam ſuccurriſſe; illoſq; ex labyrintheis anfractibus, quæ ad tartara demergunt, pœnitentia ſuppetias afferente, emerſiſſe: acrioribus inuidiæ ſtimulis exagitatus, ad vehementiores armatur inſidias: vt quos in vitæ militia ſuperare non potuit, ſaltem in belli exitu ſupplantare conetur. Nihil enim in mortis illa die mala, magis timendum eſt, quàm nè calcanei noſtri iniquitas nos circumdet. Memor namque idem antiquus ſerpens ab ipſius mundi naſcentis exordio, inter nos, & ipſum à Deo inimicitias poſitas eſſe, & tunc quaſi ab eodem Deo ſibi factam poteſtatem inſidiandi noſtro calcaneo, nempè in vitæ exitu. Obindè ſi acriter in totius noſtræ vitæ decurſu inuehitur: nobis tamen in vitæ calcaneo ſæuius ferociendo inſidiatur. Et quemadmodum olim athletæ ad luctam cum hoſtibus dimicaturi, vngebantur; ita nos in vitæ periodo aduerſus ſpiritales nequitias conflicturos, ſacri olei extremâ vnctione, præſidio præſtat roborari; vt huius Sacramenti à Chriſto ad hoc vltimum animæ remediũ inſtituti tria illa conſequamur vtilia beneficia enumerata ab Apoſtolo Iacobo cap. 5. ſuæ Canonicæ; in qua Sacramentum hoc à Domino inſtitutum promulgauit: nimirùm dimiſsionē peccatorum poſt pœnitentiam remanſorum: confortationem animæ ad reſiſtendum diabolicis tentationibus, & corroborationem corporis ad tolerandos cruciatus infirmitatis, cũ

faciliori recuperatione ſanitatis, quatenus animæ ſaluti expedierit.

1 Quâ de re inuigilent Parochi non differre illud miniſtrare quouſque æger ſenſibus deſtitutus, tribus numeratis vtilitatibus priuetur, ad ea namque ſecuriùs aſſequenda, diſpoſitio, & deuotio ipſiuſmet ægroti requiritur. Idcircò non expectent auertiri; ſed ipſi frequentando domos languentium, quando viderint, vel ex medicorum relatione audérint eoſdem cum periculo decumbere, ſuauiter illos diſponant ad illud recipiendum cum cordis affectu, & contritione, vel ſaltem ſuorum peccatorum humili attritione; & poſt vnctionem iugiter aſsiſtant illos coadiuuando ad benè, & ſanctè moriendum; ad quod efficiendum, præſtabit perlegere libros de hoc miniſterio tractantes.

2 Benè calleant, quo ordine, quo caſu, & quibus ſit miniſtrandum. Vngendi etenim ſunt fideles cum probabili vitæ periculo ægrotantes. Senes, etiã ſi non infirmantur, ſenio tamen deficientes. Graui vulnere ſauciati, & ideò in vitæ diſcrimine conſtituti. Apoplectici, vel alio læthali morbo correpti, etiã ita ſenſibus carentes, vt confiteri non poſſint; dummodo fuerint bonæ vitæ, & debitis temporibus conſueuerint confiteri.

3 Quocirca, negabitur ſanis, & læuiter infirmis, ſine vitæ periculo ſaltem opinabili; vltimo ſupplicio damnatis expoſitis; nauigaturis etiam cum periculo; Bellum etiam iuſtum aggreſſuris; mulieribus mox parituris; Amentibus, & furioſis, non habentibus lucida interualla, niſi ante repentinam amentiam fuerint bonæ vitæ, & ad mortem infirmentur.

4 In eadem infirmitate receptum non reitaretur; niſi infirmus conualeſcens, videatur omninò à periculo euaſiſſe; & deindè iterum relabatur.

5 Si partes vngendæ ſint detruncatæ, ſeù debilitatæ ſenſu carentes, tunc vngantur loca corporis proximiora.

6 Miniſtretur ſemper à Parocho, vel ab alio Sacerdote de eius licentia.

7 Nullo modo à Clericis, etiam in Sacris, vel Diaconis; hoc enim attentantes, etiam cum licentia Parochi, & in quouis caſu neceſſitatis, irregularitatem incurrerent.

8 Regulares quoq; Sacerdotes, curam animarum non habentes, vngentes ſine licentia Parochi, perſonas ſeculares, etiam Eccleſiaſticas, quæ non ſunt regulares, vel ſaltem de actuali familia illius Monaſterij, incidunt in excommunicationem *Clement.* 1. *de Priuileg.*

9 Oleum adhibendum debet eſſe benedictum illo anno ab Epiſcopo, nec poteſt vſurpari vetus poſt feriam quintam in Cœna Domini, niſi in neceſſitate, vt *decreuit Sac. Congreg. rit.* 7. *Septembris* 1601.

10 In omnibus locis, etiam exemptis noſtræ Diœceſis, (vt alibi dictum eſt) erit recipiendum oleum huiuſmodi quotannis benedictum à nobis, non ab alijs Epiſcopis, niſi nobis eo tempore abſentibus.

11 Vaſculum olei aſportetur ad infirmos incluſum in burſa ſericea coloris violacei de collo pendente, ne pateat, & à rudibus adhibeatur adoratio. Parochus aſſocietur ab altero ſaltem Presbytero, ſi adſit, qui loca vngenda abſtergat;

ſtergat; ambo incedent cottâ induti. & Parochus ipſe habeat quoq; ſtolam violaceam; deferatur Crux ſine haſta, & ſine luminibus.

12 Si infirmus reperiatur mox moriturus, omiſſis orationibus præambulis, incipiatur ab vnctione, & ſi dubitatur an ſit viuus, vngatur conditionaliter: *Si viuis: Per iſtam ſanctam vnctionem &c.* vt in Rituali.

13 Concedimus perſonis regularibus illud recipiendi, & in ſuis Eccleſijs pro vſu ipſorum regularium, & familiæ aſſeruandi. Ideò Parochi locorum ab eiſdem Regularibus flagitati, illud benignè impartiantur gratis, *vt permiſit Sac. Congreg. Epiſc. & regul. in vna Aeſina 13. Iulij 1589.*

14 Prohibemus ſub pœna excommunicationis ipſo facto, & alijs arbitrarijs ſeruari corruptelam indecentem illam, in quibuſdam locis conſuetam, recipiendi proceſſionaliter, & ſub vmbella cum decantatione Hymni, *Te Deum &c.* in ingreſſu Oppidi olea ſupradicta recenter benedicta, & recepta; nam hoc ſolummodo conuenit Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. Et quoniam illa olea ſunt tantummodo Sacramentalia, non adoranda, ſed reuerenter retinenda, & tractanda; ideò rectè portantur in Eccleſia, & ſuis loculis recondantur.

De Sacramento Ordinis.

Titulus. XVI.

SAcramentum nouæ legis à Chriſto Domino inſtituta ad remedium Spiritualis vitæ, vel acquirendæ, vel iam amiſſæ recuperandæ, & conſeruandæ parum nobis præſuiſſent, niſi idem Dominus idoneos miniſtros ad illa conficienda, e ministranda conſtituiſſet. Quemadmodum enim in vita carnali nemo ſeipſum generat, & nullus æger ſibimet medicinam facit, ſed aliquo alio extrinſeco opus eſt agente; ita in vita ſpirituali per Sacramentum Ordinis conſtituuntur ſacerdotes, qui iam generatos in vita carnali, ad ſpiritualem regenerent; peccatorum ſordibus inquinatos per abſolutionis beneficium purgant; cœleſti Euchariſtiæ cibo nutriunt; languidos in extremo conflictu Vnctione roborant; & gentes connubiali ſocietate connectunt. Quibus maioribus miniſtris alios quoque inferiores deſignauit: nam ſicut in illa cœleſti Eccleſia triumphanti per diſtinctos beatorum ſpirituum ordines ante thronum Dei diuinæ laudes immaculati agni inceſſanter decantantur, & ſunt munera diſtributa: ſic quoque congruebat in hac terrena militãti Eccleſia ſimili ordine Hierarchico diſpoſitos eſſe miniſtros, qui, & eundem immaculatum Agnum iugiter pro peccatis noſtris in Miſſæ ſacrificio, hoſtiam propitiatoriam Deo offerrent, & Sacramenta reliqua miniſtrarent, & alios, qui minora officia ſubirent, maioribuſq; ſeruitia præſtarent. Proindè ſtatuimus omnes ordines, ad quos Eccleſiæ miniſtri ab Epiſcopo

inſigniuntur eſſe à Chriſto Domino inſtitutos; & quamuis in omni lege ſacerdotes fuiſſe legamus, illi tamen antiquæ legis in figuram ſacerdotum euangelicæ legis præceſſerunt. Sunt ergo noſtri ſacerdotes duplici honore venerandi; cùm ſint miniſtri Domini, diſpenſatores Diuinorum myſteriorum,& mediatores noſtri apud ipſum Deum.

1 Aſſumendos igitur ad huiuſmodi diuinum miniſterium, ijs qualitatibus præditos eſſe oportet, quas enumerat Apoſtolus,nempè ſanctos, immaculatos, impollutos,ſegregatos à peccatoribus,prudentes, continentes,caſtos, & ſapientes, vt alios docere poſſint, quæ decent ad ſanam doctrinam; nam ſacerdotes appellantur Angeli teſtamenti, de quorum labijs populus exquirit legem. Ad quod aſſequendum,quantum humana fragilitas patitur,& noſſe ſinit pro vtili in noſtris viſitationibus, & ordinationibus enitimur dignos, quoad fieri poſſit, eligere. Attamen, vt huic noſtro pio inſtituto alij cooperentur, Parochis noſtræ Diœceſis ſequentia ſeruanda ſtatuimus.

2 In faciendis denunciationibus, præcipuè pro initiandis ad primam tonſuram, denuncientur populo omnia impedimenta Canonica de verbo ad verbum, prout ſunt deſcripta *in Appendice præteritæ Synodi fol* 21.vt populus ſciat, in quo ſit reuelaturus, & qui contrafecerit,pœnam incurret ſex ducatorum, de quibus denunciationibus ita formiter factis,afferatur fides iurata in proceſſu.

3 In formandis quoque proceſſibus, comperimus non planè ſeruari inſtructiones eiuſdem Synodi; nam Parochi, & alij ad hoc deputati plerumque ſolent extendere depoſitiones teſtium examinandorum ipſis teſtibus non iuratis, neque interrogatis,imò abſentibus,& poſt modum depoſitiones ſic deſcriptas, tradunt eiſdem ordinandis, vt à teſtibus ſubſcribi procurent, & teſtes illas, etiam non legendo ſubſcribunt. Ad quod euitandum, præcipimus Parochis, & alijs deputandis, quatenus ſub pœna excommunicationis in examine recipiendo, teſtes ipſos coram ſe perſonaliter conuenire faciant, qui ſint perſonæ legales, fide dignæ, & quoad fieri poteſt,ſcientes legere, & ſcribere,non conſanguinei ordinandorum, & delato eis Iuramento ſub vinculo excommunicationis illos ſemotim, ſingulos, & in ſecreto interrogent ſuper interrogatorijs poſitis in ſupradicta *Appendice fol.*22. & ad ſingulas interrogationes,formaliter verba reſponſionum deſcribāt; ac poſtea illos ſubſcribere faciant; & proceſſus ipſos cum alijs requiſitis,& reuelationibus impedimentorum, ſi quæ fortè allata fuerint, ad nos clauſos, & obſignatos tranſmittant: quòd ſi ex proceſſibus ipſis, perſonæ ordinandæ, aut aliæ pro eis aliquam ſcripturam ſubtrahant, vel aliqua ex parte immutent, in pœnam excommunicationis ipſo facto incurrent.

4 Vltra inſtructiones in dicta *Appendice* appoſitas, alias inferius dabimus in ſupplementum ſeruandas omninò in dictis proceſſibus ordinationum compilandis.

5 Proceſſus ipſos alio modo,& dictis appoſitis,& apponendis inſtructionibus non ſeruatis,nullos declaramus, præcipiendo noſtris deputatis ad illarum recognitionem illos reijcere,pœnas ſuper his in præterita Synodo appoſitas innouando;

do; ſicut etiam confirmamus pœnas, & cenſuras contra teſtes falſa deponentes, in charta pro certis affirmantes.

6 Initiandi ad primam Tonſuram vltra proceſſum huiuſmodi, producant fidē, quòd ſaltem per ſex menſes ſint quoto mēſe confeſſi illi confeſſario, à quo fidem producent.

7 Ipſius quoque Parochi fides, & atteſtatio in proceſſu deducatur, in comprobarionem veritatis omnium, & ſingulorum probatorum, tàm circa mores, ætates, & alia requiſitá, quàm circa titulum, ad quem quiſque in ſacris ſit promouendus, & demùm concludat omnia in proceſſu adducta eſſe vera.

8 Prætereà aſſūmendi ad primam tonſuram iubent ſe rectâ intehtione, ſincerâ voluntate, & deuotionis feruore perueniendi ad Sacerdotium, vt Deo famulentur, non fraude, aut ſecularis Iudicij effugiendi animo, accedere ad ordines.

9 Ob indemnitatem pauperum communitatum noſtræ Diœceſis, declaramus non eſſe intentionis noſtræ aſſumere ad Clericatum vnicos in eadem domo, etiā ſi ille vnicus filius habeat patrem. Quapropter mandamus noſtris Cancellarijs in expeditione litterarum pro denunciationibus, apponere clauſulam, dummodo non ſit vnicus, & quamuis non apponatur, ſemper intelligatur pro appoſita.

10 In ſalario recipiendo pro formandis proceſſibus, & atteſtationibus, ſeruetur omninò taxa præteritæ Synodi, & de quantitate mercedis receptæ mentionem faciant Commiſſarij in eodem proceſſu, quacunq; collatione ceſſante.

11 Quoniam plerique in hac Diœceſi ordinantur ad titulum patrimonij, ſiuè donationis, cùm Parochiales Eccleſiæ plerumque ſint exigui redditus, nec capaces recipere multos ordinandos ad titulum introituum maſſæ communis, & in eiſdem titulis conſtituendis multæ ſoleant intercedere fraudes, confingendo titulos coloratos, & ementitos; nam extorquent ordinandi à parentibus donationes omnium bonorum, quamuis illi habeant alios filios, qui legitimis portionibus priuari non poſſunt; & quod deteſtabiliùs eſt, eaſdem donationes aucupantur à conſanguineis, & affinibus, etiam ab his, qui donare non poſſunt; & obindè inter donatores, & donatarios multa pacta, & conuentiones illicitæ intercedunt: Prætereà ſæpè bona ipſa donata ſunt ſupra eorum valorem ære alieno grauata, vel alijs hypothecata. Ad quæ euitanda, inhærentes *Conſtitutioni Vrbani PP. VIII. de anno 1626. die 11. Decembris quæ incipit: Secretis, &c.* Hâc noſtra Conſtitutione præcipimus, & mandamus, vt nemo audeat pro ſacris Ordinibus ſuſcipiendis afferre falſa, ficta, vel fiduciaria patrimonia in titulum, ſub pœna ſuſpenſionis eo ipſo incurrēda ab exercitio ſuſcepti Ordinis, vltra pœnā falſi, vt in præcedenti Synodo: eamdemque pœnam incurrent ſi malitioſè, & ſcienter adducant in proceſſu bona ipſa reddere annuam ſummam ducatorum tot, quam reuera ſciant reddere non poſſe. Prohibemus quoque parentibus, affinibus, conſanguineis, & alijs quibuſcumque tales fictas donationes facere, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

12 Et quia in præcedenti *Synodo cap. 9. num.* 4. fuit decretum donationes fa-

ctas Clericis abſque licentia Epiſcopalis Curiæ eſſe nullas, & inualidas; hanc Conſtitutionem Synodalem limitamus in clauſula irritante, & annullante, donationes huiuſmodi non ipſo facto eſſe nullas ſine licentia Curiæ Epiſcopalis, ſed poſtquam per noſtram Curiam cauſa cognita, per ſententiam, nullæ, & inualidæ fuerint declaratæ, & ante ſententiam in ſuo robore, & validitate exiſtant; præcipuè ſuper immunitate, quâ bona Eccleſiaſtica fruuntur; & ſic dictam Conſtitutionem corrigimus, limitamus, & declaramus.

13 Porrò omnibus ad quos ſpectat, ſignificamus, quòd dùm in *anno* 1639 *die* 18. *Septembris in vna Itrienſi Sacr. Congreg. Cardin. controuerſ. Iuriſdict.* Præpoſitorũ Regni Neapolis decreuiſſet, vt hoc modo: Sacr. Congreg. Card. controuerſ. Iuriſdict. Præpoſitorum cenſuit Clericos non gaudere exemptione pro bonis ad ſuſcipiendos ſacros Ordines donatis, & aſsignatis, donec non fuerint in eiſdem ſacris Ordinibus conſtituti; & Epiſcopos cognoſcere debere ſuper fraudulentis donationibus. Datum Romæ die vt ſupra. Quod Decretum, quoniam à multis ad largas ampliationes contra immunitatem Eccleſiaſticam trahebatur, non tutâ conſcientiâ, fuit *per eamdem Sac. Congregat.* declaratum per litteras varijs Epiſcopis directas, & ſignanter Epiſcopo Policaſtrenſi in hæc verba:

Laudatur in Synodo ... Episcopi ... an. 1674 ...

Illuſtre, e Molto Reuerendo Monſignore come Fratello.

SE li beni per il patrimonio Clericale ad affetto di promouerſi alli ordini Sacri ſi aſſegnano à Clerici per tale effetto, reſtando eſſi beni appreſſo li medeſmi aſſegnanti ſino all'atto dell'ordinatione: Non poſſono in queſto mentre godere l'eſſentione, ne il priuilegio di patrimonio Clericale, ſinche li Clerici non ſiano promoſſi à detti Ordini Sacri, & in queſti termini parla il Decreto di queſta Sac. Congreg. ſopra le controuerſie giurisdittionali. Mà ſe li beni ſenza fraude, (che da Veſcoui con integrità, e preſtezza deue conoſcerſi) benche aſſegnati per detto effetto d'ordinarſi all'Ordini ſacri con titolo di donatione, ò altro titolo; ſono trasferiti, e venuti in dominio di eſſi Clerici; ſenza dubio detti beni deueno ſenza dilatione godere l'eſſentione, che de Iure, & de conſuetudine compete à beni

acqui-

acquiſtati de Clerici eſpreſſa nella Deciſ. Brunduſina coram bon. mem. Penia, e nella Deciſ. Albanen. coram b. m. Merlino approuate dalla medema Sac. Cong. e da quella ſopra Veſcoui; Ne perciò ſi può fare illatione, che per ſimili beni conſegnati, e traſferiti, non compete l'eſſentione à Clerici; ch'è quanto per riſpoſta della Lettera di V.S. quale dourà gouernarſi in queſta conformità; ſenza permettere pregiuditio alcuno di detta eſſentione, & aſſieme inuigilare in queſta materia, acciò non ſi commettano fraudi, mentre à V.S. priego proſperità. Roma 4. Agoſto. 1643.

Di V.S. come fratello

IL CARDINAL PAMPHILIO.

Franceſco Paolucci Segretario della Sac. Congreg.

14 Bona ipſa pro titulo deducenda in proceſſu, vltra fidelem, veram, & diſtinctam probationem per teſtes iuxta inſtructiones præteritæ, & præſentis Synodi: Publicentur etiam inter Miſſarum ſolemnia tribus diebus feſtiuis, denũciando populo, quòd ille ordinandus ad Subdiaconatum intendit promoueri ad titulum patrimonij, ſiuè donationis, aſſerendo ſe poſſidere talia, & talia bona ſtabilia, & cenſus, quæ affirmat eſſe annui valoris ducatorum ſaltem vigintiquinque explicitorum; vndè ſi quis ſciat eadem bona, vel cenſus non eſſe tantundem valoris annui à fertili ad infertile, deductis oneribus, & expenſis, vel eſſe grauata oneribus, redditibus, ære alieno; vel alicui hypothecata, & ſubmiſſa, litibus implicita, & quòd non verè, pacificè, & realiter poſsideantur ab ipſo ordinando, cum libera perceptione fructuum, ſi quis ſuper prædictis aliquid ſciuerit, illud reuelet ſub pœna excommunicationis, quæ denunciationes fient linguâ maternâ, & de illis hoc modo factis, Parochus atteſtationem faciat in ſcriptis, aliàs proceſſus non admittantur à deputatis.

15 Porrò ad vberiorem cautelam, & certitudinem præmiſsorum, ordinandus ipſe in recognitione proceſsus, iurabit ſub pœna falſi titulum, ad quem &c. eſſe verum, realem, & qualis in proceſſu deducitur, & bona cenſus &c. eſſe tãtundem valoris, & à ſe verè, realiter, & pacificè poſſideri, ac fructus percipi: & iuramentũ huiuſmodi deſcribetur in proceſſu cum ſubſcriptione iurantis; quòd ſemper ſeruandum erit in receptione Subdiaconatus tantum; nam in reliquis Sacris ſufficiet iurare, ſe bona illa, ad quæ fuit promotus, poſſidere, ſine diminutione, lite &c. ac percipere fructus nemine contradicente; & in caſu perjurij, nobis reſeruamus abſolutionem, poſt rectificationem tituli.

16 Qui-

16 Quinimmò, ſi in faciendis huiuſmodi donationibus interueniant conditiones, & pacta reſtiruendi, & retrocedendi bona ipſa donata in totum, vel in partem, aut aliàs fiat colluſio, oretenùs, vel in ſcriptis: Et obindè cum tali fiduciario titulo quis accedat ad ordinem ſuſcipiendum, incurret ſuſpenſionem ſupra relatam: nam donationes debent eſſe omni fraude carentes in forma iuris valida, ſufficientes in redditibus ad vitam ordinandi honeſtè ſuſtentandam, nec poſſunt alienari ſine licentia Epiſcopi, quando ille promotus beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens adipiſcetur, vel habeat aliundè tot introitus, vnde viuere poſſit, *vt Sac. Congreg. Conc. de anno* 1598. *die* 10. *Aprilis declarauit.*

17 Si quis ſine titulo ſufficienti, vel aliquo modo inualido ſit promotus ad Subdiaconatum, ſi poſt ordinationem detegatur nullitas, vel inſufficientia; non promouebitur ad vlteriores, niſi acquirat ſufficientem; nam ad ſingulos Sacros requiritur ſufficientia, *vt declarauit ead. Congreg. ſuper cap.* 2. *ſeſſ.* 21. *de reform.*

18 Nouitij quoque regularium ſi ante profeſſionem promouentem ad Subdiaconatum, indigebunt titulo ſufficienti, non ſecùs ac alij Clerici ſeculares, nam in hoc ſubiacent omnibus ſupra citatis Conſtitutionibus, & declarationibus *Sac. Congreg.* vt ſignanter habetur *in Conſtit. Pij V. de anno* 1568. *die* 14. *Octobris incip. Romanus &c.* nec ante profeſſionem ſufficit titulus paupertatis, ad quem ordinantur regulares profeſſi.

19 Titulus patrimonij, ſiuè donationis, quamuis non ſit perpetuus, ſed ad vitam ordinandi tantummodo conſtitutus, admittetur pro valido, *vt reſcriptio Sac. Congreg. Epiſ. Epiſcopo Eugubino de anno* 1596. *die primo Aprilis.*

20 Tituli ordinandorum erunt ſequentes: Primus Eccleſiæ, ſcilicet, participatio prouentuum maſſæ communis alicuius Eccleſiæ, qui diuiduntur inter Sacerdotes aſcriptos deſeruientes viritim. Secundus eſt beneficij Eccleſiaſtici valoris, ſaltem annuorum ducatorum vigintiquinq; ſecundùm communem æſtimationem quantitatis pro honeſto victu in hac Diœceſi. Tertius penſionis ad vitam, eiuſdem valoris. Quartus patrimonij, cuius redditus ſint ſufficientes ad victum ad quantitatem ſupra expreſſam; & de his tribus titulis agit *Concil. Trid. dicto cap.* 2. *ſeſſ.* 21. Quintus eſt donationis bonorum, vel cenſuum, vt ſuprà; quæ æquiparantur patrimonio; aduertendo, quod nomine bonorum in hoc titulo, non computantur mobilia, animalia &c. quia certa, & perpetua non ſunt, *vt decreuit Sac. Congreg. ſuper eod. cap.* 2. *& in anno* 1598. *die* 10. *Aprilis* neque habenda erit ratio, ſi ordinandus ex propria induſtria, profeſsione, & doctrina, ſe commodè ſuſtentare poſſit, *vt ead. Congreg. ſuper eodem cap.* 2. Nequè ſuper eleemoſynis, pitantijs, & ſimilibus, quæ non ſunt certæ, *vt ibidem declarat Congreg.*

21 Qui verò non habuerit titulum ſufficientis patrimonij, poterit illi addere ſupplementum, de aliquo beneficio, vel prouentibus Eccleſiæ, eſſe donationis &c. vſque ad congruam ſummam, & ſic è conuerſo, *vt ead. Congreg. ſuper citato cap.* 2.

22 Quamuis

22 Quamuis ſupradicti promouendi ad titulum patrimonij, ſiuè penſionis, aut donationis non paſſim ſint admittendi ad ordines; niſi quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos, pro neceſſitate, vtilitate, & commoditate ſuarum Eccleſiarum, perſpecto antea, num patrimonium illud, penſio, & bona donata verè, & realiter ſint ad vitam commodè ſuſtendandũ ſufficientia *iuxta decretum Concil. Trid. in relato cap.* 2. & declarat multas *Sac. Congreg. ſuper eodem cap.* & etiam iuxta alia decreta in præterita *Synodo cap. de Sacr. Ordinis num* 9 & declarat *Sacr. Congreg. de anno* 1598. *die* 10. *Aprilis* ſupra relata, & *de anno* 1619. *die* 12. *Martij* Epiſcopo Policaſtren. *Itemq; iuxta decretum Synodi Prouincialis Salernitanæ cap* 4. cuius decreti cauſa motiua fuit, vt tot admittantur ad ſeruitium cuiuslibet Eccleſiæ, quot eſt capax reſpectu prouentuum maſſæ communis, de quibus aſcripti, & recepti ſe alere, & ſuſtentare poſſint. Attamen quia *Sacr. Concil* huiuſmodi aggregationem remittit iudicio Epiſcopi, quando ex cauſis ſibi benè viſis iudicauerit expedire, aliquem ex ita ordinatis admittere, aggregare, & incorporare in ſeruitium, & participationem introituum maſſæ communis pro neceſſitate, vel commoditate ipſius Eccleſiæ. Idcircò præſenti noſtrá Conſtitutione, huiuſmodi admiſſionem, aggregationem, aſcriptionem, & aſſumptionẽ ad ſeruitium, & participationem fructuum, & prouentuum Eccleſiarum, talium ordinatorum ad titulum patrimonij, donationis, &c. omnimodæ noſtræ voluntati, arbitrio beneplacito, conſenſu, diſpoſitioni, & prouiſioni, etiam de motu proprio remittimus, & reſeruamus. In hoc autem exequendo procedemus negotio maturè examinato, & ſi requiſita *à Sacr. Concil.* concurrant: & ſi illa Eccleſia ſit capax.

23 Non ſolum promoti ad titulũ Eccleſiæ tenentur eidem inſeruire ad inſtar beneficiatorum, *vt decreuit Sacr. Congreg. Epiſc. de anno* 1593 *die* 8. *Martij* perſonaliter, nõ per ſubſtitutos; vndè neque diſcedere poſſunt etiam ad breue tẽpus ſine dimiſſorijs, nec ſeruitio renunciare, niſi conſtito corã nobis, ſe habere aliundè de quo viuant, ne cum ordinis dedecore cogantur vilem quæſtum exercere; ſed quoque ad idem ſeruitium tenentur, etiam ordinati ad titulum patrimonij, vel donationis, ſi iam fuerunt aſcripti ad ſeruitium, & participationem introituum: nam ſi, vt ſuprà dictum eſt, fuerunt aſcripti cauſâ neceſſitatis, & commoditatis Eccleſiæ; conſentaneum eſt nõ ſine rationabili cauſa eandem Eccleſiã tali commodo in neceſſitate priuare. Quapropter hanc noſtrã Conſtitutionem decernimus, & iubemus omnibus, & ſingulis Presbyteris noſtræ Diœceſis, nullo modo diſcedere, vel deſerere ſeruitium Eccleſiarum, ad quorum ſeruitium ſunt aſcripti, quouis titulo ſint promoti, ſine noſtra licentia in ſcriptis, etiam ſi ad breue tempus eſſent reuerſuri, ſub pœna ducatorum quinquaginta pijs locis, &c. & in ſubſidium ſuſpenſionis à diuinis. Præterea ſi diſcedentes cum noſtris dimiſſorijs, non redierint infra tempus in illis præfinitum, à nobis cogentur per remedia opportuna ad redeundum, non reſidere tenentur in Eccleſijs, ad quas fuerunt aſcripti *iuxta decretum Concil. Trid ſeſſ.* 23. *cap.* 16. *de refor.*

24 Et cùm ex diſpoſitione Sacrorum Canonum, Conciliorum generalium, &

Conſtitutioni Pontif. *maximèquè Pij PP. II. incipiente. Cùm ex Sacrorum,&c.* quilibet ordinandus debet ordines recipere à ſuo Epiſcopo, & ſuus intelligitur, in hoc caſu Epiſcopus, de cuius Diœceſi eſt is, qui ad ordines promoueri deſiderat, oriundus, ſiuè beneficium Eccleſiaſticum habeat, vel certum firmauerit domicilium, licet alibi ſit natus, *vt habetur cap. cùm nullus de temp. ordin. in 6.* ideò ſi ab alieno Epiſcopo promoueri velint, tenentur primum à ſuo litteras dimiſſoriales obtinere; alioqui ſi abſque dimiſſorijs, vel cum illis falſis ordines receperint, ſunt ipſo iure ſuſpenſi, & ſi in ſuſpenſione ordines exerceant, incurrent irregularitatem ex diſpoſitione eiuſdem *Conſtit. Pij II. innouatæ, & ampliatæ ab Vrbano PP. VIII. in anno 1624. die 2. Decembris.* Qui declarauit huiuſmodi promotos cum dimiſſorijs falſis non gaudere priuilegio fori. Quapropter ad has nullitates, & pœnas euitandas, præcipimus omnibus, & ſingulis ad ordines recipiendos accedentibus, tàm noſtris ſubditis adeuntibus alienos Epiſcopos, quàm exteris ad noſtras Ordinationes effluentibus, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, non deferre, neque vti dimiſſorijs falſis, vel expeditis à non habentibus facultatem illas concedendi. In quo detegendo etiam inuigilent deputati ad cognoſcendos proceſſus ordinandorum.

25 Atquè, vt faciliùs notitiam de validitate talium litterarum omnes habere poſſint; hæc omnibus animaduertenda proponimus. Primò, non poteſt huiuſmodi dimiſſorias ad Ordines concedere Capitulum Canonicorum ſine ſpeciali priuilegio Apoſtolico, *vt reſcripſit Sac. Congreg. Epiſc. Sulmonen. de anno* 1575. *die* 5. *Iulij in hæc verba relata in declarat. ſuper cap. 12. ſeſſ. 7. Capitulo Canonicorum non licet concedere dimiſſorias ex decreto Conc. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *etiam ſi territorium habeat diſtinctum, & immutabilem poſſeſſionem & ſint Iudices ordinarij.* Secundò, non Præpoſitus alicuius Eccleſiæ exemptæ, *vt Sac Congreg ſuper eadem cap. 10 ſeſſ. 7.* nec Archipresbyteri Eccleſiarum exemptarum, *vt eadem Sac. Congreg ſuper cap. 9. Seſſ* 23. *Concil. Trid. declarauit de Archipresbytero Terræ Collis, qui eſt exemptus, & habet auctoritatem ordinariam; & de Archipresbytero Barenſi exempto habente multa priuilegia.* Tertiò, neque Commendatarij, præſertim ſancti Ioannis Hieroſolymitani, etiam ſi in commandis habeant Iuriſdictionem ſpiritualem, & Iura Epiſcopalia, & ſint ordinarij; poſſunt illas concedere Clericis ſecularibus ſibi ſubiectis, *vt eadem Congreg. ſuper eodem cap.* 10. *ſeſſ.* 23. Quartò, Abbates quantumuis exempti, vt *ibidem Congreg.* in hæc verba: *Nulli Abbati, etiam quibuſuis priuilegiis munito, liceat concedere dimiſſorias, cuicumq; Clerico ſeculari, etiam ad ordinarium directas.* Et quamuis Abbatia probetur eſſe in ſtatu nullius Diœceſis, *vt eadem Congreg. Concil. in nullius Theatin.* 11. *Septembris* 1621. *& Congreg. Epiſc. in Cauen. die* 5. *Maij* 1587. *& eadem in nullius Rutillianen.* 9. *Septembris* 1616. Quintò, Capitulum, ſede vacante, non poteſt illas concedere infra annum vacationis Sedis Epiſcopalis, niſi arctatis pro aliquo beneficio recepto, vel recipiendo iuxtà *Trid ſeſſ. 7. cap.* 10. exempli gratia, ſi quis recepit Eccleſiam curatam; & nondum eſt promotus ad Sacerdotium, & obin-

obindè tenetur infra annum promoueri. Vel ſi iam eſt præſentatus ad aliquod beneficium &c. *vt eadem Congreg. Conc. de anno* 1599. *die* 16, *Decembris*, di&æq; dimiſſoriæ conceduntur à Vicario Capitulari, non ab ipſo Capitulo, *vt declarauit Sac. Congreg. Epiſc.* 12. *Ianuarij* 1604.

26 Ex quibus ſuprà relatis patet, dimiſſorias concedendas ad ordines in locis omnibus quanamuis exemptis noſtræ Diœceſis, etiam ſi nullius eſſe prætendant, ad nos tantummodo priuatiuè, quo ad alios ſuperiores etiam ordinarios ſpectare, & ab alijs conceſſas nullas eſſe, & ideò non admittendas, vt expreſsè ſubijcitur: *in dict. declarat. in vna Cauen.* ſupra allegata.

27 Imò fortiùs, ſi quis Epiſcopus habeat aliquam Abbatiam exemptam extra ſuam Diœceſim, non poteſt in illa ſua Abbatia Ordines conferre, niſi ſit verè in Statu nullius, *vt declarauit Sacr. Congreg Conc. die* 8. *Auguſti* 1621.

28 Regulares degentes in Monaſterijs intra Diœceſim, etiam in locis exẽptis ſunt à nobis ordinandi, *vt decreuit Trident.* Et ſi contigerit nos ordinationes non habere, & obindè velint ab alijs Epiſcopis ordines recipere, tenẽtur à nobis petere litteras de hoc teſtimoniales ad alium Epiſcopum: & in noſtra abſentia eaſdem litteras atteſtantes noſtram abſentiam petere tenentur à Vicario, *vt eadem Sac. Congreg. Conc. ſuper cap.* 3. *ſeſſ.* 23. *verſ. Fratres &c.*

29 Si Regularis ſit promouendus ad Subdiaconatum, debet in litteris teſtimonialibus afferre atteſtationem, quòd ſit profeſſus, alioquin non promouebitur ad titulum paupertatis religioſæ ante profeſſionem, vt ſuprà declaratum eſt.

30 Dimiſſoriæ omnes concedendæ à nobis, vel Vicarijs noſtris generalibus cum ſpeciali mandato, regiſtrantur à Cancellarijs in Regeſto ordinationum.

31 Diſpenſatio ſuper temporum interſtitijs, nempè in Sacris anni circulo non expectato, ſpectat ad Epiſcopum dimittentem ordinarium dimiſſi, non ad Epiſcopum ordinantem, qui tamen in Bullis, mentionem facere debet, quòd ille ſit diſpenſatus ſuper interſtitijs, *vt decreuit Sac. Congreg. Epiſc. de anno* 1563. *die* 9. *Auguſti*: In Regularibus autem diſpenſandis ſuper eiſdem interſtitijs, debet à ſuper oribus Regularibus afferri in litteris teſtimonialibus cauſa, ex qua diſpenſari cum illis debeat, ſed diſpenſatio ſpectat ad ordinantem, *vt eadem Congreg de anno* 1597. *die* 31. *Maij*.

32 Facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate ex defectu natalium ad minores Ordines, & vnum ſimplex beneficium à Iure conceſſum, nobis tantummodo reſeruamus, & ſic etiam diſpenſandi, & abſoluẽdi in caſibus expreſſis *in cap. Liceat. Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 6 *de refor.* niſi Vicarij noſtri ſuper his ſpeciale mandatum à nobis habuerint.

33 Et quamuis ex diſpoſitione Canonum, & vt quoque meminit *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 11. Ordines etiam minores per temporum interſtitia conferendi eſſent; cùm tamen diſpenſatio ſoli arbitrio Epiſcopi ſit remiſſa; Ideò accedente ſimiliter conſuetudine, in noſtra voluntate reponimus, num illos ſeparatim, vel vna die conferre velimus. In Sacris autem non ſine concurſu cauſæ *à Concil. aſſignatæ diſpenſabimus*.

34 Annus interſtitiorum, non mathematicè duodecim menſium completorum erit intelligendus, ſed quatuor ordinationum, *vt declarauit Congreg. Conc. anno* 1593. *die* 15. *Maij*. Item annos ætatis requiſitæ ad ſuſcipiendos Sacros, ſufficit eſſe inceptos, *vt ead. Congreg. anno* 1594. *die* 7. *Septembris*.

35 Quamuis *ex decreto Concil. Trident.* dimiſſoriæ ad Ordines ſint concedendæ ſolummodo præſentibus examinatis, & approbatis. Verùmtamen pro longè abſentibus conceduntur, committendo examen quoad ſcientiam Epiſcopo ordinanti, aliæ autem probationes fient in noſtra Curia, *vt ſupra* 11. *ſeſſ.* 7. *& cap.* 3. *ſeſſ.* 23. *eiuſdem Concil. declarauit Sac. Congreg.*

36 Ordinati ab alienis Epiſcopis cum noſtris dimiſſorijs, infra menſem poſt promotionem, curent ſuas Bullas regiſtrandas in Regeſto noſtræ Cancellariæ ſub pœna librarum viginti ceræ albæ locis pijs applicanda, & regiſtrationes fiant gratis à noſtris Cancellarijs.

37 Promoti ad Presbyteratum, non celebrent primam Miſſam, niſi per examen ſuper cœremonijs approbati à deputandis à nobis, ſub pœna ſuſpenſionis.

38 In ſuſceptione primæ tonſuræ, & aliorum quatuor minorum Ordinum, ſeruetur omninò *decretum Sacr. Congreg. Cardin ſuper negot. Iuriſdict. Regni Neapolis præpoſit. emanatum de anno* 1623 *die* 10. *Iulij*, circa denunciationes, atteſtationes, & dimiſſorias, vt euitentur pœnæ in eo appoſitæ, cuius Decreti tenor inferiùs apponetur.

39 Et quoniam inter cętera contenta in eodem Decreto, mandatur dimiſſorias ad primam tonſuram, & minores Ordines dirigi debere ad certum, & nominatum Epiſcopum, non ad quemcunque, vt fit in dimiſſorijs ad Sacros; & hoc non obſtante interdum fuerunt expeditæ ſine nomine Epiſcopi, ſed in albo (vt dicetur) committendo ordinando ipſi apponere nomen Epiſcópi per ipſum eligendi, & ſic per indirectum, contrauentum fuit *Decreto Congregat.* Quare præcipimus noſtris Cancellarijs ab hoc abſtinere, & dimiſſorias concedendas pro prima tonſura, & minores Ordines non expediant, niſi cum determinatione Epiſcopi ad quem, &c. ſub pœna excommunicationis, & nullitatis litterarum.

40 Omnis deformitas tàm intrinſeca, quàm extrinſeca in cultu, & habitu corporis abeſſe debet à miniſtris altari, quod etiam in lege veteri præceptum erat, *vt Leuit. cap.* 21. Ideò quicumque etiam aliqualiter corpore vitiati, maculam, & deformitatem in vultu habentes, aſpectu truces, & horridi, repellentur; ſicut etiam, qui habitu indecenti, & comâ profuſâ accedent, niſi attendant cum veſtibus talaribus, & comâ honeſtâ reſecata.

41 Quoniam promotus ad Subdiaconatum ſtatim eſt obligatus ad horas Canonicas; ideò non promouebitur, qui in illis recitandis, non ſit benè inſtructus.

42 Nullus ordinandus, pro faciliori aſſecutione Ordinis adhibeat deprecatores, vel litteras commendatitias afferat, aut munuſcula cuipiam, intuitu ſupradicto, aliàs tranſgreſſor per annum ab ordinatione arcebitur.

43 Porrò monemus examinatores nobiſcum in ordinandorum examine conſeſſuros, omninò abſtinere à commendando quocunque ordinando; alio-

alioquin commendatus carebit pro illa vice beneficio ordinum,& commendans ipſe illo officio priuabitur.

44 Ordinandi ipſi dùm examinantur (exceptis initiandis ad primam tonſuram) interrogentur latinè ſuper materijs Sacramentorum,maximèque Ordinis, qui itidem latinè reſpondebunt; & ſciant benè explicare linguam latinam, non solùm in Miſſali, ſed etiam Concilio Tridentino pro ordinandis ad Sacros, & Subdiaconi habeant Breuiarium nouæ impreſsionis. Initiandos verò ad primā tonſurā ſufficiet, ſi ſint pueri, ſcire legere, & ſcribere, & doctrinam Chriſtianam, ſuper qua interrogabuntur ſpeciatim.

45 Prohibitus aliqua de cauſa occulta, nobis ſolummodo nota, & alijs non declarata, aſcendere ad Ordines; non permittatur à noſtris Officialibus ad illos progredi, ſine noſtrà expreſſa licentia; neque ſuſpenſas à nobis à miniſterio ſuſceptorum, vel interdictas in dicta cauſa, ad officia reſtituatur nobis inſcijs, iuxtà *Decretum Concil.Trid ſeſſ.* 14. *cap.*1. *de reſor.* Nullaque licentia à ſuperioribus contra noſtram voluntatem obtenta eis ſuffragabitur, non factâ mentione, quòd à nobis ſit prohibitus progredi, vel ſuſpenſus, & interdictus, *vt ibidem Concilium*.

46 Eos, qui aliquando militiam exercuerunt, non eſſe ordinandos *decreuit. Sac Congr.Epiſc.* quæ etiā prohibuit quoſdam, qui ſe deſcribi tantummodo fecerunt in libro militari, quamuis bellum non geſſiſſent *de anno* 1619 *die* 3. *Auguſti*.

47 Vltramontani non promouebuntur, niſi eorum dimiſſoriæ à ſuis ordinarijs expeditæ, ſint legalizatæ à Nuncijs Apoſtolicis illius Regni, ſiuè Prouinciæ, & deindè recognitæ à Vicario Generali Vrbis Romæ, *vt ſtatuit Vrbanus VIII. de anno* 1624 *in Conſtit.ſupra relata*.

48 Quamuis ſex tempora in anno ſint ſtatuta à Sacris Canonibus ad ordinationes generales celebrandas; attamen in hac noſtra Diœceſi, ob eius vaſtitatem, & diſtantiam locorum, ſitus aſperitatem, & fluminum inundationes, de hyeme non ſine periculo vitæ affluentium,haberi poſſent. Id propterea decreuimus ordinationes generales bis in anno conficere,hoc eſt, in quatuor temporibus poſt Pentecoſten, & poſt Crucem, reſeruando noſtræ voluntati,quādo alijs etiam quatuor temporibus celebrare placuerit, & tunc per generale edictum indicentur.

49 Ad eaſdem ordinationes celebrandas conuenire nobiſcum in loco, vbi habere nos domicilium tunc contingat, debent dignitates, & Canonici noſtræ Cathedarlis *iuxta decretum Concil Trid. Seſſ.*23. *cap.* 8. aliàs non accedentes vocati ceſſante legitimo impedimento coram nobis probando, ex nunc,pro tunc abſq; alia citatione declaramus incurrere in pœnas contentas *in Synodo anni* 1629. *cap.*8. *n.* 3. & in alias nobis reſeruatas.

De

Decretum de promouendis ad primam tonſuram, & minores Ordines in Regno Neapolis.

30 SACRA Cong. Card. negotijs iuriſdictionalibus Regni Neapolitani præpoſitorum iuſtis, grauibuſq; cauſis adducta, de SS. D. N. Gregorij XV. ſpeciali ordine viuæ vocis oraculo deſuper habito expreſsè præcipit, & mandat omnibus, & ſingulis eiuſdem Regni Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & alijs inferioribus legitimã facultatem habentibus, vt antequam ad primam tonſuram, ſiuè ad minores ordines aliquẽ promoueant, Parocho, ſeù alteri, cui magis expedire videbitur, committant, vt nominibus, & deſiderio eorum, qui volunt promoueri publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum committentem quamprimum tranſmittat, ad hoc, vt tàm ab his, & alijs ex Sac. Concil. Trid. præſcripto in cap. 7. ſeſſ. 23. de refor. adhibendis diligentijs ſibi conſtet, promouendos illis eſſe qualitatibus præditos, quæ per Sacros Canones, idemq; Concil. requiruntur, quòd, & obſeruent, & in litteris dimiſſorijs concedendis, in quibus exprimatur præfatas diligentias præceſſiſſe. Dictæ autem litteræ dimiſſoriæ vni tantum, & certo ordinario ad electionem concedentis in poſterum dirigantur, & pluribus directæ ſint nullæ: Prædictaq; vult inuiolabiliter obſeruari, donec aliud fuerit ordinatum. Si qui verò contra formam præſentis decreti fuerit ad primam tonſuram, ſiuè ad minores Ordines promotus, ab exequutione collati Ordinis, & à ſuſceptione Superioris, perpetuò ſuſpenſus ſit, & vlterius condignis pœnis puniatur. Ordinans verò, vel dimiſſorias concedens, vltra diuinam vltionem, quam incurret, à collatione ordinum per annum ſuſpenſus ſit eo ipſo. Prætereà eiſdem ordinarijs enixè iniungit, vt decreta per ſacros

Cano-

Canones, Sacrumq; Concil. & Apoſtolicas Conſtitutiones, quo ad delationem Clericalis habitus, & tonſuræ, ſeruitiumq; Eccleſiæ præſtandum, ita curent per huiuſmodi Clericos obſeruari, vt in eos, qui contrafecerint, Statutis per ea animaduertere, vt ipſi nequeant de damnabili circa hæc negligentia redargui. Romæ 10. Kal. Iulij 1623.

Oct. Cardinal. Bandinus.

Laurent. Campag. Sec.

De Sacramento Matrimonij.

Titulus XVII.

MAtrimonij Sacramentum, in quo perpetuus, & indiſſolubilis ille viri, & mulieris, Diuina ordinatione firmatus, coniugalis nexus, Chriſti myſticam inſeparabilem cum Eccleſia ſua ſponſa coniunctionem repræſentans, connectitur: magnum in Deo, & in Eccleſia, ſpecialibus prærogatiuis, Apoſtolo teſtante, perhibetur: Tùm ratione antiquitatis, cùm à Deo in ipſo mundi exordio, inter primos parentes ad remedium fuerit inſtitutum, & à Chriſto Domino in Sacramentum confirmatum: tùm etiam reſpectu neceſſariæ vtilitatis, ad humanis generis propagationem conſeruandam. Siquidem in illo generatio per ſobolem continuatur, mutua ſocietas nutritur, & amoris vinculum inextricabile aſtringitur. Vndè cùm perpetuum inſtitutum ſit à Deo, & inſeparabile; nulli poteſt hominis auctoritate ſeparari. Cùm ergo ſancta res ſit matrimonium, ſanctèque tractandum, ne ſuo fruſtretur effectu, nempè gratia, quæ in ipſo, ſicut & in cæteris Sacramentis confertur non ponentibus obicem. Congruit omnes ad illud ſanctè accedere, non veluti pecora, ſtimulis duntaxat concupiſcentiæ, & carnis pruritu agitatos, ac ſolius libidinis explendæ animo.

1 Præcipimus itaque Parochis, ſponſos nullos in matrimonium coniungere, etiam ſi neceſſaria omnia concurrant, niſi ad præſcriptum Ritualis Romani per triduum ante contrahendum, ſua peccata fuerint confeſſi, & communionem receperint; alioquin graues pœnas, noſtro arbitrio, luent.

2 Præteritarum Synodorum Decreta confirmantes, (quatenus his noſtris Conſtitutionibus non repugnant) innouamus pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam à ſponſis ante contractum ſe carnaliter copulantibus, cuius

ius

ius abſolutionem nobis,& Officialibus noſtris generalibus tantummodò reſeruamus,ſoluta priùs in pœnam conſueta pecuniaria mulcta impoſita vigore *decreti Sacr. Congreg. Epiſc. de anno* 1590. *die* 15. *Maij* noſtræ Curiæ præter pœnitentiã ſalutarem in foro conſcientiæ imponendam *iuxta idem Decretum*.

3 Contra eoſdem ſponſos ante contractum cohabitantes, etiam copulâ non ſecutâ, ſi cohabitatio ſit publica, & proindè ſcandaloſa : nam ſi matrimonium aliquo caſu non contraheretur, mulier innupta, & diffamata remaneret Stylum Romanæ Curiæ in hac parte imitantes, quæ huiuſmodi publicis cohabitantibus, etiam copulam non conſummantibus graues imponit pœnas ſeruitij fabricæ loci pij, vltra alias ſatisfactiones in foro conſcientiæ. Præſentis decreto ſtatuimus, & irrogamus pœnam librarum ceræ albæ quinquaginta, ipſorum ſponſorum Parochiali applicandam.

4 Quinimmò non ſolùm continuam cohabitationem verùm etiam frequentes viſitationes ante contractum, præcipuè in abſentia domeſticorum, interdicimus; cùm plerumq; grauium peccatorum, & ſcandali ſiat origines. Vndè tàm ipſi ſponſi taliter ſe periculo ſubmittentes, quàm parentes, & domeſtici non impedientes, pœnam incurrent noſtro arbitrio irrogandam.

5 Prætereà, cùm *Concil. Trid.* moneat ſponſos non ſimul cohabitare antequam nuptialem, ſeù ſacerdotalem benedictionem receperint; multò erit indecentiùs,ſi poſt contractum longius protrahatur. Et cùm in præteritis Synodis ſit præfixus terminus non diferendi illam recipere vltra bimeſtre, *& in Synodo anni* 1619 pœna excommunicationis olim appoſita, fuerit ſublata, & redacta ad terminos Iuris, & obindè multi illam recipere non curant; nos huiuſmodi abuſum tollere volentes,quia tales differentes meritò ſunt tamquam Eccleſiaſticarum rituum contemptores excommunicandi. Statuimus ſponſos poſt contractum in facie Eccleſiæ, huiuſmodi benedictionem, vltra ſex menſes ad ſummum differentes, eſſe excommunicandos, & Parochos obligamus eos denunciare ſub pœna ducatorum ſex, pro quolibet &c.

6 Non ſolùm vagos, & ex remotis regionibus ad hanc Diœceſim aduentitios inquilinos, prohibemus ad matrimonia admitti; ſed alienigenas quoque ex propinquis, & finitimis Diœceſibus in noſtra contrahere volentes: niſi præcedant atteſtationes, & probationes ordinatæ *à Sacr. Congregat Cardin. Sancti Officij, & ſupremæ inquiſitionis de anno* 1630. cum inſertis litteris, & inſtructionibus ſeruandis, in formatione proceſſus ad euitandum damnabile crimẽ Poligamiæ; in quibus hæc ſeruanda præcipiuntur. Primò, erunt examinandi teſtes fide digni coram Epiſcopo, vel Vicario Generali illius Diœceſis, vbi ſit cognitus alienigena ille, & teſtes deponent illum habere notum à puero, vſq; ad illud tempus, & ſcire eundem nunquam contraxiſſe matrimonium, ſed eſſe ſolutum, & in ſtatu libero contrahendi. Quòd ſi alienigena idem ſit viduus, deponent ſcienter de morte alterius vxoris, & quòd cum nulla alia contraxit, & ſit in ſtatu libero &c. & in tali examine ſeruabuntur omnia requiſita, cum interrogatorijs inſertis in eiſdem Inſtructionibus. Tùm examinatis teſtibus, producatur

tur fides Parochi de factis denunciationibus, & pro viduis etiam fides de morte alterius coniugis; & quòd nullum obſtat impedimentum, & fides ſit approbata ab ordinario de legalitate Parochi. His demùm probatis, & habitis; Epiſcopus, ſiuè eius Vicarius pro contrahendo dabit litteras teſtimoniales continentes ſupradictos depoſitiones teſtium, cum decreto, & licentia contrahendi, ſubſcriptas, & ſignatas manu; & ſigillo Epiſcopi, & huiuſmodi litteris præſentatis ſi aliundè allatæ ſint, ad maiorem cautelam, quatenus opus eſſe videatur, fiet per teſtes ſummaria recognitio ſubſcriptionis, & ſigilli, & deindè prouidebitur, vt præcedentibus denunciationibus,matrimonium contrahatur.

7 Quæ atteſtationes de libero ſtatu contrahentis, poſſunt fieri non ſolùm in Diœceſi illius, & vbi degit, ſed quoq; in Curia Epiſcopali Diœceſis, in qua eſt contracturus, dummodo adſint teſtes illum cognoſcentes à puero, vſque ad illud tempus.

8 Ad hanc materiam expedire putauimus annectere quaſdam declarationes eiuſdem *Sac. Congreg.* ad quædam dubia propoſita *à deputatis Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ de anno* 1637. & ſunt ſequentes: Primò, an ordinata in dictis litteris, & Inſtructionibus ſint ad litteram ſeruanda in caſu neceſſitatis articuli mortis pro exteris contrahere volentibus. Secundò, an atteſtatio prędicta ordinarij requiratur pro illis exteris, qui deceſſerunt à loco ſuo ab infantia, & ætate non nubili, & peruenerunt, ac continuè permanſerunt in loco, vbi matrimonium contrahere intendunt. Tertiò, an requiratur pariter atteſtatio ordinarij pro exteris, qui per decennium, & vltra acquiſiuerunt domicilium vbi matrimonium ſunt contracturi, ſi eorũ ſtatus liber probatur per teſtes, tàm originis, quàm domicilij. Quartò, an requiratur atteſtatio ordinarij pro illis exteris, qui in eodẽ loco duxerunt vnam vxorem, vel plures ſucceſſiuè, & illæ mortuæ ſint in loco, vbi idem viduus, vel vidua contrahere cupiunt, ſi poſt mortem prioris coniugis ab illo loco nunquam diſceſſerint. Ad quas dubitationes *Sac.Congreg.S.Officij*, ita reſpondit. Ad primum, non eſſe ſeruandas inſtructiones in articulo mortis, ſi probabiliter non adſit tempus faciendi diligẽtias, cum hac tamen conditione, & præcepto, quòd ſi infirmus conualuerit, antequàm ſimul conueniant, fiant diligentiæ neceſſariæ. Ad Secundum reſponderunt in caſu propoſito, non requiri. Ad tertium, & quartum, requiri. Deindè *in anno* 1638. *eadem Congreg.* reſpondit modo vt ſupra poſito in primo Dubio de conſtitutis in articulo mortis, & contrahere volentibus per litteras directas Vicario Neapolitano.

9 Pro volentibus tranſire ad ſecunda vota, hæc præcipimus ſeruanda: ſi alter coniux ſit mortuus in eodem Oppido, vbi matrimonium erit contrahendum, vel in alio intra noſtram Diœceſim, dabitur licentia contrahenda cum ſola fide Parochi de morte illius, in eodem autẽ loco, vt ſuprà, ſi conſtet Parocho ex libro mortuorum, nulla requiritur fides. Sin autem ille deceſſerit extra Diœceſim, habitâ fide Parochi loci, vbi deceſſit, legalizata ab Epiſcopo, ſeù Vicario illius Diœceſis, cum alijs documentis, quæ neceſſaria videbuntur, expeditam

Decretum à noſtra Curia pro matrimonio contrahendo.

10 Quòd ſi forte contigerit, non poſſe probari de morte ex libro mortuorum, tunc ſi contrahens ſit noſter Diœceſanus, curet probandam per duos ſaltem teſtes in noſtra Curia, qui deponant de ſcientia mortis illius. Si verò ſit aduena, & probatio non poſſit commodè fieri in noſtra Curia, fiat ſaltem in Curia Epiſcopali loci vbi ille mortuus ſit de noſtro conſenſu *iuxta Inſtructiones ſupradictas Sac. Congreg.* aliàs non concedatur licentia contrahendi. Nam nõ rarò accidere ſolet in mortuis apud remotas regiones, in Xenodochijs, triremibus, vel in bello, & in probationem ſolent afferri, quędam aſſertæ fides Hoſpitalarij, ſiuè Curati triremium, aut militum, aſſerendo in illis locis eſſe mortuum quendam, qui ſe talem nominare, & cognominare faciebat: Quæ fides nõ ſufficiunt ad probationem, nec concedatur licentia transeundi ad ſeruanda vota, niſi aliæ fortiores concludentes atteſtationes mortem verificantes, afferantur.

11 Inhibemus noſtris Parochis ſub pœna ſuſpenſionis facere denunciationes ad inſtantiam exterorum contrahere volentium, vel tranſeuntium ad ſecunda vota, quando alter coniugem in remotis deceſſit, non præcedente noſtrâ licentiâ, non concedenda, niſi pręſentatis atteſtationibus; & adhibitis alijs diligentijs ordinatis *in litteris Sac. Congreg. ſancti Officij Eminentiſſimo Boncompagno Archiepiſcopo Neapolit. in anno 1636. die 3. Auguſti.*

12. Neque fiant pro ſponſis non conſtitutis in legitima ætate contrahendi de pręſenti; nempè annorum quatuordecim completorum pro maſculo, & duodecim pro fœmina.

13. Exploratio conſenſus ſponſorum, non fiat præſente vtroque ſponſo, ſed ſemotim, & hoc non ſolùm, & vterque liberè reſpondeat; ſed magis ne tali expreſſio vtriuſque ſponſi affirmantis, facta coram Parocho, & teſtibus tranſeat in matrimonium; ideò cautus ſit Parochus, vt verba ſemper proferantur de futuro.

14 Qui ſponſalia huiuſmodi mutuò interueniente conſenſu de futuro contraxerunt, ea nullatenus diſſoluere, quamuis de præſenti cum alijs contrahant, de factò præſumant, niſi legitimâ cauſâ per noſtram Curiam cognoſcenda, & decernenda intercedat, ſub pœna excommunicationis.

15. Innouamus (eiuſque obſeruantiam ſtrictè præcipimus) Decretum prioris Synodi de publicandis, & enucleandis impedimentis matrimonij ſaltem bis in anno, vt rudes plebes ſcire poſſint in quibus reuelare oporteat: & ipſimet quoque contrahere volentes, ea ipſa impedimenta cognoſcant, maximèque praxim inſinuent petendi diſpenſationes à Romana Curia ſuper vinculis conſanguinitatis, & affinitatis, cum cautelis ſeruandis pro illarum validitate.

16 Quamuis impedimentum Iuris aſſequi in ſecundo, & tertio genere affinitatis ſit ſublatum *in cap. Non debet, de conſang. & affin.* Tamen, quia non facilè Parochi ſimplices, illud à primo genere internoſcere ſciunt; idcircò, quádo dubitatio ſuboriatur, eius deciſio à nobis petatur, quæ frequens habetur in reſpon-

ſis.

ſis *Sacr. Congregat. Conc. maximèque in ea anni* 1628. *die* 13. *Maij*.

17 In coniunctis quarto, & quinto gradu conſanguinitatis, ſiuè affinitatis, licet de Iure nullum reſtet impedimentum, quia remotior gradus attenditur, vt deciſum *habetur cap. vlt. titulo citato.* Nihilominùs talis declaratio à noſtra Curia, iuxta antiquum ſtylum illius, petenda erit.

18 Si contracto iam matrimonio, & coniugibus in illo pacificè exiſtentibus, impedimentum aliquod dirimens detegatur; Parochus ſciens neutiquam tacitè acquieſcat, & ſic ſponſos in concubinatu viuere permittat, præcipuè ſi ijdem de impedimento talem notitiam habeant, ſed ad nos referat, vt opportunè prouidere poſſimus. Quòd ſi in Confeſſione audierit, & proindè propalare non poſſit, benè aduertat quomodo in hoc ipſe Parochus gerere ſe debeat, & à Doctoribus addiſcat.

19 Addiſcat prætereà quid ſit agendum, quãdo in Confeſſione audierit adeſſe aliquod impedimentum dirimens inter aliquos contrahere volentes, illud ignorantes, & requirentes Parochum pro contractu.

20 Sponſi poſt contractum de præſenti, nullatenus propriâ auctoritate, & abſque mutuo conſenſu, iuxtà præceptum Apoſtoli ab inuicem, etiam quoad thorum, & habitationem ſeparare ſe audeant, abſque Decreto noſtræ Curiæ, quæ de legitima cauſa diuortij iudicabit, aliquin cohabitare reſpuens ſponſus pœnam excommunicationis ſubibit.

21 Parochi ſint accuratiſſimi, quando à noſtris Vicarijs ſubdelegantur capturæ informationũ ſuper verificandis clauſulis Breuium diſpenſationum matrimonialium; verè, & realiter interrogare teſtes fide dignos, & qui à ſe interrogata, intelligant, & eorum depoſitiones iuxtà reſponſa deſcribantur, ſub pœna ſuſpenſionis.

22 Si matrimonio iam contracto, aliquod impedimentum ſuperuenſat; vt abinde alterutri ſponſo coniugalis debiti petitio ſit interdicta, & hoc ad notitiã Parochi deueniat, tunc impeditum moneat à nobis petere diſpenſationem, vel ipſe Parochus, ſi honeſtatis cauſâ requirat, facultatem diſpenſandi obtineat.

23 Quamuis temporibus Aduentus, & Quadrageſimæ *iuxta Trident ſeſſ* 24. *cap.* 10. *de reform. matr.* nõ prohibeantur contractus matrimoniorũ, ſed tantummodo ſolemnitates antiquæ nuptiales; tamen quia *Sacr. Congregat ſuper eodem cap. de anno* 1597. *die* 31. *Maij* declarauit ſub hoc nomine ſolemnitatum intelligi traductionem ſponſæ ad domum ſponſi, conuiuia, & carnalem copulam. Proindè caueant Parochi his temporibus, ſine licentia, & diſpenſatione noſtræ Curiæ, aliquos in matrimonium coniungere ſub graui pœna nobis reſeruata. Denunciationes tamen, & ſponſalia eiſdem temporibus permitti, *declarauit Sac. Congreg. Epiſc. anno* 1589. *die* 12. *Decembris*.

24 Denunciationes tres *iuxta Concilium* præmittantur, neque illarum aliqua abſque noſtrâ diſpenſatione ex rationabili cauſa, omittatur. Quòd ſi Parochus propriâ auctoritate aliqua omiſſa in matrimonium aliquos coniungere auſus fuerit, pœnam ſuſpenſionis, & arbitrarij carceris eo ipſo incurret.

25 Prudenter aduertendum erit, quod quandocumque *ex decreto Sacræ Congregat.* datur facultas Ordinarijs locorum remittendi aliquam, vel etiam, ſi caſus ſe quirat, omnes denunciationes; ſub hoc nomine, & appellatione ordinariorum, non comprehendi Abbates etiam exemptos, & commendatarios, quamuis in illis locis habeant Iura Epiſcopalia, *vt declarauit Sacr. Congregat. ſuper cap. 1. ſeſſ. 24. de refor. eiuſdem Trident.*

26 Non vltimâ die denunciationum contrahatur matrimonium; quia adhuc durat terminus reuelandi, ſed in ſequentibus, niſi anguſtia temporis obſtat, veluti, quia ſequenti die incipiat tempus interdicti nuptiarum, & tunc non de manè, ſed circa veſperam, vt detur opportunitas volentibus reuelare.

27 Quando à noſtra Curia decernetur omitti aliquam denunciationem, tunc à Parocho inſinuetur populo, quod illa vnica, vel bina denunciatio ſit vltima, vt poſſint reuelari impedimenta.

28 Itemque quando ex rationabili cauſa, *iuxtà idem Decretum Congregat.* ex diſpenſatione noſtra, denunciationibus omiſſis, matrimonium erit contrahendum, tunc ſponſis copulæ conſummatio prohibeatur, antequam omiſſæ denunciationes ſuppleantur; niſi aliter à noſtra Curia ex legitimis cauſis decernatur.

29 Si in denunciationibus reueletur impedimentum aliquod dubium, vel quod ſuſpicetur falſum, aut calumnioſum: hoc tamen non obſtante Parochus neutiquam ad contrahendum procedat nobis inconſultis, & mandatis receptis.

30. Si reueletur impedimentum occultum, quòd nullo modo probari poſſit per teſtes, neque ipſi reuelanti ſit certum; eo caſu ad euitandum peccatum, Parochus ipſe antequam ſponſos coniungat, ab illis cautè Iuramentum recipiat, num impedimentum illud verum ſit, & ſecundum eorum reſponſa, ſe gerat.

31 Decretum præteritæ Synodi ſub hoc tit. num. 10. & 12. contra reuelantes malitiosè falſa impedimenta, vel aliter obſtantes, nè matrimonia liberè contrahantur; & contra eos, qui maleficijs, & ligaturis, ſponſos ipſos ad copulam reddunt impotentes *iux. Conſtit. Gregor. XV.* alibi citatam, & contra talia conſulentes, & procurantes, ſub pœna excommunicationis; Extendimus cum eadem pœna ad eos qui poteſtate diabolicâ, vel ſuperſtitioſis medelis eaſdem ligaturas diſſoluunt, & diſſolutiones tali indirecto modo procurantes.

32 Prudenter ſe gerant Parochi in cognoſcendo impedimento publicæ honeſtatis: puta ſi quis contraxit ſponſalia validà cum aliquà, & deindè ante contractum de præſenti illa ſponſalia mutuo conſenſu diſſoluantur; tunc vterque ſponſus ille, non poteſt contrahere cum conſanguinea in primo gradu illius ſponſæ, vel ſponſi, cum quo fuerant contracta illa ſponſalia iam diſſoluta, ſine diſpenſatione Apoſtolica *iux. Trident. ſeſſ. 24 cap. 3. de reform. matr.* quia obſtat ſupradictum impedimentum dirimens iuſtitiæ publicæ honeſtatis. Notando, quod impedimentum prædictum oritur non ſolùm ex ſponſalibus, vt ſupra, & tunc non excedit primum gradum; Verùm etiam ex matrimonio rato, hoc eſt contracto de præſenti, ſed nondum conſummato, in quo attenditur ius com-

mune

mune,& extenditur vſque ad quartum gradum incluſiuè, *iux. Conſtit. Pij V. incip. Ad Romanum &c.* & in hoc nihil innouauit *Trident.* & impedimentum huiuſmodi appellari Iuſtitiæ publicæ honeſtàtis declarauit *Sac. Congreg. Concil. die 4. Decembris* 1597. Inſerimus quoq; quod dum quis contrahens de futuro cum aliqua, antequam contrahat de præſenti; copulam habuerit cum conſanguinea illius ſponſæ in primo gradu, tunc cum neutra contrahere poteſt ſine diſpenſatione Apoſtolica, quia in prima obſtat impedimentum affinitatis, & in ſecunda carnaliter cognita impedimentum iuſtitiæ publicis honeſtatis.

33 Matrimonium ſemper contrahatur in facie Eccleſiæ, & non alibi ſine noſtra licentia; niſi aliqua grauis cauſa contingat, veluti articulus mortis, euidens periculum, vel quid ſimile, ob quod non poſſit licentia poſtulari: & qui contrafecerit pœnam luet ſex ducatorum.

34 Dùm matrimonium ipſum, vel nuptiales ſolemnitates in Eccleſia celebrantur, prohibemus intus eandem, & per vias adhiberi modos muſicos inhoneſtos, tripudia, choreas, ſcurrilia, hiſtrionica, vanas, ac ſuperſtitioſas obſeruationes, & reliquos abuſus omnes, & hæc à Parochis denuncientur.

35 Prohibemus quoque, & omninò abolendam decernimus incongruam illam coſuetudinem apponendi Vmbellam, ſiuè Baldachinum, ſub quo conſueuit aſportari Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuper ſponſos in recipienda benedictione Sacerdotali, vt iam prohibuit *Sac. Congreg. rit. de anno* 1606. *die 25. Febr.* ſub pœna librarum viginti ceræ elaboratæ locis pijs &c. eò magis, quia nec in Rituali, Miſſali, vel Ceremoniali hoc inſinuatur.

36 Benedictio ipſa facienda erit à Parocho, vel de eius licentia *iuxta Trid.* pro qua licebit recipere aliquid munuſculi iuxta loci conſuetudinem, quod permittit *Sac. Congreg. Conc. iuxta declarationem in anno* 1599 *die* 15. *Auguſti.* Et hæc munuſcula ſunt gagia ſolius Parochi non Cleri, *vt declarauit Sac. Congr. rit. in Acheruntinen.* 25. *Ianuarij* 1602. & benedictio non detur extra Miſſam, *vt Congreg. Conc.* 13. *Iulij* 1630.

37 Confirmamus Decretum præteritæ Synodi contra adducentes ſecum à remotis regionibus mulierculas, & confingentes eſſe ſuas vxores. Illudquè ampliamus, vt Parochi locorum protinus ab eiſdem flagitant atteſtationes de veritate aſſertionis, quæ ſint authenticæ, vt ſuperiùs declaratum eſt, neque ſat erit afferre ſimplicem fidem, quæ plerumq; falſa adhiberi ſolet. Ideò præter illam Parochi legalizatam ab ordinario loci vnde diſceſſerunt, afferatur alia facta ab illis de regimine eiuſdem loci cum ſigillo communitatis, aliàs non admittatur, & nobis illicò denuncietur, ſub pœna ducatorum viginti à Parocho non ſtatim denunciante incurrenda.

38 Qui fortè auſi fuerint de facto, & non ſeruatis requiſitis *in Concil. Trid.* ſed vocatis Parocho, & teſtibus ad alium finem, & deindè in eorum præſentiã exprimendo conſenſum contrahere matrimonium depræſenti, ex quo plerumq; grauia ſcandala emergunt; pœnam excommunicationis nobis reſeruatæ ipſo facto incurrent, ſicut etiam ad id auxilium, & conſilium præſtantes.

De

De Parocho, & eius Officio.

Titulus. XVIII.

PRVDENTIA, & integritas præſidentum, norma, & ſalus ſolet eſſe populorum; & ſi ignorantia radix omnium malorum in omni hominum genere videtur deteſtanda, hoc maximè continget in præfectis curæ animarum, quæ ars artium, & ſcientia ſcientiarum meritò à Diuo Gregorio appellatur; quandoquidem ſcientia diuinarum, pariterq; humanarum rerum animarum curatoribus, eſt apprimè neceſſaria; Parochus enim prophetico elogio appellatur Angelus teſtamenti, de cuius ore populus legem exquiret; & ſi qualis eſt Sacerdos, talis erit, & populus, ſi ille ſcientiam non habuerit, quonammodo alios docere potuerit? Profectò ceù ignarus rector nauis illam certo naufragio exponit, & cæcus tutum aliis ducatum præſtare non valet: Ita imprudens Parochus plebem ſibi commiſſam, malè regendo, periculoſis peccatorum ſyrtibus implicat, ſcopulis illidit, & ambo in foueam cadunt damnationis. Aſſumendos igitur ad animarum curam, onus quippè Angelicis humeris formidandum, multa oportet pollere ſcientiâ, prudentiâ, ſolicitudine, vigilantiâ, charitate, & vitæ ſanctitate; alios enim inſtruere debent non minùs verbo, quàm exemplo; & vigilare ſolliciti, quaſi rationem reddituri de animabus ſuo regimini commiſſis, ſanguis enim illorum de manibus eorum exquiretur; & ſtrictiſſimum ac duriſſimum Iudicium cum his, qui præſunt, fiet.

1 Attendant ſibi igitur Parochi omnes noſtræ Diœceſis, partem nobiſcum huius laborioſiſſimi muneris ſortiti, ſuſcepto oneri pro ſua virili ſatisfacere, tàm in miniſterio Sacramentorum, & celebratione Miſſarum, quàm in paſcenda plebe ſibi commiſſa, pro ſua, & eius capacitate, ſalutaribus verbis præcipuè in Dominicis, & feſtis diebus, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; annunciandoq; eis vitia, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari eos oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Iidemq; inuigilent, ſi quos compererint in aliquo peccato publico eſſe implicitos, vel aliàs à recta ſemita regni cæleſtis deuios, in viam Iuſtitiæ reducere, & à peccatis auocare; nec timore, aut humanâ reuerentiâ, & affectu peccatores palpando, taceant, & conniuentes annunciare omittant, quæ pro animarum ſalute annuncianda ſunt, ne illarum iactura ipſiſmet imputatur; iugiter memoria volutantis terrificam illam omnipotentis comminationem contra negligentes Parochos teſtificatam *Ezechiel. cap. 33.* quia Dominus contra peccatores clamore, & vocem exaltare quaſi tubam præcipit *Iſaiæ cap. 58.*

2 Vlterius noſcant obſeruationem ſingularum Conſtitutionum Synodalium

tàm

tàm præſentium quàm præteritarum ad ipſorū officium potiſſimū ſpectare, ideò confirmantes omnia eadem Decreta, illorum obſeruantiam obnixè inculcamus, & ſequentia adiungimus. Sedulè incumbant ſuo miniſterio, maximèq; in adiuuandis ægrotantibus in vltimo vitæ agone conſtitutis ad benè moriendum, illis aſſiſtendo adūſq; ſpiritus emiſſionem, Inuigilent ne quis paruulus ſine baptiſmate, & adultus ſine pœnitentiâ, viatico, & Sacrâ Vnctione decedat; alioquin vltra diuinum iudicium, ſæueras à nobis pœnas experietur, & tunc illos culpandæ negligentiæ reos iudicabimus, ſi in caſibus præmiſſis, vltrò etiam irrequiſitis, ſe non exhibeant.

3 Libros Parochiales nuncupatos omninò conficiant, nempè Baptizandorum in dies, confirmatorum, mortuorum, matrimoniorum, & ſtatus animarum ſuæ Parochiæ, adnotando numerum illarum, & quæ ſunt communicabiles, & nondum communicabiles, qui vltimus liber fiat, & renouetur annis ſingulis, & eius copia infra menſem poſt octauam Paſchatis cuiuſq; annis ad noſtram Curiam tranſmittatur, cum relatione ſi qui præceptum annuæ confeſsionis, & communionis omiſerint. Formulæ verò deſcribendæ in vnoquoq; libro aſſumentur *ex Rituali Romano in fine*; & qui contrafecerit pœna ducatorum decem pro vnoquoq; libro omiſſo mulctabitur.

4 Præcipimus inſuper tres alios ab eis confici libros, & in eorum primo exemplent omnes viſitationes generales, cum Decretis ad illas ſpectantibus. In ſecundo omnia edicta à nobis, vel noſtra Curia in dies emananda. In tertio demùm adnotent legata pia, & diſpoſitiones tàm cauſa mortis, quàm inter viuos factas in fauorem Eccleſiarum, Capellarum, & locorum piorum, tàm in teſtamentis publicis, quàm priuatis coram ipſis Parochis Confeſſarijs, & Vicarijs foraneis, voce, vel ſcripto, & illa quoq; facienda ex antiqua conſuetudine noſtræ Diœceſis decedentibus ab inteſtato in fauorem animæ ad pias cauſas; & ſi ad hæc item negligentes extiterint, graui pœnâ arbitrariâ punientur.

5 Porrò ſuper his indemnitati Eccleſiarum conſulere volentes, monemus quoſcumque Notarios eadem legata, teſtamenta, codicillos, donationes, diſpoſitiones, & cōtractu, & omnes huiuſmodi in fauorē Eccleſiarum, & piorum locorum ſtipulantes, & ſcribentes, quatenùs infra menſem poſt mortem teſtatoris, vel ſtipulationis, ſi inter viuos fiant; copiam authenticam eorumdem, Parochis ipſis, ſiuè alijs, ad quos ſpectat, adminiſtratoribus conſignare debeant, iuſto ſalario mediante. Quòd ſi contrafecerint, ſciant tranſgreſſionem huiuſmodi Conſtitutionis nobis in foro conſcientiæ quoad abſolutionem eſſe reſeruatam; & vt cunctis innoteſcat, decretum hoc publicetur in primis Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ, & Copia illius à Parocho conſignetur ſingulis Notarijs ſuæ Parochiæ, vt pleniorem notitiam habeant.

6 Parochi, & alij ad quos, &c. protinus copiam earundem habitarum ſcripturarum ad nos tranſmittant, vt eas debitæ exequutioni, *iuxta Conc. Trident.* mandari curemus, & vt in Archiuio conſeruentur; & ſi contrafecerint, pœnam ſcutorum quinque incurrent.

7 Vbi non reſident Vicarij foranei, eorum vice ſufficimus Parochos, qui ea omnia præſtare, curare, & referre debeant, quæ in titulo de Vicarijs foraneis ſtatuenda ſunt. Quinimmò Curati eorundem locorum in quibus reſident Vicarij, teneantur ad nos cautè referre de vita, & moribus eorumdem Vicariorum, & quomodo ſe gerant in ſuo officio, ſi extorſiones committant, ſi dies feſtos ſeruandos curent, vel licentiam laborandi extra caſus permiſſos concedant, vel de illa concedenda cum laborantibus paciſcantur; ſi cauſas ſpectantes ad noſtrum Fiſcum occupant, aut componant; ſi in capiendis informationibus de delictis occurrentibus ſint negligentes; ſi querelas, & denunciationes ſibi factas ſupprimant; ſi Clericos non inſeruientes Eccleſijs, luſores, arma deferentes, ſine habitu, & tonſura incedentes, vel cum indecentibus veſtibus, &c. non denuncient, & alia huiuſmodi; alioquin ipſimet Parochi ad hæc negligentes pœnis grauibus arbitrarijs punientur.

8 Parocho ægrotante, ſi in loco illo nullus alius adſit Presbyter, vel non exiſtat aliquis approbatus ad Sacramenta; tunc Curatus loci vicinioris ſtatim audità ægritudine, illum adeat, viſitet, conſoletur, ad Sacramenta recipienda diſponat, illaque miniſtret, & eidem aſſiſtat ſi cum vitæ periculo decumbat. Quod ſi ipſe fuerit impeditus, alium ad hæc idoneum aduocet; & interim cum familiaribus ipſius ægroti per manus alicuius Notarij, vel alterius perſonæ prudentis confici inuentarium omnium ſcripturarum, librorum, & rerum quorumcunque ad Eccleſiam ſpectantium, vt ſi caſus mortis contingat ſucceſſori in eadem Curia conſignari poſſit. Morte verò ſequuta ad nos illicò deferatur, vt nulla mora interpoſita de idoneo Vicario, ſiuè Oeconomo prouideamus, donec de ſucceſſore ſeruatis ſeruandis prouidendo, decernatur.

9 Sciantq; ornamenta omnia, & paramenta ſacerdotalia ad diuinum cultum deputata, Calices, vaſa ſacra, Miſſalia, Breuiaria, & libros cantus exiſtentia poſt mortem cuiuſque Sacerdotis, non ad hæredes, ſed ad Eccleſiam, ſiuè beneficiū, in qua ſacerdos ille viuens erat aſcriptus, ſpectare ex *Conſtit. Pij V. incipiente Romani, &c. de anno* 1567. *die* 28. *Septembris*.

10 Et cùm præcepto diuino mandatum ſit curatis omnibus oues ſibi commiſſas agnoſcere, pro illis ſacrificium offerre, diuina verbi prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, & cætera munia paſtoralia obire. Vt his expeditiùs præſto ſint, volumus, & mandamus Parochos omnes apud ſuam Parochiam reſidere, & ſi quando in ipſa Parochia, vel propè eam, domicilium habere nequeat, ſaltem quoad fieri poſſit in loco viciniori inhabitet iuxta *Conſtit. eiuſdem Pij PP. V. quæ incipit, Cupientes, &c. de anno* 1586. *die* 15. *Iunij*.

11 Ad eamdem reſidentiam teneri declaramus, & præcipimus coadiutores eorumdem Parochorum, qui cumulatiuè cum eiſdem Parochis reſidere tenentur; niſi quando Parochi ipſi ſint adeò inualidi, & debilitati, vt earum Reſidentia nulli vſui eſſe poſſit.

12 Non tamen excuſabitur Parochus ob ſenectutē à non reſidendo, ſi adhuc

Sacra-

Sacramenta miniſtrare poſſit,neque ſi exerceat officium inquiſitionis, Subcollectoris, Vicarij Capitularis, Viſitatoris, Secretarij, vel Fiſcalis Epiſcopi; ludimagiſtri, muſici: non cauſa ſtudij, vel ob lites etiam ſuæ Eccleſiæ ſine licentia approbanda, & concedenda ab Epiſcopo in caſibus, & termino pręfixo *à Sac. Conc. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de refor. & in pluribus declarationibus Sac. Congregat. ſuper eodem cap.* 1. *Concil.* relicto Idoneo ſubſtituto. Quamobrem dùm cauſa contigerit, ad nos deferatur, neq; interim Parochus diſcedat ante licentiam obtentam, ſub pœnis contentis *in eodem Concil.* & alijs noſtro arbitrio reſeruatis.

13 Si Parochus grauiter infirmetur, & in loco ſuæ reſidētiæ deſint Medici, qui neq; illuc aduocari poſſint, vel talis ſit infirmitas, vt pro recuperanda valetudine aër ſit omninò mutandus; non obindè poterit diſcedere ſine noſtra licentia, & diſpenſatione, quæ ad plurimum concedi poteſt ad quadrimeſtre vigore *Decreti Sac. Congreg. ſuper relato cap.* 1. ſuffecto Vicario cum congrua portione ex fructibus Eccleſiæ.

14 Habens quoq; graues inimicitias cum probabili vitæ diſcrimine, præcipuè cum Patronis loci, vel alijs perſonis præpotentibus: ſi Parochus ipſe illas componere nequeat, & in pacem redire, neq; eius culpa vigeant, tunc cauſa coram nobis probata, diſpenſationem obtineat non reſidendi, quæ à nobis nō vltra annum concedi poteſt, quo tranſacto ſi adhuc inimicitiæ perdurent, recurrendum erit ad Sacram Congregationem pro licentia diſpenſandi vt plenè *eadē Congreg. in citato cap.* 1.

15 Quocirca inhærendo *Decretis eiuſdem Conc. & Sac. Congr.* præcipimus omnibus, & ſingulis Parochis, curatis, œconomis, & alijs quocunq; nomine & titulo cenſeantur, & eorumdem coadiutoribus in hac noſtra Diœceſi, nullo prætextu, & cauſâ etiam legitimâ intercedente à loco, & reſidentia ſuæ Parochiæ diſcedere, & abeſſe vltra ſpatium dierum quindecim abſq; noſtra licentia, & diſpenſatione inſcriptis concedenda iuxta cauſæ vrgentiam, ſub pœnis contētis *in eodem cap.* 1. *ſeſſ.* 23. non ſolùm per cenſuras, ſed quoq; per ſubtractionem prouenturam Eccleſiæ, & priuationem ſui officij; excipimus caſus præciſæ neceſſitatis, vel recurſus ad noſtra tribunalia.

16 Vicarius, ſiuè ſubſtitutus in caſu legitimæ abſentiæ, non erit deputandus à Parocho diſcedente, ſed à nobis, vel à noſtra Curia, niſi pro abſentia breuis termini, & tunc deputetur Sacerdos Idoneus, & approbatus ad omnia Sacramenta.

17 Parochus non diuagetur per ſua prædia adeò diſtantia à loco Parochiæ, vt repentino caſu contingente, vocatus non poſſit præſto eſſe ad Sacramenta miniſtranda; & ſi neceſſitas vrgeat proficiſci ad alium Oppidum, vnde eadem die non ſit reuerſurus, tunc altero approbatum relinquat, quòd ſi ſolus ſit in loco, non diſcedat, maximèq; ſi ibidem ſint infirmi, ſub pœnis grauibus ad noſtrum arbitrium infligendis.

18 In Dominicis, & feſtis de præcepto, tàm in Miſſa ſolemni, quàm tem-

 pore

pore pomeridiano, doceat populum Doctrinam Chriſtianam, & alia, quæ ſuperiùs ſtatuta ſunt in titulis de Doctrina Chriſtiana,& Sacram. pœnit ac *in Concil. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* ſub pœna ducati vnius pro qualibet vice omiſſionis; ſimiliterque ſi Parochus ipſe habilis ſit, tunc ex currentis Officij, & Miſſæ Epiſtola, & Euangelio aliquos morales ſenſus, & documenta eliciendo, populis inſinuet, & interdum ex vita alicuius Sancti, de quo feſtum, celebratur.

19 Publicet dies feſtos de præcepto ſeruandos ad præſcriptum *Conſtit. Vrbani VIII.* & ſicubi fæſta aliqua peculiariter conſuetum ſit ſeruari, & ſolemniter celebrari, tamquam de præcepto; piam conſuetudinem, quæ non prohibetur *in dicta Conſtit. Vrbani. VIII.* ſeruandam curet.

20 In ieiunijs indicendis inſinuet obligationem ad illa ſeruanda à non habentibus iuſtum impedimentum, quod non à proprio ſenſu, & Iudicio, ſed de Conſilio Medici, & Confeſſarij probandum, ſuffragabitur.

21 In denunciationibus matrimonialibus ſaltem ſummariè explicet impedimenta ditimentia, vt in proximo titulo ſtatutum eſt.

22 Pro miniſtratione Sacramentorum Parochus nullum præmium recipiat intuitu ipſiuſmet miniſterij ſpiritualis, hoc enim à ſymoniaca labe non abeſſet, & taliter recipientes in cenſuras, & pœnas contra ſymoniacos inflictas inciderent. Verumtamen non prohibentur quodam ſpontaneæ oblationes, & conſuetæ eleemoſynæ pro labore, & officij causâ. In alijs verò emolumentis, & gagijs ſpectantibus ad Curatos, ſeruet omninò taxam præſcriptam, & antiquam loci conſuetudinem, ſub pœna reſtituendi duplum, & alia grauiori; & hoc ſeruetur non modo à Curatis ſecularibus, ſed quoque à Regularibus habentibus curam animarum ſecularium, *vt præcipit Sac. Congreg. Concil. in Liman. 18. Septembris 1625.*

23 Iugiter Miſſas celebret, non modò in Dominicis, & feſtis de præcepto, ſed quoque diebus ieiuniorum, & quandocunque deceat populum ſacrificio Miſſæ intereſſe, & ſuo muneri dignè ſatisfaciat, *iuxta decretum Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. de refor.*

24 Aſſiduè demùm animo volutent aſſumpti adhoc Parochiale miniſterium ſalubria monita illa *Sac. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap 1. de refor. generali.* ſe non ad propria commoda, & luxus, ſed ad labores, & ſolicitudines, pro Dei gloria, vocatos eſſe: vt obindè ſubditi proſpicientes præpoſitos ſuos, non quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, & cæleſtem patriam affectare; eorum exemplo ad Religionem, & innocentiam faciliùs inflammentur. In primis ergo mores ſuos ita componant, vt cæteri ab ipſis modeſtiæ, continentiæ, frugalitatis, & humilitatis exempla addiſcere valeant. Nihilque in eorum toto vitæ genere appareat ab hoc ſancto inſtituto alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, & vanitatum contemptum præſeferat, & ſanctitatem redoleat. Præterea omnem humanum erga fratres, nepotes, & propinquos carnis affectum, vndè mul-

torum

torum conſueuit in Eccleſia Dei malorum extare ſeminarium, prorſus deponant: neque eoſdem redditibus, & prouentibus Eccleſiaſticis, quæ, vt Sanctus ille Martyr, & Summus Pontifex Vrbanus teſtatur, ſunt vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; & proindè non ad mundanos vſus præter Eccleſiaſticos, & ad Chriſtianorum fratrum indigentiam ſubleuandam conuertendos, Sacris Apoſtolorum maximè Canonibus prohibentibus, augere ſtudeant; ijs denique Parochi virtutibus fulgeant, vt omnium meritò in ſe oculos conuertant, & animos alliciant.

25 Et quia in tota ferè noſtra Diœceſi Parochiales ſunt adeò tenuis redditus, vt in vacationibus præcipuè in menſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicę, non facilè inueniatur, qui per concurſum illas recipere velit. Vnde ne cura animarum vacaret, & Eccleſiæ ipſæ ſtarent ſine Rectore: ex antiqua conſuetudine, apud noſtros prædeceſſores vſus inoleuit, deputandi in Parochia vacante per modum prouiſionis Vicarium nuncupatum œconomum ad curam animarum donec &c. neque deindè, vt plurimum, alia fiet prouiſio; imò mortuo tali œconomo, ſolet deputari alius ad eundem modum. Quod videtur aduerſari diſpoſitioni *Conc. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 18 *de refor.* in facienda prouiſione per concurſum. Attamen in hac Diœceſi iſta conſuetudo apparet ſcita, & permiſſa *à Sac. Congreg. per litteras per extenſum reponendas in tit.* 33. *de reſidentia verſ. Porrò*. Vndè non ab re uidetur interdum continuari.

26 In diſpenſatione ieiunij, & conceſſione vſus carnium tempore Quadrageſimæ, & dierum prohibitorum, facultatem concedimus Parochis, non ſolùm ex conſilio Medicorum iuxta inſtructiones præt. Synodi, ſed ampliamus, vt efficere poſſint propriâ auctoritate, vbi non adſunt Medici, nec facilè poteſt haberi recurſus, & indigentes verè ægrotent ita, vt huiuſmodi cibis opus habeant.

De Vita, & honeſtate Clericorum.

Titulus XIX.

DEPLORANDA quidem, non minùs, quàm deteſtanda eſt quorundam hominum deprauata conditio, qui in ſortem Domini vocati, ſuæ tamen vocationis immemores, propriæ vitæ lubricitate tali ſorte miſerè priuantur. Et quamuis ſint genus electum, populus acquiſitionis, & obtineant regale ſacerdotium; nihilominùs terrenarum rerum, & humanarum occupationum viliſſimo ſeruitio ſe mancipantes; de ſublimi gradu ad infima deprimuntur; vt meritò de illis loquatur Spiritus Sanctus per os Prophetæ. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis?* O infelix, & miſeranda peruerſio! vos Sacerdotes à Domino appellamini *ſal terræ*, quòd tamen in vobis eſt per ignorantiam infatuatum, & obinde ab hominibus conculcatum; *lux mundi*, per ſordidas carnis illecebras obſcurata; *Ciuitas ſupra montem poſita*, per veſtram ſuperbiam deſolata; *columna Eccleſiæ*, per fragilitatem, & incontinentiam fracta; *lucerna ardens in caligine, & candelabrum aureum tabernaculi* defectu olei miſericordiæ extinctum; *lignum ſcientiæ in medio paradiſi plantatum*, per frigeſcentis charitatis algorem arefactum. Demùm à Rectoribus, & patronis terræ, effecti eſtis diſſipatores, & deſtructores, à ciuibus Paradiſi, & ſucceſſoribus Apoſtolorum euaſiſtis mancipia hominum. Agnoſcite ergo, Sacri Ordinis charactere inſigniti dignitatem veſtram, eamque magnâ cautelâ teneatis, & diuinæ effecti conſortes naturæ, in veterem vilitatem degeneri conuerſatione nolite redire; & ſuper hoc præcipuè ſatagite Sacerdotes conſiderantes, quòd ſi portantes vaſa Domini mundos eſſe oportebat, quantò magis, qui Dominũ ipſum erunt contrectaturi, immaculati eſſe debebunt? cauete ne de vobis meritò conquæratur Diuus Gregorius illis verbis: *Nullum puto fratres ab aliis maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionẽ poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit: quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus. Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus; & quia eò ipſo, quò cæteris Prælati ſumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus; ſuſceptæ benedictionis miniſterium, vertimus ad ambitionis argumentum: Dei cauſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.* Hæc Gregorius.

1 Clericos igitur tàm in minoribus, quàm in maioribus Ordinibus conſtitutos, ijs qualitatibus præditos eſſe oportet, quas enumerat Apoſtolus, nempè

irre-

irreprehenſibiles,ſobrios,prudentes, ornatos, pudicos,hoſpitales, doctores,benignos, iuſtos, ſanctos, continentes: non vinolentos, non percuſſores,non litigioſos, cupidos, ſuperbos, iracundos, vaniloquos, ſeductores, contumaces, & demùm ſine crimine aliquo, vt ſint diſpenſatores, non diſſipatores myſteriorum Dei, & idonei miniſtri noui teſtamenti, ne vituperetur miniſterium eorum, & qui de foris ſunt nihil mali de illis dicere habeant.

2 Memores ſint vocationis ſuæ, & iugi recordatione excitati, ſanctitate vndequaque promineant, & quantò per ſacros characteres à communi vſu vitæ laicorum ſeiunguntur, tantò debent ſanctioribus virtutibus præcellere; tanquam Angelos Dei cæleſtem in terris vitam ducere, & ſe ipſos exemplar alijs proferre, vt ſi in ſortem Domini ſunt vocati, verè dicere poſſint, *Dominus pars hæreditatis meæ*, & nominis ſui verum ethymon obtineant. Neque ſint, de quibus Diuus Bernardus his verbis conqueritur; *De Clericis quid dicam, nam aliud ſunt, aliud agunt, & aliud videri volunt. In habendis temporalibus ſunt vt laici, in aſſequendis præbendis, vt Clerici. In plateis, vt milites, in veſtimentis, vt mulieres: & tamen non laborant vt laici, non prædicant, vt Clerici, non fructificant, vt mulieres, nec pugnant, vt milites. Cuius ergo Ordinis ſunt? nullius: & eos credo ordinandos, vbi nullus Ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

3 Loquantur quæ decent ſanam doctrinam, & ſint, vt monet Gregorius, in verbo cauti, & in ſilentio diſcreti, ne tacenda proferant, vel proferenda in aliorum vtilitatem reticeant: nam ſicut incauta loquutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium, eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit.

4 Os eorum non ſit maledictionibus plenum; non alijs detrahant, ſeù notam inurant; non ſe mutuò mordeant, lacerent, & conſumant. Non mentiantur, nam os quod mentitur occidit animam. Non aliena rapiant, appetantoúe, nequ e proximum in negotio circumueniant; à litibus, iurgijs, rixis, & controuerſijs abſtineant, ſunt enim tales Deo odibiles, & hominibus abominabiles; ſed amplectantur virtutes, & in primis, tanquam omnium matrem charitatem; tùm etiam humilitatem, manſuetudinem, patientiam, iuſtitiam, & cæteras virtutes, atque Chriſtianæ pietatis officia.

5 Profeſſionem ſuam habitu probent, & inceſſu, nam ex habitu corporis exteriori, & inceſſu graui, mentis quoque maturitas innuitur, & ſic incompoſitio corporis inæqualitatem, & inconſtantiam indicat animi; prætereà diſſolutio, & diſciſſio veſtium deſidiam, & ruſticitatem arguit.

6. Et ſicut habitus Clericorum non debet eſſe nimis exquiſitus, ſumptuoſus, & delicatus: ita dedecet eſſe ſordidum, craſſum, ruſticum, & lacerum, ſed ſit modeſtus, & tàm domi, quàm foris ſit talaris. Sit omninò nigro colore in exteriori, & in interiori, vel eiuſdem, vel alterius modeſti coloris, non tamen rubei, vel viridis: non phrygis ſparſus, & depictus ſit thorax, non ornamentis ſericeis, vel aureis inſtructus, manicas habens non apertas, nec diſciſſas.

7 Femoralia ſint honeſti coloris, non nimis turgida, non virgata, neque ſericeis ornamentis, & orbiculis ſparſa.

8 Cali-

8 Caligæ,ſiuè tibialia,ſint quoque modeſti coloris,non ſordida,& craſſa,non acu depicta; non geſtentur ſupertibialia villoſa, neque ſocci coriacei, & cothurni niſi in itinere,& illa honeſtis victis, ſub genu,vinciantur, non autem ſinnoſis ſericeis floccis promineant.

9 Calcei quoque non aperti, inciſi,& cum nimio luxu vctarum aſportantur, non calopodia deferantur in Eccleſiam; non chyrothecæ, & crepidæ, niſi cauſa valetudinis.

10 Veſtes,& tunicæ exteriores ſubtanæ nuncupatæ, ſint omninò nigri coloris modeſtæ,non ex panno villoſo leuidenſi more ruſticorum; ſint à parte anteriori tantum apertæ, non à lateribus,& ibi non vncinulis, ſed modeſtis orbiculis vinciantur: neque à parte interiori hypomoclio ſericeo, præſertim alterius coloris conſuantur.

11 Eaſdem ſemper non diſcinctas, ſed decentibus zonis præcinctas Clerici deferant, caueant tamen à corrigijs coriaceis, victis lineis, & alterius coloris præcintorijs.

12 Super eaſdem nunquam imponant Diploiden ceù milites, non penulas non trabeas, non ſymbalota, niſi in itinere equitantes.

13 Pallia ſint conſimilis coloris, & longitudinis, cum veſte talari,eaque in Eccleſia deponantur,neque extra Eccleſiam in proceſſionibus, funeribus, & alijs Eccleſiaſticis functionibus ſuperinduantur, præcipuè dùm ſuperpellicea geſtantur.

14 Collaria ſint ex tela tenui, ſimplicia,non valdè criſpata, neque vltra tres digitos extra veſtes emineant ſint ſemper munda, collo, & veſtibus cohærentia, non multo amilo linita, neque colore ceruleo, aut alio intincta; idemquè ſeruetur in armillis.

15 Bireto Clericali vt plurimum,& in Eccleſia ſemper, vtantur, ſicut etiam ad Proceſſiones,& reliquas functiones; illudq; non ſit ſordidum, depreſſum, & in capite inæqualiter repoſitum. Pileis quoque extra Eccleſiam, & functiones, maximè hyemali tempore, vti poterunt.

16 Subiretum, ſiuè reticulum in capite non geſtent, niſi valetudinis causâ, illudq; in celebratione, & cæteris Officijs Eccleſiaſticis deponant, nam licentiá illud aſportandi in Miſſa à ſolo Papa, diximus, concedi poſſe.

17 Cætera ad cultum, & ornatum Clericorum ſpectantia, colligenda ſunt ex præteritis Synodis, Sacris Canonibus, & Concilijs, *præſertim Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. & ſeſſ. 22. cap. 1. de refor. & Clementina, Quoniam &c. de vit. & honeſt. Clerici*.

18 Qui verò in ſuper poſitis Decretis, vel aliquo illorum deliquerit, in decentis habitus geſtationē, in pœnam ducatorum trium pijs locis applicandam ſe incurſurum ſciat; nam & ſi non habitus facit Monachum, tamen oportet Clericos ſemper veſtes ſuo ordini congruentes deferre; neque pedes in diuerſis ponentes, vnum in ſpiritualibus, & alterum in temporalibus habeant; & in his tranſgreſſores à Vicarijs foraneis ſub eadem pœna deferantur.

19 Præter

19 Præter peculiares veſtes, & ornamenta Clericorum ſupra deſcripta, habeantur alia in functionibus Eccleſiaſticis deferenda. Ideò præcipimus, vt ſinguli Clerici, etiam primâ tonſurâ initiati, proprium habeant ſuperpelliceum, quam coctàm appellant, ex tela tenui, non craſſa, & non ſit nimis elaboratum, nec luxuoſis, & amplis lacinijs circumdatum, ne pompam immodeſtam arguat. Qui verò poſt tres menſes à publicatione huius noſtræ Synodi proprium ſibi ſuperpelliceum non comparauerit, in pœnam trium ducatorum eo ipſo, abſque alia monitione, incurret.

20 Illo ſemper Clerici vtantur in functionibus, & actibus Eccleſiaſticis, tàm in Eccleſia, quàm extra, præcipuè in proceſſionibus, funeribus, & quandocumque in Diuinis deſeruiunt, alioquin contrafacientes, pro qualibet vice caroleno vno mulctabuntur; nec Sacerdotes celebrantes ad ſeruitium Miſſæ Clericos ſuperpelliceis non indutos admittant.

21 Veſtes Clericorum in itinere, & villis poterunt eſſe breuioris longitudinis, quàm in Oppidis, vt conceditur *in Decreto Sac. Congregat. Epiſc. de anno* 1589. *die* 18. *Octobris*.

22 Clerici maximèque in Sacris conſtituti, ob mortem coniunctorum, habitum non mutent, nec pullas, villoſas, lugubres, & luctuoſas veſtes deferant, & ſine collaribus, vt multis in locis ſeruatur. Neque cauſa voti adimplendi habitum geſtent regularem, aut tunicam coloris ipſiuſmet habitus, ſub grauibus pœnis noſtro arbitrio reſeruatis; nam vnumquemque decet veſtes deferre ſuo Ordini congruentes.

23 Ad ſubmouendas expoſtulationes laicorum, fraudes Clericorum, & controuerſias iuriſdictionales inter noſtram Curiam, & Magiſtratus ſeculares ſuper delatione habitus, & tonſuræ pro exemptione, & priuilegio fori; eò magis quia Clerici interdum dimittentes habitum, dùm pro delictis patratis à noſtra Curia inquiruntur, per Technas, vt iudiciũ effugiant, aſſerunt ſe Clericatui abdicaſſe in manibus Vicariorum foraneorum, & ſi contra à Magiſtratibus, ob non delationem habitus, tanquam laici trahuntur, petunt à noſtra Curia defendi vti Clericos, quamuis non concurrant requiſita *Concil. Trident ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reſor. & Decreti Sacr. Congregat Conc. de anno* 1595. *die* 11. *Iulij*. Quia Eccleſia, quæ eſt cultrix Iuſtitiæ, non intendit indignos tueri; idcircò præſenti noſtrâ Conſtitutione monemus, & monendo præcipimus omnibus, & ſingulis Clericis, etiam primæ tonſuræ, habitum, & tonſuram Clericales, non pro libito dimittere, neque Clericatui renunciare abſque noſtra ſpeciali licentia in ſcriptis, vel coram nobis ipſis tantum per actum publicum; aliàs inhærendo Decretis *præteritæ Synodi ſeſſ.* 3. *cap.* 5. *num.* 13. omnem renunciationem coram quibuſcunque noſtris Officialibus factam, etiam mediante actu publici Notarij, ſub quacunque formula etiam valida, non præcedente noſtra licentia, nullam, inualidam, nulliuſque roboris, & momenti, declaramus, nec in aliquo renunciantibus ipſis, in quocumque Iudicio, & foro, vel extraiudicialiter, ſuffragari, ſed tali renunciatione non obſtante, adhuc renuncians noſtræ Curiæ ſubiectus intelligatur. Quinimmò tales eo

modo

modo denunciare inualidè attentantes incurrere in pœnam ducatorum viginti,& ad eos conuincendos ſufficiet huius Conſtitutionis promulgatio, ſine alia monitione.

24 In eamdem pœnam declaramus incurrere, qui habitum dimiſſum ex legitima cauſa, propriâ auctoritate, & deſactò reaſſumere præſumpſerint; vel dum Clericatui renunciauerunt,illum repetere intendant,ſine noſtro ſpeciali decreto, & diſpenſatione, priuatiuè quoad noſtros Officiales,abſque noſtro ſpeciali mandato: & reaſſumptio ipſa, & repetitio, nullum ſortietur effectum, niſi de noſtro ordine præcedant requiſita neceſſaria quemadmodum fiunt pro initiandis ad primam tonſuram.

25 Clerici matrimonium de præſenti contrahentes, per talem actum cenſentur tacitæ Clericatui renunciaſſe. Ideò poſt contractum ipſum nullatenus habitum, & tonſuram Clericalem geſtare præſumant, abſq; Decreto noſtræ Curiæ, quòd matrimonio contracto non obſtante liceat eoſdē in Clericatu permanere, captâ priùs informatione, quid contraxerint cum voica, & Virgine; aliàs delatio habitus non ſuffragabitur, & pœnas noſtro arbitrio reſeruatas incurrent.

26 Abolemus omninò,& ſub pœna excommunicationis ipſo factò incurrenda ſeruari prohibemus abuſum illum, in quibuſdam locis hucuſq, vſurpatum à Clericis contrahentibus matrimonium, deferendi ſuperpelliceum in ipſo contractu, & ſic indutos cum ſuis ſponſis domum regredi, quaſi proteſtantes ſe illo actu in Clericatu velle permanere, quod eſt indecentiſſimum, nam Clerici in ſeruitio diuino, & Eccleſiaſticis tantum functionibus, ſuperpellicea geſtare debent.

27 Prætereà nemo, qui non ſit Clericali charactere inſignitus (exceptis Diaconis ſyluaticis, & alijs miniſtris de licentia noſtræ Curiæ deſtinatis ad ſeruitium Eccleſiarum) præſumat habitum Clericalem, ſiuè ſubtanam, tonſuram, & Biretum more Clericorum geſtare, quacumq; ex cauſa, maximèq; irriſoriè, vt à quibuſdam ſacrilegis fieri conſueuit, non ſine ſcandalo, & ordinis dedecore, tempore carnis priuij, hyſtrionicè, & laruati incedentes, & qui contra fecerint pœnam excommunicationis ipſo facto incurrent; & qui eiſdem dederint, vel accomodauerint eaſdem veſtes, ſi Eccleſiaſtici ſint, pœna carceris punientur.

28 In comædijs recitandis, & alijs dramaticis repræſentationibus, & Mimis nullam partem, neque perſonam imitentur, aut agant, omneſq; alios actus ſcenicos, & Iſtrionicos abhorreant, ſub pœna ducatorum viginti, & carceris per tres menſes, & hoc quamuis repræſentationes eſſent ſacræ paſſionis Chriſti, vel martyrij Sanctorum, quod alibi prohibuimus.

29 Tonſuram, ſiuè coronam, quam clericam appellant, continuè geſtant, latitudinis conſuetæ vſurpari ab Eccleſiaſticis timoratæ conſcientiæ, & latitudo talis ſeruari poterit, à Clericis in minoribus digitorum duorum menſura in circulum ducta à conſtitutis in ſacris digitorum quatuor, & à Presbyteris digitorū ſex, ſub pœna noſtro arbitrio reſeruata:

30 Profuſam comam non nutriant, ceù quidam nimis laſciuientes gloriantur

vſque

vſque ad humeros more ſatellitum,ſiuè exulum illam geſtare, non ſine peccato, nam à *Sacris Canonibus prohibetur*. Et meminiſſe debent comam prolixam dediſſe cauſam mortis Abſaloni. Ideò huius Conſtitutionis tranſgreſſores pœna ducatorum viginti mulctabuntur, & alijs grauioribus, pro modo culpæ, puniantur.

31 Barbam quoque à virilem faciem cohoneſtantem, modeſtè tondeant, ne de labio ſuperiori promineat, nam ſanguinis conſecrati ſumptionem impediret guttas,madida reciperet,& inſtillaret,nec ibi ſit recotta. Pars quoque labij inferioris decurrat vſque ad mentem, & non ſub labio tantum ad modum cuſpidis,& more Turcarum horribile viſu; & qui in his delinquerit, pœnam incurret ad noſtrum arbitrium infligendam.

32 Clerici omnes cuiuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, tàm cælibes, quàm coniugati, dummodo non ſint bigami, ſeruitium in diuinis præſtent, ſeruata forma *decreti præteritæ Synodi ſeſſ. 3. cap. 5. num.* 10. in Eccleſijs, vel ſunt aſcripti per hebdomadas ſibi aſſignatas,& in feſtis omnes conueniant, induti qui ſint cottis,& ſi in Eccleſijs Officium recitatur in choro,ibidem aſſiſtant,ſub pœnis contentis *in eodem decreto*, & alijs à nobis irrogandis, etiam carceris.

33 Frequentent Sacramenta, & ſaltem in prima Dominica cuiuſque menſis communicent,ſi ſint in minoribus; ſin autem extiterint in Sacris, ad hoc teneantur omnibus Dominicis, & magnis ſolemnitatibus, & quandocumque in Miſſa ſolemni miniſtrauerint, vt monet *Trident. ſeſſ. 23. cap. 13. de refor.* ſimulquè auſcultent Sacras Conciones, ſub pœna arbitraria.

34 Sed quoniam in viſitationibus,noſtris eſt auribus intimatum, Clericos tàm in minoribus, quàm in ſacris perperam ſua munera, & Officia præſtitiſſe, & Parochos ipſos tùm humano affectu conniuentes, tùm etiam timore perculſos in negotio,vbi timor eſſe non debet,deficientes ad noſtram Curiam non detuliſſe, vt debitis pœnis plecterentur; Igitur nè in poſterum ſimili ſocordià vtantur, volumus, & diſtrictè præcipimus, in vnaquaq; Eccleſia Parochiali noſtræ Diœceſis intra terminum trium menſium poſt publicationem huius Synodi ſub pœna noſtri arbitrij,&c. confici librum iuxta numerum Clericorum,in quo ſeruitia Eccleſiæ,& defectus occurrentes notentur modo ſequenti: In primis folijs deſcribantur Diaconi,Subdiaconi,Clerici,& cæteri miniſtri illius Eccleſiæ,tùm in fronte alterius folij deſcribatur; *Il Clerico N. de N. d'ordini minori hà la cotta, e berretta Clericale propriè*, & ſi illis caret dicatur; *non hà cotta, ò beretta propria. Si l'è aſſegnata la ſettimana del ſeruitio dalli tanti di queſto meſe, &c.* deindè idem Clericus ſubſcribat hoc modo: *Io Clerico tale dichiaro volermi ſeruire del Clericato, andare in habito, e tonſura, e ſeruire in diuinis ſecondo le Coſtitutioni Synodali, ſotto le pene in quelle contenute*: & deindè relictis quibuſdam folijs vacuis, deſcribantur alij Clerici per ordinem. Infra eaſdem ſubſcriptiones dietim annotentur ſeruitia, vel defectus à Presbytero hebdomadario; qui ſi ad hoc negligens fuerit, pœnã noſtro arbitrio reſeruatam incurret; ſicut etiam ſi falſum

deſcribat pœna ducatorum trium pro vnaquaque vice mulctabitur. Et in eiſdem folijs adnotentur confeſſi; vel non confeſſi in terminis ſuprà poſitis. Et numerus Clericorum deſeruientium in quaque hebdomada deſtinetur iuxta quantitatem celebrantium.

35 Si contigerit aliquem Clericum in ſua hebdomada aſſignata penſum ſuæ ſeruitutis aliquando perſoluere non poſſe: valeat alium Clericum ſubrogare, ſicut etiam ſi iuſta de cauſa non communicat in prima Dominica menſis, quòd tamen impedimentum Parocho inſinuabit, quemadmodum ſi tempore ſuæ hebdomadæ ſit diſceſſurus, ab eo licentiam petat.

36 De tali ſeruitio, ſiuè defectu, mandamus Vicarijs foraneis, & in eorum abſentia Parochis, ſingulis quadrimeſtribus referre noſtræ Curiæ in ſcriptis deſumendo ex ſupradicto libro, ſub pœnis grauibus noſtro arbitrio irrogandis.

37 Nullus quoque Clericus admittetur ad vlteriores ordines, niſi in proceſſu ordinationis, vt ſuprà decretum eſt, producat atteſtationem deſumptam ex hoc libro formula ſequenti: *Per quæſito libro ſeruitij huius Parochialis Eccleſiæ N. per me infraſcriptum Parochum, inueni Clericum N. in hoc anno, ſeu tot menſibus, &c. ſatisfeciſſe ſeruitio ſuæ Eccleſiæ in hebdomadibus ſibi aſſignatis, vel defeciſſe per tot vices*; & atteſtentur etiam de menſtrua Confeſſione, & Communione: caueantq; Parochi aſſeuerare falſa pro veris in huiuſmodi atteſtationibus, nam vltra pœnam falſi, & in alias pecuniarias arbitrarias incurrant.

38 Harum atteſtationum prætextu, ſi quis Clericus atteſtatus de defectibus præſumpſerit atteſtantem, etiam indirectè, & ſumptâ aliâ occaſione, & prætextu in perſonam, vel in bonis offendere, moleſtare, accuſare, ſiuè minas, & terrorem incutere, per ſe, vel per alios, aut hæc eadem efficere in perſonam conſanguineorum illius ex nunc talia præſumentem in pœnam carceris per ſex menſes declaramus incurrere, irremiſſibiliter exequendam.

39 Si in Eccleſia ſit congruus numerus Clericorum, vt in functionibus, & officijs ſuo cuiq; ordini proprijs vnuſquiſq; deſeruire poſſit; tunc non promiſcuè alter alterius miniſterium vſurpet, ſed ſinguli quæ peculiariter ſunt ordini ſuo annexa, exerceant *iuxta Decretum Tridens. ſeſſ. 23. cap. 17. de reſor.*

40 Bigami ab huiuſmodi ſeruitijs, & officijs Eccleſiaſticis omninò arceantur, eoſdemq; habitum, & tonſuram Clericalem deferre prohibemus ſub pœna excommunicationis, *vt in cap. Altercationis de Bigam. in 6.* nam ſi per bigamiam carnem ſuam diuiſerunt, congruum erit eoſdem à Sacris munijs ſegregandos.

41 Syluatici quoq; illi Clerici, ſiuè Diaconi impropriè nuncupati, qui nullum ordinis characterem obtinent, ſed tantummodo deſtinantur ad ſeruitiū alicuius Eccleſiæ; licet habitum aliqualiter Clericali conſimilem geſtare teneātur, vt exemptione fori gaudere poſſint, *iuxta decretum Sac. Congreg. de anno* 1623. apponendo in proprio titulo; Tonſuram tamen ſiuè Clericalem coronā, nullo modo geſtent, neq; ſuperpelliceis in miniſterijs vtantur, nam hæc ſunt propria inſignia Clericorum, vt hactenus conſueuerunt.

41 Presby-

42 Presbyteri ab Eccleſijs ad quarum ſeruitio ſunt aſcripti, diſcedere non præſumant ſine noſtra licentia, & diſpenſatione iuſta cauſa per nos probanda intercedente: Quod ſi contra huiuſmodi conſtitutionem diſceſſerint, à nobis per cenſuras,& interdictum ab exercitio Sacrorum reuocandi erunt, *iuxta decretum Trident. ſeſſ. 23. cap. 16. de reſor.* Ideò eoſdem præcipimus non diſcedere, & ſi interdum de noſtra licentia diſceſſerint, nullo modo per alios ſubſtitutos deſeruire faciant in oneribus ſuæ Eccleſiæ ad finem lucrandi portiones prouentuum illius, ſicuti alij deſeruientes, abſq; diſpenſatione noſtra; & in tali caſu ſeruitium pro abſente fiat capitulariter à Clero, à quo recipiantur fructus pro rata abſentiæ, niſi per breue tempus, & citra duos menſes abfuerint.

43 Et quia omnis immunditia, & caſtitatis corruptela, nè nominari quidē, aut ſuſpicari debet inter miniſtros Dei, qui non ad immunditiam, ſed ad ſanctificationem, vt ait Apoſtolus, vocati ſunt. Obindè ad probationem præteritę Synodi, de non retinendis à perſonis Eccleſiaſticis domi mulieribus præter valdè coniunctas, adiungimus eoſdem non poſſe retinere famulas ſine noſtra licētia, quam concedemus certiorati de illarum qualitate, ætate, & vitæ probitate, & quòd nunquam fuerint de concubinatus, meretricij,& lenocinij infamia notatæ, & hoc etiam ſi famulæ fuerint in ætate grandæua, inhærendo *Decreto Sacr. Congreg. Epiſc. quæ de anno 1619. die 15. Febr. confirmauit decretum Epiſcopi Senogallien. prohibentis* cuidam Presbytero ſexagenario retinere famulā quadragenariā dum idem Presbyter à Decreto Epiſcopi reclamaſſet; *eadem q; Congregat. eidem anno die 7. Iunij* prohibuit quodam Presbytero ſexagintaquatuor annorum, retinere famulam ſexaginta ſex, & qui huic noſtræ Conſtitutioni contrafecerit, pœnas pro modo culpæ graues noſtro arbitrio ſubibit.

44 Neque à ſolo famulatu domeſtico, ſed à quocunq; muliebri conſortio abſtinendum erit Eccleſiaſticis, memoreſq; ſint illius ſanctiſſimi Patris Auguſtini, qui congreſſum propriæ germanæ, licet Sāctiſſimæ, deuitabat; cautio enim Eccleſiaſticis omnibus eſſe debet, vt eorum hoſpitia, aut nunquam, aut rarò mulierum pedes terant, quia non poteſt puro corde cum Deo ambulare qui fœminarum acceſſibus delectatur; illæ enim conſcientiam conuerſantium exurunt, & non modò ſapientes apoſtatare faciunt, ſed ſanctos homines interdum. Ideò cum eiſdem coniunctis non niſi ex cauſa curæ familiaris, domeſticum commercium effugiant; & animaduertant quam enixè talia vindicent Sacri Canones & ſignanter *Conc. Tolet. 8. Can. 6. & perlegant mirabile illud Decretum Concil. Tolet. X. de Potamio Epiſc. Bracharenſi.*

45 Atque, vt occaſiones præſcindantur, prohibemus eoſdem intereſſe conuiuijs nuptialibus, muſicis, chore s etiam coniunctorum, ſpectaculis ludicris, comœdijs, & alijs vanis ſcurilibus, & Hyſtrionicis actionibus. Neque penes ſe habeant libros laſciuos, & amatorios, & inhoneſtas picturas, quæ plerumq; magnum libidinis incentiuum præſtare ſolent.

46 Mulieres quantumuis honeſtas, & nobiles ſcribere, & legere non doceant, neq; in caſu inſtruant, ſine noſtra licētia, ſub pœna carceris ad noſtrū arbitriū.

 47 La-

47 Laicorum intima conſortia, præter caſus neceſſarij commercij, & occaſionem eiſdem corporaliter, vel ſpiritualiter ſubueniendi, fugiant, & in cunctis benè videant quomodo cautè ambulent, nè eorum miniſterium vituperetur, nam corrupta conuerſatio bonos etiam corrumpit, & ex nimia perſonarum ſecularium familiaritate, Clericalis dignitatis plerumque contemptus proficiſcitur, & imprudentia Clerici, non poteſt ſimplicitatis prætextu excuſari. Pacem cum omnibus habeant; lites, & iurgia non ſuſcipiant; rixas, æmulationes, & contentiones deteſtantur, fidem non fallant, à periurijs, & mendacijs abhorreant, nam os, quod mentitur occidit animam. A ludis quibuſcumque tanquam ab exitiali contagio abſtineant, neque luſoribus aſſiſtant, aut illorum ſpectatores fiant, ſiuè cum illis participent, aut ſponſiones faciant, ſub pœna ducatorum decem, & carceris arbitrarij, & Vicarij foranei locorum tranſgreſſores deferant, ſub eadem pœna.

48 A venationibus, præcipuè clamoroſis, & cum canibus, ſe cohibeant, vndè nec canes venaticos, aut accipitres nutriant, quod Sacri Canones prohibent; & ſi in venatione arma deferent, pœnis contra deferentes arma ſæuiriùs plectentur.

49 Retibus tamen interdum, extra tempora Miſſarum, & Officiorum, vti poterunt relaxandi animi gratiâ, non turpis lucri ex aucupio quæſiti, dummodo ex hoc functiones Eccleſiaſticæ nullatenus impediantur.

50 Quidquid temporis à Diuinis Officijs, Eccleſiaſticis functionibus, & neceſſarijs negotijs vacuum erit; non in otio, deſidia, ſcurilibus, & garritionibus conteratur: ſed quoniam Dei miniſtri ſunt, in lege eius meditentur die, ac nocte. Libros ſpirituales legant, & de lectione fructum animarum per imitationem aſſequantur; & ſi ipſi Sacramentorum miniſtrationem habent, iugiter ſtudeant Summis Doctorum de morali Theologia tractantium, vt in caſibus contingentibus ſuorum pœnitentum conſcientijs conſulere ſciant.

51 Et qui, vel ingenij tarditate, vel ætate iam ingraueſcente deſperant in lectione profectum facere; non idcircò ceſſant pro ſuo virili à ſtudio: ſemper enim aliquid à frequenti lectione memoriæ deſidet, & ſi ibi habeatur collatio caſuum conſcientiæ, illi continuò inſiſtant.

52 Attamen quia ſine libris, vndè ſcientia hauriatur, nemo doctus euadere poteſt: ideò ſinguli. *iuxta Decretum præteritæ Synodi*, ſibi prouideant de Sũmis, & Clerici progredientes ad Subdiaconatum, illicò ſibi prouideant Summam Toleti, ſaltem cui ſtudeant, alioquin ad vlteriores ordines non promouebuntur.

53 Sint in Cantus ſaltem Gregoriani peritia, quæ non minùs, quàm litterarum eruditio eſt neceſſaria, benè inſtructi; nam ex indecora, & incompoſita rerum decantandarum modulatione potiùs riſus, quàm deuotio excitatur. Neque admittentur ad Subdiaconatum, ſine atteſtatione, quòd per biennium muſicæ incubuerint, & de hoc in examine experimentum dederint: Præterea ad hoc negligentes grauiter punientur; nec ſolùm Clerici, ſed etiam Presbyteri infra ætatem quadraginta annorum cantum addiſcere teneãtur. Ideò in Cleris, vbi

vbi ſunt ſaltem octo Presbyteri; & totidem Clerici, magiſter muſicæ conducatur, ſub pœna ducatorum quinquaginta.

54 Contra aſportantes arma, innouantes *Decretum præteritæ Synodi ſub hoc tit. n. 3. adiungimus taxationem pœnæ ex Synod. Salernit. Prouinciali ſub Epiſcopo Sanſeuerino. cap. 6.* ſcilicet Clericos, & alios Eccleſiaſticos aſportantes ſclopum longum, ſiuè Archibuſium, incurrere ipſo facto in pœnam carceris per ſex menſes. Deferentes verò paruum ſclopum nuncupatum Archibuſcetto, ſiuè Piſtolas breuiores tribus palmis, ſubire pœnam remigationis per triennium, vel deportationis in Inſulam, aut carceris per idem temporis. Qui pugiones ſiuè ſtilettos detulerint pœna carceris ſexquianni punientur: etiamſi cũ talibus armis non deliquerint; & ad illos conuincendos vt pœnam incurrant, ſufficient duo conteſtes de viſu, etiam ſi cum talibus armis non fuerint deprehenſi.

55 Porrò, qui arma prædicta ſiuè ſua, ſiuè aliena domi retinere conuicti fuerint, vel ibidem reperiantur; ad pœnam exilij arbitrarij damnabuntur; ſaluo Iure nobis, & noſtræ Curiæ in ſupradictis pœnis moderandi, commutandi, &c. penſatis qualitate perſonæ, loci, temporis, & cauſæ; armaq; ipſa Fiſco noſtræ Curiæ, & interdum de noſtra licentia Baricello applicabuntur.

56 Ad ſupradictas pœnas, non ſolùm Eccleſiaſtici noſtræ ordinariæ Iuriſdictionis erunt obnoxij; Verum etiam qui in locis, & Territorijs noſtræ Diœceſis, etiam ſi ſint exteris, & alienæ Iuriſdictionis, maximèq; ex locis intra fines, & in finibus, & limitibus eiuſdem Diœceſis, arma aſportauerint; ſicut etiam ſi ijdem in illa deliquerint, à nobis erant puniendi, vt in facto contigit noſtro prædeceſſori pro duobus Clericis de loco Sancti Mauti ſubiecto Sacræ Religioni Sancti Ioannis Hieroſolymitani, vbi eadem religio Iuriſdictionem temporalem, & ſpiritualem obtinere prætendit; nam cùm Clerici prædicti ob aſportationem armorum, & delicta patrata in noſtra Iuriſdictione à noſtra Curia fuiſſent carcerati, & à commendatario eiuſdem commendæ prætenderetur remiſſio ad ſuam Curiam vigore priuilegiorum ſuæ Religionis, & cùm ab eadem eſſet habitus recurſus ad Sacram Congregationem Epiſc. & Regul. fuit ab eadem hoc modo reſcriptum.

All'Illuſtre, e Molto Reu. Monſignore come Fratello il Veſcouo di Capaccio.

Intus verò:

Illuſtre, e Molto Reuerendo Monſignore come Fratello.

ESSENDOSI riferita nella Sacra Congregat. la differenza nata trà V.S. & il Prior Cagnoli Caualier Gieroſolimitano intorno alli due Chierici, che ſono ſudditi al Priorato di S.Eufemia poſſeduto da detto Prior Cagnoli, e che ſono ſtati fatti carcerare da V.S. per eſſer ſtati trouati nella ſua Dioceſe armati, & in compagnia d'altre perſone facinoroſe. Queſti miei Eminentiſſimi Signori hanno riſoluto, che V.S. debba procedere nella cauſa delli medeſmi Clerici, e terminarle ſecondo ſtimarà conuenirſi per giuſtitia; tanto dunque potrà eſſeguire, e Dio le preſerui. Di Roma à 22. Agoſto. 1636.

Come fratello.

Il Cardinal S.Onofrio.

A Torniello.

Quarum litterarum vigore Clerici prædicti poſt longos carceres, fuerunt à noſtra Curia recogniti, & iudicati.

57 Et quoniam aſportationis armorum occaſio plerumq; accidit, dum multi Clerici, & interdum Presbyteri humani fauoris à magnatibus captandi ſtudio, eorum domos frequentant ſequipedæ, & aſſeclæ fiunt, atque non ſolùm eorũ factores, & geſtores negationem appellari affectant: ſed quòd indecentiùs eſt, creatos, dici cupiunt, & ſic famulatu Dei, cui ſeruire, regnare eſt, ſe abdicantes, hominum ſeruitijs mancipati indecorè viuere malunt. Nos ſupradicta prohibentes, *iuxta decretum præteritæ Synodi*, pœnam tamen illic appoſitam excommunicationis ipſo facto, ne multorum animæ cenſuræ vinculo illaqueentur, in alias corporales commutantes, apponimus pœnam carceris ad noſtrum arbitrium taxandam, citra alias pecuniarias, pro modo culpæ irrogandas. Quas extendimus, & ampliamus etiam ad deſeruientes ad tempus, aſſociantes dum equitant, ad deferentes litteras, & epiſtolas miſſiles tabellariorum more recepto *ſalario*. *Præcipiendo ſimul laicis*, quacunq; dignitate fulgentibus eoſdem

Eccle-

Eccleſiaſticos ad talia indecora ſeruitia non cogere, etiam ſi ſponte ſe offerant, ſub pœna excõmunicationis, & hoc decretum publicetur in primis Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ.

58 Inhærendo Decretis eiuſdem Synodi, prohibemus Eccleſiaſticis commercium cum exulibus, delinquentibus, & facinoroſis hominibus, alioquin tranſgreſſores in prima vice inquiſitionis ſubibunt pœnam carceris per annum. Si etiam in eorum comitiua arma deferant, pro ſecunda remigationis ad arbitrium, & hoc etiamſi nulla delicta, præter aſportationem armorum, cum illis commiſerint. ſic etiam ſi de illorum furtis participent, arma præſtent, compoſitiones illorum nomine tractent, proxenetæ exiſtant, vel ſi illorum Obſeruatores, & frequenter receptatores fuerint; vel ſi commiſſiones, vt aiunt, laicorum exerceant, aut cum talibus commiſſarijs aſſocientur; Imò neque commiſſiones Eccleſiaſticas recipiant ſine noſtra licentia ſub pœna arbitrij.

59 Lites alienas, vt in eadem Synodo, patrocinandas non ſuſcipiant, præter proprias, & domeſticorum, atque Eccleſiæ, & miſerabilium perſonarum, gratis, & cum noſtra licentia in ſcriptis. Et hoc intelligendum declaramus, ſi ipſi perſonaliter Curiam adire velint, non autem domi in ciuilibus cauſis patrocinentur per ſcripturas, quod permiſit *Sacr. Congreg. Conc. die 20. Iulij 1619.*

60 Tutelam non ſuſcipiant, niſi pro pupillis ſibi coniunctis alio tutore laico orbatis, & tunc accedat noſtra licenria, quamuis ſint teſtamentarij, & tutelam gratis exerceant non lucri, ſed pietatis cauſâ; nam ita permiſit *Sacr. Congreg. Conc. de eod. anno 1619. die 23. Nouembris*, quibus, & hoc ſi ſponte acceptent, nam nolentes cogi non poſſunt, vt declarauit *Sacr. Congreg. Epiſc. eodem anno die 14. Iunij* in cauſa cuiuſdam Presbyteri Salernitani à fratre relicti tutoris ſuorum filiorum.

61 Artem medicam, chyrurgiam, Pharmacopœam, tonſtrinam, & quaſcumque mechanicas exercere non audeant, ſub pœna ducatorum quinquaginta, & pro arte medica, ſi pietatis cauſâ, & gratis exercere velint, licentia petenda erit à Sanctiſſimo, qui concedere ſolet ſub conditionibus, vt fiat gratis, ſine medelis vndè abortus timeatur, & dummodo non actus chyrurgiæ, ſecatio, vel aduſtio membri interueniat, &c. Quæ prohibitio etiam pro Clericis coniugatis licentiam non habentibus, intelligenda erit.

62 Officijs, & muneribus publicis nullo prætextu, etiam pietatis, & publicæ vtilitatis, ſe immiſceant, veluti decurionum, ſiuè electorum, æra: iorum, rationalium, Cancellariorum, &c. etiamſi alij idonei non adſint. Neque pro adiuuandis ſuis fratribus, & conſanguineis idiotis, talia officia ſuſtinentibus, pro quibus non ſolùm huiuſmodi officia exercere prohibentur, ſed neque libros, ſcripturas, rationes, & ſimilia conficere, aut eorum loco, & vice in colloquijs, & comitijs publicis interuenire, ſub pœna ducatorum viginti, & alijs grauioribus corporalibus pro modo culpæ infligendis.

63 Decretum præteritæ Synodi de non exponendis querelis, & accuſationibus in foro laicali ſine licentia; declaramus intelligendum in criminalibus tantùm

tùm, quando datur opportunitas illam petendi. Sin autem neceſſitas vrgeat, poterunt Eccleſiaſtici ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequentes ; tales quærelas exponere, cum proteſtatione, quòd non intendant pœnam ſanguinis, *vt in cap. Prælatis de homic. in 6.* & ad hæc ſufficiet licentia Vicarij foranei, & ſic etiam in ciuilibus accuſationibus pro damnis datis in ſuis prædijs, & ſimilibus poterunt agere ſine tali licentia, *vt decreuit Sac. Congreg. Epiſcop. de anno* 1610. *die* 14. *Aprilis*.

64 Ad aliam Conſtitutionem eiuſdem Synodi, de non præſtando iuramento, neque perhibendo teſtimonio ab Eccleſiaſticis in foro laicali, ſine licentia Curiæ Epiſcopalis, vel ſaltem Vicarij foranei, penes quem ſit præſtandam iuramentum pro veritate dicenda in dicta Curia laicali, de quo actu iuramenti facienda erit expreſſio in eadem licentia in ſcriptis, *iuxtà Decretum Congreg. Epiſc. de anno* 1615. *die* 14. *Aprilis*. Adiungimus idem ſeruandum etiam in iuramentis, quando ipſi Eccleſiaſtici, non vt teſtes, ſed vti principales depoſituri, vel iuramentum ſuppletorium pro adiuuandis probationibus præſtaturi, tàm in cauſis conuentionis, quàm reconuentionis, & ſimilibus, in quibus iuramenta interuenire contingat, nec contrafiat, ſub pœna ducatorum decem, & nullitatis actus.

65 Prohibemus quoque Eccleſiaſticis, modo, ſiuè prætextu aliquo deponere etiam cum licentia, in cauſis, non ſolùm criminalibus, ſed etiam ciuilibus, quæ criminalitatem inducere poſſunt, vel ſuſpicio illius cadere poteſt, *vt prohibuit Sacr. Congreg. Epiſc. de anno* 1629. *die* 19. *Iulij*, ſub pœna tranſgreſſoribus exilij per ſex menſes.

66 Monemus item Magiſtratus omnes, & miniſtros Curiarum laicalium tales depoſitiones ab Eccleſiaſticis non extorquere, neque illis vti non ſolùm ad condemnandum, ſed neque pro inditijs ad inquirendum. Quod idem maximè intelligendum, & ſeruandum erit in reuelationibus, quæ fiunt in monitorijs pro rebus deperditis, quæ vigorem habent pro ſolo ciuili intereſſe, vt alibi dicetur, & contrafacientes pœnam excommunicationis incurrent.

67 Formula licentiæ concedendæ à Vicarijs foraneis, & etiam à noſtra Curia talis erit: *Conceditur licentia N. Clerico, vel Presbytero, coram nobis tactis ſcripturis iurato, deponendi in curia ſeculari coram tali Magnifico Iudice in cauſa vertente inter N. & N. dummodo non deponat ſuper articulis concernentibus criminalitatem, infamiam, vel repulſam.*

68 Iuramenta voluntaria veluti in ſtipulationibus contractuum, obligationibus, & ſimilibus ab Eccleſiaſticis, ſufficiet fieri manu dextera admota ad pectus, niſi iuramentum præſtetur coram ſuperiore, quia tunc iurabitur tactis ſcripturis.

69 Prouidere volentes ſuper indemnitate intereſſe habentium in fictis, & fraudulentis donationibus in perſonam Clericorum, inhærendo citatæ *Synod. Salern. t.c. p.8. & Synod. Caputaq. de anno* 1617. præcipimus Clericis omnibus, etiam in ſacris, & Presbyteris, quaſcumque donationes, ceſſiones, venditiones, permutationes, & pro ementitis, & figuratis debitis in ſolutum aſſignationes, &

compen-

compenſationes ſibimet in fraudem, & fictitiem factas, tàm in præiudicium vniuerſitatum pro euitandis ſolutionibus collectarum, quàm in damnum aliorum particularium ex collatione pro infringendis iuribus quæſitis, vel quærendis, & ad defatigandum intereſſe habentes in declinatione fori, & quocumque alio capite in fraudem factas conuentas,& ſtipulatas, nullo modo recipere, vel illis vti in quacumque Curia, & foro, ſub pœna excommunicationis, ſi ſcienter vti præſumpſerint,quæ pœna extenditur etiam adſic fraudulenter donātes,cedentes,&c. & contractus ita in fraudem celebrati à noſtra Curia nulli declarabuntur, ampliantes hanc Conſtitutionem in fraudes commiſſas in formatione proceſſuum pro ordinandis, & hæc Conſtitutio publicetur in prima Dominica Quadrageſimæ.

70 Animaduertant Eccleſiaſtici omnes à Sacris Canonibus quaſcumque mercaturas,turpes quæſtus,& ſecularia negoria,ſibi prohibita,nulloque prætextu egeſtatis,eſſe permiſſa, neque excuſari poſſe habere tenues ptouentus Eccleſiæ, vel beneficij ad vitam ſuſtentandam, quod familiam numeroſam nutriant,& ſint alieno ære obærati; non enim licet Eccleſiaſticis ſeruire Deo, & mammonæ. Proponant perindè ſibi exempla Sanctorum Patrum, qui ex nihilo temporale lucrum quærebant, nec temporalia flagitabant, & illis tamen nihil deerat, imò in ſua pauperrate iuuabanr egenos, & nihil habenres, omnia poſſidebant, quod illis contingebat,quia in Diuina Prouidentia confidentes iactabant cogitatum ſuum in Domino,& ab illo enutriebantur. Non itaque cum ordinis dedecore,& animæ detrimenro terrenos theſauros ambiant cumulare,& per mercaturas,horrea,& arcas implere; ſed potiùs ſtudeanr animas Chriſto mercari, theſauros cœleſtes, & non deficientes theſaurizare: nam ita quærendo primum regnum Dei, omnia quibus homines indigent eis adijcientur.

71 Ideò præter ſupra numeratas artes mechanicas, & alias veluti lignariorum,ferrariorum, fabricentium,ſutorum, cerdonum, figulorum, piſtorum, molitorum, & ſimilium non exerceanr agriculruram, non arent, fodiant, metant, ſericum è bombicibus non extrahant, vecturæ non incumbanr ducendo iumenta onerata cum rebus venalibus, neque alio quouis ſordido exercitio ſe implicent, etiam gratuito,vt alijs officiosè complaceant, & hoc etiam extendimus ad Clericos coniugatos. Tranſgreſſoreſq; prædictorum,pœna ducatorum quinquaginta ſe ſciant eſſe mulctandos.

72 Et quamuis apud Sacros Canones ſit permiſſum interdum Clericis aliquo honeſto artificiolo,vel agricultura ſibi,& ſuæ familię victū,& veſtitū quærere,imò etiam Presbyter expletis officijs, peracto Sacro, & viſitatis infirmis exire poeſt ad opus rurale, & ſuos viſere operarios, *vt habetur diſt.* 91. per multos Canones,& Apoſtolus Paulus hoc idem de ſe confitetur Actor.cap.2. *Ad ea quæ mihi opus erant,& his qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ*; Hoc tamen modeſtè,& ſine ſcandalo fiat,non ſimul cum laboratoribus collaborando,veſtes Clericales deponendo,& ſic ad rura exeundo,ligones,ſecures, runcinas,falces,farſu-

la, & ſimilia ruſticalia inſtrumenta deferendo, alioquin pœnam pro qualibet vice incurrent ducati vnius.

73 Mercaturas non exerceant vendendo, vel reuendendo per ſe, vel per alios, neque pecuniam cum negotiatoribus deponendo, de lucro participent; non frumentũ ad diem credant, vel illud corruptum, ſicut etiam vinum commodent, vt poſtea ſibi perfectum reddatur. Ab vſuris tanquam à mortifera lue abhorreant, maximèque ne à mutuata pecunia lucrum aliquod, vel munera, etiam ſpontanea recipiant.

74 Et quia in materia negotiationis licitæ, vel illicitæ, multa extant ſuper diuerſis caſibus *Decreta Sac. Congregat.* & ſignanter quædam propoſita nomine huius noſtræ *Caputaquen. Diœceſis ab Eminentiſſimo Cardinali Brancaccio tunc ipſius Epiſcopo*, quæ cum practicabiliores caſus contineant, ad verbum apponentur.

Eminentiſſimi D. D.

75 *Capitulum, & Clerus Ciuitatis, & Diœceſ. Caputaquen. vt plurimum ob loci, perſonarum, & temporum qualitatem, aliqua ex infraſcriptis rationibus; neceſſaria ad ſuam, & familiæ ſuſtentationem, coguntur quærere. Ad obuiandum itaq; vexationibus Commiſſariorum, petunt, vt declaretur, an liceat infraſcripta facere abſque reatu illicitæ negotiationis.*

Primò, an liceat eis terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere.

Secundò, an pro neceſſario cultura vſu poſſint emere boues, & alia animalia, & fœtus eorum vendere.

Tertiò, an ij, qui in proprijs bonis habent quercus, & caſtaneas, quorum fructibus ſues veſcuntur: poſſint ſues emere, eoſque alere, & pro ſua, & familiæ ſuſtentatione vendere.

Quartò, an ijdem Clerici, cum folijs ſuarum arborum, poſſint in proprijs ædibus arti ſericæ operam dare, vel idem opus dare ad medietatem, vt in illis partibus fieri conſueuit.

Quintò, an pro ſua, & familiæ ſuſtentatione, non habentes aliundè; liceat conducere poſſeſſiones cuiuſcunque generis ad medietatem, ſeù quartam, & fructus inde percipiendos vendere, abſque reatu illicitæ negotiationis.

Sextò, an poſſint locare boues, oues, & animalia, quæ habent, vel ex ſucceſſione, vel ex alijs debitis, vel ex decimis, eorumque fructus vendere.

Septimò, an liceat vendere ex oliuis, vineis, quercubus, & alijs arboribus exiſtentibus in territorijs patrimonialibus, aut beneficialibus, & alijs obuentis oleum, vinum, glandes, & alios fructus ad ſuſtentationem ſui, & familiæ. Itẽ frumentum, ordeum, fabas, & huiuſmodi alia, ex territorijs patrimonialibus, aut beneficialibus.

Sacra Congregat. Conc. Trident. interpretum mandauit prædicta dubia tranſmitti per manus Eminentiſſimorum, & dari declarationes Sac. Congreg. vnà cū Decretis Sac. Congregat. Epiſ. & deindè maturè habita conſideratione reſpondit inhærendo declarationibus alias factis.

Ad primum reſpondit licere, Clericos agros beneficiorum, & bonorum patrimonialium ſuorum opera laicorum colere, abſque reatu illicitæ negotiationis.

Ad ſecundum, poſſe ſimiliter Clericos pro huiuſmodi cultura vſu, boues, & animalia neceſſaria coëmere, eorumque fœtus iuſto pretio, atque honeſta ratione vendere, nec præterea eos illicitæ negotiationis prætextu vexari poſſe, aut debere.

Ad tertium, itidem poſſe Clericos habentes in proprijs bonis quercus, & caſtaneas, ſues emere, eoſq; alere pro ſua, & familiæ ſuſtentatione; dummodo tamen in emendis, aliendiſq́, & extrahendis ſuibus, nihil ſordidum, aut indecens Ordini Clericali, exerceant.

Ad quartum, licere Clerico arborum in proprijs bonis exiſtentium folia alicui laico vedere eo pacto adiecto, vt lucrum, quod ex bombicibus peruenerit inter vtrumque diuidatur; & pariter eidem licere de earumdem arborum folijs per ſe ipſum abſq; ſui officij detrimento, pro ſua. & familiæ ſuſtentatione, arti ſericæ operam dare: dummodo tamen in artificio huiuſmodi, perſonas non ſuſpectas adhibeat, & quod adhoc Epiſcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.

Ad quintum, Clericos pauperes ob ſuam, ſuæq; familiæ neceſſitatem poſſe terras Eccleſiarum conducere, abſq; reatu illicitæ negotiationis, bona verò laicorū non poſſe, niſi ex mera præciſa neceſſitate.

Ad ſextum, poſſe tenere, & locare boues, oues, & alia animalia, quæ habent ex ſucceſſione, vel ex decimis, nec non fructus illorum vendere, abſq; crimine illicitæ negotiationis.

Ad ſeptimum, eoſdem poſſe vendere granum, ordeum, fabas, & alios fructus recollectos in bonis patrimonialibus, vel Eccleſiaſticis, pro ſua, & familiæ ſuſtentatione abſque reatu illicitæ negotiationis. R. Cardin. Vbaldinus. Franc. Paulucius S. Sac. Congreg.

Adſunt ad eamdem materiam conſimiles declarationes ad dubia propoſita à Clero Diœceſis Alexandrin. & Vintimillien; vt infrà.

Sacerdotes, & Beneficiati Diœc. Alexandrin. & Vigintimillien cùm à Commiſſarijs ſpolij vexarentur ex capite illicitæ negotiationis in ſupracitatis caſibus; ſupplicant Sac. Congreg. vt dignetur declarare quando in eiſdem ſit licita, vel illicita negotiatio oratoribus.

Primò, an Sacerdotes, & Clerici beneficiati poſſint operas ſuorum boum, quos pro laborandis prædijs ſuis patrimonialibus, vel beneficialibus, aut ad eos quomodocumque ſpectantibus, retinent; dùm ſibi vacat, alijs locare, pro certa mercede, abſque periculo ſpolij, & pœnarum Clericis negotiatoribus impoſitarum.

Secundò, an poſſint boues, quos emerint, vel in ſuis prædijs natos educauerint, & inſtruxerint concedere (vt vulgò dicitur) à giouatico, pro certa tritici quantitate quolibet anno perſoluenda.

Tertiò, an poſſint oues centum, vel ſaltem quinquaginta ſimili ratione concedere pro certa caſeorum quantitate, pro eorum, & ſuæ familiæ vſu.

Quartò, an in ſuis molendinis pro tritico, & piſtrinis pro oleo, poſtquam ſuum triticum, & oliuas moluerint, alienum triticum, & alienas oliuas, certa mercede conſtituta, molere poſſint; ſuppoſitis infraſcriptis. Quod ab immemorabili tempore ſemper fuerit factum, & obſeruatum. Quod ſingulis annis non expedit pro ſolo ſeruitio proprio triginta, vel quadraginta ducatos expēdere in conficiendis piſtrinis, nam fiunt ex Iuncis, & alijs materijs, quæ menſibus quinque aut ſex corrumpuntur, & in vno equo, & quatuor perſonis inſeruientibus ipſis piſtrinis, & quod molititia oliuarum durat per quatuor, quinque, aut ſex menſes, iuxta annorum fertilitatem

Quintò, an poſſint aſſumere onus colligendi, aut faciendi à ſua familia colligere oliuas pro certa olei portione à Domino oliueti reddenda, ſuppoſita in hac immemorabili conſuetudine.

Sextò, an poſſint in bonis amicorum, & propinquorum operas diurnas præſtare, vt illi eaſdem in proprijs prædijs reſtituant.

Ad quæ dubia propoſita, ita reſponſum fuit:

Ad primum affirmatiuè, ſi tot iuga boum retineantur, quot ſunt pro prædijs neceſſaria, vel ſi vltra neceſſitatem, boues illi ſint nati ex vaccis, quæ pro neceſſitate culturæ prædiorum, vel alio licito modo teneantur.

Ad ſecundum, quoad boues emptos negatiuè, quo verò ad boues proprios affirmatiuè.

Ad tertium, affirmatiuè, ſi oues propriæ fuerint, & non emptæ ad illum effectum: & ſi emptæ contractus fiat ad comparandum neceſſaria ad victum, non ad lucrum.

Ad quartū, affirmatiuè duobus concurrētibus, videlicet, modo ob hanc cauſā non ſe ſubtrahant ab ijs, in quibus ex officio Clericali incūbere debent, & dummodo non ad lucrum, ſed ad neceſſaria vitæ comparanda pro ſe, & ſua familia, non enim huiuſmodi artificium ſordidum videtur, aut inhoneſtum in illis partibus, cū per vnum equum, & quatuor famulos ſeù operarios fiat, & non per ipſos Clericos.

Ad quintum negatiuè; niſi proprij redditus ſibi, ſuæq; familiæ non ſufficiant, nam hoc caſu ad comparandum victum, etiam aliena prædia conducere licet.

Ad ſextum, ſi opera non ſint ſordida, & inhoneſta, poſſunt fieri huiuſmodi commutationes.

De Beneficijs Eccleſiaſticis,

Titulus XX.

BENEFICIORVM Eccleſiaſticorum prouentus, quemadmodum ſunt ex piorum oblationibus compacti, & ſunt pretia peccatorum, & vota fidelium; ſic quoque eſſe deberent patrimonia pauperum, & dignorum in Eccleſia miniſtrorum. Attamen quia radix omnium malorum cupiditas (quam, vt ait Apoſtolus, quidam affectantes aberrauerūt à fide) multos adeò excæcat, vt quæ ſua ſunt, non quæ Dei quærentes, varijs artibus, & fallacijs Eccleſiaſtica beneficia ſibi aucupantur, & nonnunquam ſurreptitiè, & obreptitiè obtinent, quod præcipuè contigit ijs, quæ de Iurepatronatus ſunt. Namque non modò conferuntur indignis, ſed quod magis vrget, perſonis nominatis, & præſentatis non Canonicè ab illis, quibus nulla competit de Iure actio præſentandi, vel ſi competat non facta ſit legitimo tempore. Quod ortum habet, quia hactenus beneficia ipſa, & Capellaniæ ſine vllo delectu, nec Iuris ſolemnitate, & ordine adhibitis, paſſim non probatis fundamentalibus actionibus, perſonis ſimpliciter nominatis fuêre collata. Cui malo occurrere volentes, vt impoſterum ſtatus beneficiorum noſtræ Diœceſis ſit certus, ſequentes condidimus Conſtitutiones.

1 Præcipimus noſtris Officialibus ad hoc ſpeciale mandatum habentibus, beneficia ipſa de Iurepatronatus quocumque nomine, & titulo cenſeantur, & ſub quibuſcumque clauſulis reſeruata exiſtant; dum vacare per mortem, aut liberam reſignationem contigerit; non conferre perſonis nominatis, & præſentatis ad ſimplicem inſtantiam aſſertorum patronorum; niſi ante collationem, ipſi præſentantes concludenter probent de ſuo Iure, & poteſtate præſentandi, per documenta, & ſcripturas neceſſarias, ſeruata in omnibus forma tradita *à Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 9. de refor.* & ſeruatis decretis *Sac. Congr. ſuper eodem cap 9* Quæ hactenus parum animaduerſa, & ſeruata fuiſſe comperimus, verba autem Concilij, quæ de forma ſubſtantiali ſunt, illa apponimus. *Titulus Iuriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui authentico documento, & alijs Iuris requiſitis oſtendatur; ſiuè etiam ex multiplicatis præſentationibus, per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſuè ſecundùm Iuris diſpoſitionem. In ijs verò perſonis, ſeu Communitatibus, vel Vniuerſitatibus, in quibus id ius plerumque ex vſurpatione potiùs quæſitum præſumi ſolet; plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiritur; nec immemora-*

bilis

bilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quaſi præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuatæ, non minori ſaltem quàm quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur, &c.

2 Huiuſmodi probatio à Concilio tradita ſuper probatione Iuriſpatronatus neceſſaria erit tàm in iudicio petitorij, quàm poſſeſſorij, nam conciliare decretum ſuſtulit omnem poſſeſſionem hoc modo non firmatam, *vt declarauit Sac. Congreg. ſuper eodem de anno 1598. die 13. Februarij*.

3 Authentica documenta, & ſcripturæ erunt Bullæ fundationis, vel plurium inſtitutionum ad præſentationem, producendæ originales; nec in eorum defectu, probari poteſt per teſtes in perſonis ſuſpectis de vſurpatione, vt ſuprà; quia Concilium ponit hanc conditionem pro forma, *vt declarauit eadem Cong. ſuper citato cap. 9. ſeſſ. 25. & in anno 1592. die 25. Octobris*; item *in Panormitan. 4. Decembris 1632. & in alia eadem Panormit. 19. Febr. 1633.* Quinimmò *Rob. Roman. in vna Soran. iuriſpatron. coram D. Pamphilio de annò 1603. 28. April.* expreſsè declarauit, requiri in his perſonis authenticas Bullas fundationis, vel dotationis, vel ex immemorabili, cum præſentationibus continuatis ſpatio quinquaginta annorum, quæ omnes effectum ſint ſortitæ, & Bullę ſint originales; *eadem Rot. in Iacen. Parochialis; eodē anno 1603 die 27. Iunij.*

4 Quarum potentium perſonarum nomine veniant, non modò Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones habentes iuriſdictionem in locis, ſed etiam alij Optimates magnæ auctoritatis, & potentiæ: *vt Rot. Rom. iudicauit de familia Caracciola* etiam ſine iuriſdictione; & hoc remittitur iudicio Epiſcopi, qui penſatis exiſtimatione potentiæ in populo, numeroſitate familiæ, diuitijs, &c. iudicabit.

5 In reliquis verò perſonis non requiritur tam rigoroſa probatio, dummodo concurrat plena probatio à iure ſtatuta in ſupradicto *Decreto Concil. Trid.*

6 In huiuſmodi beneficiorum vacatione, quando ab intereſſe prætendentibus fit nominatio, & præſentatio inſtituendi, antequam ad alia deueniantur, petitio intimetur promotori Fiſcali noſtrę Curiæ pro iuribus ad illam fortè ſpectantibus; & ad eius inſtantiam ſequeſtretur beneficium, donec iuris ordine ſeruato, & factis debitis probationibus, prouideri poſſit ſuper petitâ admiſſione, & inſtitutione in perſonam præſentati; *vt declarauit Sac. Congreg. Concil. ſuper eodem cap. 9.* Nec ſeruetur ſtylus hactenus obſeruari conſuetus inſtituere præſentatos ad beneficia ex ſimplici aſſertione prætendentium, & ex ſolis verbis enunciatiois Bullarum præſentationem præteritarum, quæ verba talia eſſe ſolent: *Ad quem ſpectare dignoſcitur &c.* niſi in ipſis Bullis fiat expreſſa mentio quod conſtiterit planè de iure per Bullas fundationis, dotationis &c. vel per alios legitimas, & ſufficientes probationes, cum verbis expreſſiuis. Ideò in vno quoque actu probationis faciendæ intimetur promotor Fiſcalis; alioquin prouiſio, collatio, & inſtitutio aliter facta, nulla erit.

7 Inſuper

7 Inſuper quoniam in beneficijs de iurepatronatus erectis ab aliqua familia, ſæpènumero tractu temporis contingit per extenſionem lineæ idem ius peruenire ad aliam familiam. Eapropter quando præſentantur Bullæ fundationis, vel dotationis à quadam familia, & præſentatio Capellani fit ab alia familia diuerſa; tunc etiam probandum erit familiam ipſam præſentantem deriuatam eſſe, & cauſam habere à familia fundatoris, vel dotatoris, ex aliquo capite, veluti ſucceſſione, hęreditate, aggregatione, donatione, vel alio titulo &c.

8 Quinimmò etiam ſi pręſentatio fiet à perſonis eiuſdem familiæ, erit probandũ quòd præſentantes deſcendant, & ius habeant à fundatore, dotatore &c.

9 Quod diſponitur de dotatore, nempè, vt quis per dotationem acquirat ius præſentandi, intelligendum erit de aſſignante dotem ſufficientem *iuxta Cõſtitutiones Synodales*; nam dotans inſufficienter, dicetur benefactor, non patronus, vt decreuit *Sac. Congr. Conc ſuper citato cap. 9.*

10 Prætereà aduertendum erit à noſtris Officialibus in probatione Iuris acquiſiti titulo donationis particularis dicti Iuris, non autem cum vniuerſitate bonorum, num dictæ donationi præceſſerit noſter aſſenſus, & ſi pleno Iure tunc ſpectabat ad donantem. In alijs item caſibus alienationis, venditionis, &c. benè inſpiciendum erit, an translatio facta ſit cum vniuerſalitate bonorum aliorum, vt cognoſci poſſit de validitate alienationis; & hæc omnia diſceptabuntur cum promotore Fiſcali noſtræ Curiæ, etiam ſi adſit alius prætendens colſitigator; Nam dictas alienationes, venditiones, &c. non Canonicè factas, prohibet *Concil. Trident. eodem cap. 9. ſeſſ. 25.* ſub pœna excommunicationis, & Interdicti.

11 De Edictis emanandis pro intereſſe prætendentibus, aſſignetur terminus integer à Iure cõſtitutus, qui non erit ſine cauſa coarctandus, & inſeratur libellus præſentationis; & accuſatis, poſt lapſum termini, contumacijs contra incertos intereſſe prætendentes, ſi nemo comparuerit ad opponendum, &c. tunc ſtatuatur terminus probatorius pro verificatione prætenſi Iuris, & aliorum expoſitorum, intimato in omnibus promotore, & in cauſa proceditur ad acta incumbentia.

12 In noſtris quoque viſitationibus Diœceſanis inuenimus multos per ſimplicem præſentationem ad beneficia, non formato proceſſu, neque Bullis ſibi expeditis, ſe ingeſſiſſe in fructibus percipiendis eiuſdem beneficij, quos non ſolùm tamquam intruſi reſtituere tenentur, ſed quoque ius fortaſſe acquiſitum ad rem amittunt. Ne igitur impoſterum talia contingant, & cauſa ignorantiæ prætendi poſſit; præcipimus omnibus, & ſingulis poſt hac præſentandis, vel alio modo prouidendis de beneficijs in noſtra Curia, vt compilato proceſſu, & proviſo ſuper expeditione Bullarum, infra terminum dierum quindecim, ſeù quam citiùs curare Bullas ſibi in forma Cancellariæ in noſtra Curia expediendas, & ſi Bullis non expeditis, nec captâ legitimâ poſſeſſione beneficij, ingerant in perceptione fructuum, eoſdem ex nunc, pro tunc declaramus intruſos, & proindè priuatos quouis Iure quæſito in eiſdem, vel ad illa beneficia, & ad reſtitutionem fructuum perceptorum condemnamus.

13 Eandemque Conſtitutionem ſeruandam præcipimus in prouiſis de Capellania ad vitam pro ſeruitio alicuius beneficij, nam hi quoque Bullas ad hoc ſibi expediendas curare tenentur.

14 Reperimus etiam in viſitatione multos prouiſos à Sede Apoſtolica de beneficijs cum cura, vel ſine cura, & expeditis Bullis, ac apprehenſâ poſſeſſione ſtatim fructus percepiſſe, non habito priùs reſcripto relaxationis fructuum pertinentium ad Reuerendam Cameram Apoſtolicam pro tempore vacationis illius beneficij ab Illuſtriſſimo, & Reuerendíſſimo Nuncio Apoſtolico in hoc Regno, ſine quo fructus ſuos non faciunt, vt præcipitur in *Conſtit. Pij V. incipiente, Cupientes, &c. de anno* 1568. *die* 8. *Ianuarij*. Ideò præſenti Conſtitutione præcipimus omnibus ad quos ſpectat, ſuper his ſuæ conſcientiæ conſulere.

15 Inſuper cùm ſemper in Eccleſia à Sacris Canonibus prohibita ſit pluralitas beneficiorum, & nos in viſitationibus multos plura obtinere cognouerimus. Proindè conſcientijs noſtrorum ſubditorum conſulere volentes, præter in particularibus caſibus in eiſdem viſitationibus ordinata; præſenti Conſtitutione reſtringimus aſſecutionem plurium beneficiorum ad præſcriptum *Sac. Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de reform* nempè, vt ſingulis vnum tantum beneficium conferatur, quòd ſi non ſit ſufficiens ad victum, aliud item ſimplex conferri poſſit, dummodò vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat. Quòd ſi vnum ſufficiens ad victum ſit collatum, & deindè conferatur ſecundum ſimiliter ſufficiens, tunc per aſſecutionem ſecundi, vacare primum aſſecutum, declarauit *Sacr. Congregat.* Concil *de anno* 1594. *die* 28. *Ianuarij, & in anno* 1598. *die* 12. *Februarij, & plenè ſuper citato cap.* 17. *ſeſſ.* 24 vbi etiam declarauit, quòd ſi duo beneficia collata, non ſufficiant ad victum, non poteſt conferri tertium, ſine diſpenſatione, & quod hòc ſit ſeruandum etiam in beneficijs de Iurepatronatus. Vndè ad maiorem animarum indemnitatem, præcipimus omnibus ad beneficia impetranda accedentibus, tàm ſimplicia & libera, quàm de Iurepatronatus, vt ſi fortè alia beneficia cuiuſque generis poſſideant, in ſupplicatione de illis mentionem faciant, tàm de numero, & tempore quo aſſecuti ſunt, quàm de redditibus, & prouentibus ſingulorum, vt ſuper narratis prouideri poſſit. Aliàs impetratio ſurreptitia cenſebitur, & obtinentes in pœnas à Iure ſtatutas incurrant, & in alias ad noſtrum arbitrium irrogandas.

16 Porrò, quia in noſtra Diœceſi beneficia de iurepatronatus pleraque ſunt tenuiſſimi redditus, & oneribus annexis valdè improportionata. Præterea ób tenues redditus ipſarum Parochialium in pluribus locis vix vnus, aut duo deſeruiunt Presbyteri, vt obindè de neceſſitate plura beneficia ſub eodem tecto hi ſint conferenda, ne Capellæ debitis defraudentur obſequijs; & cùm hæc pluralitas beneficiorum quantumuis tenuium, videatur prohibita *à Sacr. Congr. Conc. ſuper eodem cap.* 17. *ſeſſ.* 24. ſine diſpenſatione Apoſtolica. Fuit ſuperioribus ànnis à quodam Vicario Apoſtolico Fuſco huius Diœceſis conſulta eadem Sedes Apoſtolica ſuper opportuno remedio, & fuit eidem reſcriptum per litteras tenoris ſequentis.

Al

Al Sig. Vicario Apoſtolico di Capaccio.

Intus verò:

Reuerendo Signore.

DOpò, che ſi ſcriſſe la lettera, ch'hauerete per mano d'Antonello Sambuco, di nuouo s'è parlato à N. Signore ad iſtantia d'alcuni Preti pouerelli di coteſta Dioceſe, per cauſa dell'incompatibilità (come hauete dichiarato) dell'Altari, che ſi poſſedono per vn ſolo nella medeſma Chieſa con Canonicato, & anco la Cura dell'anime, come era il caſo del ſodetto Antonello, e quando ſi verifichi, che quell'Altari ſiano d'entrata così debole, come viene preſuppoſto ch'è coſa tenuiſſima, ſua Beatitudine ſente che non ſi moleſtino più per tal cauſa, mà ſi laſcino perſeuerare come hanno fatto ſin hora: atteſo maſſime, che queſta coſa è molto frequente nelle Chieſe del Regno, coſi dunque eſequirete, e lo farete intendere doue biſogna. Di Roma li 25. d'Ottobre 1580.

Di V.S. Reu. come fratello.

Il Cardinal Maſſeo.

Quæ litteræ ſunt declaratoriæ aliarum litterarum antea ſcriptarum ad eumdem Vicarium Apoſtolicum ſub hac forma.

Al Reuerendo Vicario Apoſtolico di Capaccio.

Reuerendo Signore.

IN molte Chieſe di coteſtà Dioceſe perche ſiano diuerſi Altari delli quali alcuni Preti ſenza diſpēſa n'hanno in titolo due, e tre inſieme cō vna Parochiale, ò Canonicato, ſincome hà eſpoſto D. Antonello Sambuco, il quale è vno, che n'hà tre inſieme con la Parochia, e tutti di te-

nullſimo valore, & eſſendoſi dato conto d'ogni coſa à N. Signore e del voſtro Decreto ch'hauete fatto Sua Beatitudine s'è contentata di condonare tutti li frutti percetti malamente per la ſudetta cauſa dell'incompatibilità, e pluralità ſub eodem tecto aſſoluendoli d'ogni pena, e cenſure, nelle quali foſſero incorſi, perche vengano quà ad eſpedire noue prouiſioni, che ſe le conced[er]anno gratis di potere ritenere detti beneficij per l'auuenire, il che hò voluto dirui, acciò vi conſermiate con queſta riſolutione di N. Sig. e che lo facciate intendere, che così ſia eſequito. Di Roma li 18. d'Ottobre 1580.

Di V.S. Reuer. come fratello.

Il Cardinal Maffeo.

Quibus litteris ſucceſſerunt aliæ ſuprà poſitæ datæ ſub die 25. Octobris tollentes omnem ambiguitatem retinendi ſine ſcrupulo plura beneficia tenuia ſub eodem tecto. Quas eaſdem litteras eadem *Sac. Congregat. de anno* 1584, alteri Vicario confirmauit.

17 Et quoniam multos auaritia adeò excæcauit, vt non vereantur ſub varijs prætextibus occupare, & ſibimet appropriare, ac vſurpare bona ſtabilia, mobilia, cenſus, & alia ſpectantia ad Eccleſias, & Capellas de Iurepatronatus ipſorum occupantium: vel in exactione reddituum, & prouentuum illatum ſe ingerunt, aſſerendo ſe talia facere, vt curent Miſſas celebrandas pro ſatiſfactione onerum, vel ratione fabricæ, & reparationis, non animaduertentes, quòd talia etiam ſpecie pietatis faciendo, incurrunt in pœnas excommunicationis, & Interdicti, ac priuationis ipſo facto Iuriſpatronatus, per *decretum Concil Trident. ſeſſ.* 25. *c.9. de refor.* Proindè prouidere volentes; præcipimus tàm beneficiatis ipſis talia beneficia obtinentibus, in quibus à patronis facta ſit aliqua occupatio, vt ſuprà, quà etiam Parochis locorum, & quibuſuis talia ſcientibus, quatenus infra menſem à publicatione huius Synodi ſub pœna excommunicationis ad nos tales occupatores deferant, & interim patroni ipſi, & alij occupatores à talibus deſiſtant, & bona ipſa, & adminiſtrationem omnimodam beneficiorum, ipſis beneficiatis diſponendam relinquant ſub pœna excommunicationis ipſo facto, &c. præter pœnas contentas *in Concil. Trident.* Prætereà ad euitandas cum eiſdem colluſiones, prohibemus beneficiatis locare, vel in emphyteuſim concedere bona ſtabilia beneficiorum ipſis patronis: neque eoſdem deſtinare procuratores, & exactores prouentuum, ſub pœna priuationis eiuſdem beneficij, & alijs grauioribus corporalibus.

18 Multa

18 Multa extant in Diœceſi beneficia antiqua,quibus,vt ferebant illa tēpora, fuerunt aſſignatæ dotis in fundatione redditus exigui non correſpondentis oneri Miſſarum annexo. Vnde tempore vacationis non facilè reperiuntur, qui talia beneficia recipere velint, & ex hoc ſeruitium ceſſat, patroni non præſentant, in tempore legitimo, & inſtitutio deuoluit: Introitus depereunt, ea quandoque à patronis occupantur, maximè,quando ipſimet ſunt redditit ij; & tandem onere, & redditus in obliuionem deueniunt, & altaria ipſa nudata in viſitationibus deſtituta reperta ſine certa dote, & obſequio Miſſarum, demolienda iubentur, & ceſſat omnis memoria, & ſi quando ſeruitium ſiuè onera,& redditus incorporantur altaribus maioribus, & Clero; tamen ſenſim celebratio ipſa venit in deſuetudinem,quia ceſſat exactio ſtipendij. Neque huic malo occurri, & conſcientijs mederi poteſt prætextu reductionis Miſſarum factæ *in Synodo Epiſcopi Mattæ de anno* 1617. quia,vt ſuprà dictum eſt,onera Miſſarum ex donatione, vel fundatione,nunquam potuerunt ab Epiſcopis reduci,vel moderari, vt declarauit *Sacr. Congregat ſuper cap 4 ſeſſ.25. de reſor. in Concil. Trident.* Quocirca volentes, modò quò poſſumus meliori prouidere, hâc noſtrâ generali Conſtitutione, monemus omnes,& ſingulos habentes Eccleſias, & Capellas de Iurepatronatus ſuæ familiæ, quatenus infrà ſpatium ſex menſium poſt publicationem præſentis Synodi, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & duos pro tertio, & vltimo peremptorio termino aſſignemus, eorum quilibet poſſidens beneficia de ſuo Iurepatronatus, quorum annui redditus non ſunt correſpondentes omni Miſſarum,ſaltem ad rationem caroleni vnius pro qualibet Miſſa, detractis expenſis: infra terminum prædictum augere debeant dotem eatenus,donec effectiui,& exigibiles prouentus aſcendant ad ſummam correſpondentem oneribus ad taxam prædictam caroleni vnius; Quo termino elapſo, & huic decreto non perito per aſſignationem,& augumentum, vt ſuprà abſque alia citatione, & monitione eoſdem patronos, beneficijs ipſis,& Iuribus omnibus ſuper illis,etiam ab immemorabili tempore, & antiquiſſimâ præſcriptione ſpectantibus, & poſſeſſionis, priuabimus; & de beneficijs ipſis cum eorum annexis & connexis,vel per vnionem, annexionem,& incorporationem cum Parochialibus, vel per conceſſionem alijs competenter dotare volentibus, ſeu per aliam prouiſionem nobis benè viſam, auctoritate ordinariâ diſponemus. Vndè eoſdem,& quemlibet ipſorum hâc eâdem Conſtitutione citamus ex nunc pro tunc, quatenus eo termino ſex menſiū elapſo,infra alios decem dies immediatè ſequentes compareant coram nobis ad dicendum,&c.cauſam quare in eorum contumaciam prædicta vnio, & prouiſio fieri non debeat. Atque præter augumentum dotis, ijdem patroni in eodem termino ſub eadem pœna prouideant altaria eorumdem beneficiorum de omnibus ornamentis ad celebrationem neceſſarijs, & altaria ac Capellas reſtaurent, & prouideant. Et hæc Conſtitutio poſt publicationē Synodi per ſex ſaltē vices inter Miſſarū ſolemnia publicetur,& exēplū apponatur in qualibet Sacriſtia,& ſic publicata omnes afficiat,nō ſecùs ac fuiſſet ſingulis perſonaliter notificata.

O 2 19 Pari-

19 Pariterque diſtrictè præcipimus beneficiatis, ſiuè Capellanis ipſis, tot Miſſas pro adimplendis oneribus celebrare, ſeù celebrari facere, quot ſunt in fundatione, ſeù dotatione appoſita, cùm in hoc non eis ſuffragetur reductio prædicta *Synodi anni* 1617. quæ ſolùm habere poteſt locum in Miſſis legatis, ſiuè relictis poſt fundationem, vbi non eſt pactum determinatum de numero. Neque Capellani ipſi ſe excuſare poſſunt, quòd in ſuis Bullis Capellaniæ, & inſtitutionis, ſit appoſitus minor numerus Miſſarum, quàm in fundatione reperitur cautum, nam in his attendenda erit diſpoſitio Bullarum fundationis, vel dotationis.

20 Et ad hoc euitandum, præcipimus noſtris Officialibus, & Curiæ Notarijs, in expeditione Bullarum inſtitutionum, apponere numerum Miſſarum, & aliorum onerum iuxtà Bullas fundationis, neque attendere ad ſimplicem aſſertionem præſentatorum, vel ad verba enunciatiua præteritarum Bullarum, *iuxta Decretum Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de refor.* & Bullas, ac prouiſiones aliter factas, ſurreptitias, & obreptitias declaramus. Nam quandoque Bullæ fundationis depereunt, & Bullæ inſtitutionis remanent ſine certo numero onerum.

21 Quinimmò multæ hactenus factæ fuerunt collationes (vt in viſitationibus comperimus) ad præſentationem patronorum extra tempora illis à Iure conceſſa, & ideò prouiſio erat deuoluta; quòd non modo ex malitia, ſed interdum per errorem contigiſſe intelleximus. Quâ de re poſthac noſtri Officiales, & Cancellarij cauti ſint, vltra probationem de veritate iuriſpatronatus, requirere etiam atteſtationes de tempore à quo vacauit beneficium, & ſi per mortem, vel reſignationem: nam ſi tranſacti ſint menſes quatuor patronis laicis, & ſex Eccleſiaſticis, computandi à die vacationis, vel notitiæ habitæ de vacatione, tunc deuoluitur collatio pro illa vice ad noſtram Curiam, à qua ſi item non fiet prouiſio infra legitimum ſpatium ſex menſium poſt habitam notitiam deuolutionis, collatio & prouiſio deuoluit ad Metropolitanum, & illo non conferente, ſucceſſiuè ad Sanctiſſimum.

22 Conſtitutionem præteritæ Synodi de non admittendis ad beneficia non conſtitutis in ordine Sacro, reducimus ad terminos Iuris, niſi in fundatione ſit expreſsè cautum, quòd beneficiatus, ſiuè prouiſus, ipſemet celebrare debeat, quia tunc admittendus debet eſſe Presbyter: & in præſentandis ſufficiet ætas annorum quatuordecim inceptorum, vt declarauit *Sac. Congreg ſuper cap.* 6. *de reſor. ſeſſ.* 23 *Concil. Trid. de anno* 1589. *die* 14. *Auguſti*. Niſi aliter ſit in fundatione conuentum, nam in hoc non derogauit Concil. vt eadem *Congreg. declarauit ibidem*.

23 Caueant omninò tàm præſentantes, quàm præſentandi à qualibet ſpecie Symoniæ, non ſolùm realis nempè ſoluendo, & dando quoduis pretium, munus &c. & conuentionalis promittendo, vel paciſcendo aliquid ex prædictis; pro præſentatione facienda, ſed etiam à ſymonia mentali, puta præſentando ali-

quem

quem à quo pro gratitudine ſperet ſe pręmium conſecuturum; alioquin vltra pœnas à iure inflictas contra ſymoniacos, alias noſtro arbitrio ſeuerè irrogandas incurrent; & pari modo per tales ſymoniacos tractatus non præſumant beneficia reſignare, vel in confidentiam retinere, & qui talia ſciuerint, ad nos deferant ſub pœna excommunicationis.

24 Præſentati ad quęcunq; beneficia, non inſtituantur, niſi præuio examine, & approbatione per examinatores Synodales ſi beneficia ſint curata ſeruata forma *decreti Concil. Trident. ſeſſ.* 24 *cap.* 18. *de refor.* In alijs non curatis ſufficiet ſimplex examen, niſi ſint perſonæ notæ, vel alias omittendum ſit examen, quod noſtro, & Curiæ noſtræ arbitrio reſeruamus.

25 In prouiſione Parochialis vacantis, quæ ſit de Iurepatronatus laicorum, non erit neceſſarius concurſus, ſed poterit fieri collatio in præſentatum ſeruatis tamen cæteris, quoad examen appoſitis *in Concil. Triden. in relato cap.* 18. quòd ſi contingat plures præſentari, tunc fiet concurſus ipſorum præſentatorũ eligendo digniorem, illos vocando ad examen, ſine tamen publico edicto, vt in alijs vacationibus: quemadmodum pluries declarauit *Sacr. Congreg. Conc. ſuper eodem cap.* 18. *ſeſſ.* 24. ſin autem præſentatio à patronis laicis, non ſit facta legitimo tempore, & ad nos obindè ſit deuoluta collatio, tunc faciendus erit concurſus per edictum, & reliqua omnia ſeruanda contenta in *Decreto Trident.* vt declarauit *eadem Sacr. Congreg. in anno* 1600. *die* 29. *Nouembris.*

26 Si vacante Parochiali, & propoſito edicto ſuper concurſu, nemo in termino ſtatuto comparuerit, vel qui ſe exponunt, non ſunt Idonei, proponatur ſecundum edictum, & ſi adhuc nullus compareat, tunc per nos, & noſtram Curiam procedetur ad prouiſionem illius in perſonam alicuius idonei bene viſi, *iuxta declarat. Congreg. ſuper eodem cap.* 18. *Concil.*

27 In prouiſis à Sede Apoſtolica per reſignationem ad fauorem in forma dignum, nullus fiet concurſus: ſed prouiſus erit examinandus tantum ſeruata forma præſcripta *in eodem cap.* 18. *Trident. vt vbidem declarauit Sac. Congreg.*

28 Prouiſio Parochialium in locis exemptis, exiſtentibus tamen in noſtra Diœceſi, ad nos ſpectat de iure: cum ipſi exempti non poſſint facere concurſum, nec examinatores in Synodo deligere. Vndè etiam ſi in eiſdem locis exemptis ordinarij habeant iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, & prætendant habere poteſtatem prouidendi Parochiales vacantes: etiam hoc conceſſo, concurſus, & examen ad nos ſpectat, & ipſi tantummodo præſentare poſſunt; alias prouiſio nulla erit, vt in multis locis ſtatuit *Concil. Trid.* maximèque *in dicto cap.* 18. *ſeſſ* 24. *item ſeſſ.* 7. *cap.* 13. *& clariùs ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de refor. verſu. Quod ſi, &c. & ſuper eiſdem locis Sac. Cong. latiſſimè*. In quo benè ſibi, & ſubditis ſuis conſulere hortamur illos, ad quos ſpectat &c.

29 In locis verò exemptis ſubiectis Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ, etiã ſi in illis Religio habeat iuriſdictionem ordinariam ſpiritualem, & iura Epiſcopalia, cura tamen ſit ſuper perſonas ſeculares. Non modò examen ſpectat ad

nos,

nos, ſed etiam collatio, & prouiſio beneficiorum quorumcumque ad formam *Conſtit. Pij. V. quæ incipit, Expoſcit.* de qua vberiùs infrà dicendum erit.

30 Prouiſi de quibuſcunq; beneficijs, ad fidei profeſſionem emittendam, infrà ſtatuta tempora tenentur, aliàs non facient fructus ſuos, & ad reſtitutionem condemnabuntur.

31 Sæpènumero in Diœceſi ſolent vacare beneficia, quorum ad nos ſpectat collatio, & quia de illorum vacatione debitis temporibus notitiam non habemus frequenter per ſpirationem termini ad prouidendum, vel collatio ipſa deuoluit, ad ſuperiores, vel beneficia ipſa ab alijs impetrantur in Romana Curia. Quocirca præcipimus Parochis, & Vicarijs foraneis in ſolidum, quatenus ſub grauibus pœnis, quandocunque in locis ſuæ reſidentiæ contigerit vacatio cuiuſcunque beneficij, tàm ſimplicis, quàm Curati, cuius collatio ad nos ſpectet, etiam ſi ſint de iurepatronatus, & præſentatio à patronis non ſit facta in tempore re, & vacatio ipſa ſit per mortem, ceſſionem, vel reſignationem obtinentis: Protinus ad nos referant in ſcriptis, notando qualitatem beneficij, valorem reddituum, de quo menſe vacet, nomen vltimi poſſeſſoris, ſi ille in Curia Romana, vel extra eam, deceſſit.

32 Super his ſciendũ erit, quòd beneficia vacantia in menſibus Papæ, ſi valor redditnum ſit infra ſummá ducatorum duorum, vel trium de Camera prouidentur per ſolam ſignaturam, ſed non ante biennium vacationis.

33 Et quia anxiè peti ſolet, qui menſes ſint reſeruati Papæ in prouiſione beneficiorum vacantium, & qui pertineant Epiſcopis ordinarijs, & quomodo. Sciendum erit, quod olim Epiſcopi, & alij Prælati ſuperiores ordinariá auctoritate habebant collationem, & inſtitutionem omnium beneficiorum in ſuis Diœceſibus exiſtentium omni tempore; quæ facultas per noua Iura fuit reſtricta ad quatuor menſes, nempè Martij, Iunij, Septembris, & Decembris; in quibus dicti ordinarij propriâ auctoritate poſſunt conferre quæcumque beneficia vacantia (dummodò non ſint Sedi Apoſtolicæ affecta) tàm ſi ſint præſentes in Diœceſi, quàm ſi ex legitima cauſa ſint abſentes tempore vacationis; in alijs verò octo menſibus collatio ſpectat ad Papam. Sed tamen per Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ conceſſum eſt eiſdem Epiſcopis habere alternatiuam ſex menſium in collatione beneficiorum vacantium in illis menſibus, (dummodò non ſint affecta) ſi ipſi Epiſcopi alternatiua nipſam acceptent, acceptationemque ipſam per patentes litteras manu propriâ ſubſcriptas, ſuoque ſigillo munitas, & in ſua quiſque ciuitate, vel Diœceſi datas declarent, & litteras ipſas ad Datarium Papæ, tranſmittant, quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demùm, & nõ antea, incipient vti gratia ſupradictæ alternatiuæ in ſex menſibus anni, nempè, Februarij, Aprilis, Iunij, Auguſti, Octobris, & Decembris, & hoc quamdiù Epiſcopi ipſi apud Eccleſias, aut Diœceſes ſuas verè, ac perſonaliter reſederint duntaxat, ſi verò etiam ex legitima cauſa abſint, & illis abſentibus contingat vacatio etiam in ſuis menſibus, tali alternatiua conferendi non gaudent; ſed illa facultate ordinariá quatuor menſium

ſium Epiſcopi poſſunt vti etiam ſi abſint, vt ſuprà dictum eſt. Reliqui verò menſes alternatiuæ, nempè Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris, & Nouembris, ſpectant ad Sanctiſſimum. Quæ autem beneficia dicantur affecta, & Papæ reſeruata, habentur in eis de regulis Cancellariæ, quæ ad libitum cuiuſque Summi Pontificis ſolent renouari, & immutari.

34 In eiſdem reſeruationibus, non comprehenduntur beneficia de Iurepatronatus, quæ omni tempore ab ordinarijs conferuntur, niſi deuoluat collatio per decurſum legitimi temporis, vt ſuprà dictum eſt.

35 Item Domini Cardinales habent ex indulto Apoſtolico facultatem conferendi beneficia vacantia in menſibus Papæ reſeruatis in illa Diœceſi, in qua ipſi fuerunt Epiſcopi, donec aliam Epiſcopalem Eccleſiam aſſequantur, cum facultate conferendi beneficia.

36 Confirmamus decretum præteritæ *Synodi ſub hoc tit. num. 3.* ſuper erigendis beneficijs de Iurepatronatus in taxatione ſtipendij, ſiuè eleemoſynæ granorum quindecim ad minùs pro quaque Miſſa celebranda: & ſi reſignantur bona ſtabilia in dotem, non ſufficiat ſimplex aſſertio dotantium de annuo valore fructuũ; ſed bona ipſa extimentur ab expertis, quòd ſint tanti annui redditus liberi, deductis omnibus expenſis onerum, & culturæ, & habito reſpectu ad annos fertiles, & infertiles. Inſuper patroni dotatores obligent ſe, & ſucceſſores ad euictionem eorumdem bonorum, ſi caſu fortuito diminuantur, & prõmittant omni futuro tempore prouidere altaria ipſorum beneficiorum de paramentis neceſſarijs, item de calice, libro, caſula, camiſo, & alijs neceſſarijs ad celebrationem, & ad reparationem fabricæ, quandocumque opus fuerit. Proindè præcipimus Cancellarijs noſtræ Curiæ deinceps in Bullis renunciationis, & fundationis omnes ſupradictas clauſulas apponere, declarando quòd etiam ſi non apponerentur, habeantur pro appoſitis, & inſertis, & patroni ſiuè dotatores, talia non adimplentes omni quæſito iure priuabuntur. Quo verò ad aſſignationem quantitatis annui valoris dotis aſſignandæ, quæ in dicto decreto taxatur non minor duodecim ducatorum annuorum: nobis reſeruatus, & noſtræ Curiæ arbitrium illam moderandi ad minorem ſummam, quæ nunquam erit minor quinque ducatorum.

37 Caueant prouiſi de beneficijs à Sede Apoſtolica apprehendere poſſeſſionem antequam Bullæ ſint expeditæ, vel ſaltem habitum ſit mandatum de illa capiendo; nam perderent omne ius in eiſdem beneficijs, & fierent inhabiles ad illa, *ex Conſtit. Pauli III. in anno* 1534.

38 Reſignationes beneficiorum non recipiantur in noſtra Curia, niſi concurrente aliqua ex cauſis, & conditionibus expreſſis *in Conſtitut. Pij V. de anno* 1568. *die* 10. *April. incipient. Quanta Eccleſiæ*. puta à ſenſibus, valetudinarijs, corpore impeditis, vel vitiatis, criminibus obnoxijs, cenſuris irretitis, obtinentibus plura alia beneficia, religionẽ ingreſſuris, matrimonia contracturis, capitales inimicitias habentibus, & alij, *vt in eadem Conſtitutione*.

39 Reſignata non conferantur conſanguineis affinibus, commenſalibus, & familia-

tibus

ribus eorundem reſignantium,etiam per circuitum multiplicatarum perſonarum, ſub pœnis contentis *in eadem Conſtit. Pij V. verſ. Cæterum* ; neque conferri poſſunt ab ipſis Ordinarijs collatoribus ſuis conſanguineis,familiaribus,&c. ſub eiſdem pœnis contentis *in verſ. Qui verò,eiuſdem Conſtitut.*

40 In qua Conſtitutione prohibente collationem beneficiorum reſignatorum in perſonam conſanguineorum,familiarium, &c. tàm reſignantium, quàm ipſorum conferentium, non comprehendi beneficia de Iurepatronatus, teſtatur Cardinalis Matthæius *declaraſſe Gregor. X I I I. in fide ad Archiepiſcopum Salernitanum*.

41 Beneficia quæcumque reſignata, etiam cauſâ permutationis, erunt publicanda intra terminum ſex menſium, iuxta formam traditam *in Conſtit. Gregor. XIII. quæ incipit.Humano vix Iudicio. de anno* 1585. *die* 5.*Ianuarij*, ſub pœnis in ea contentis.

42 Patroni fundatores, ſeù dotatores beneficiorum, quamuis ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, non poſſunt ſeipſos ad eadem beneficia præſentare,neque Procuratores ipſorũ, deputari cũ libera facultate præſentandi aliquem eis benè viſum, poſſunt ipſos principales conſtituentes præſentare : poterit tamen ipſe ordinarius allator inſtituere patronum ex mera ſua liberalitate abſque præſentatione.

De Officio diuino, & horis Canonicis.

Titulus XXI.

QVemadmodum in ſublimi illa triumphanti Eccleſia per cœleſtes ſpiritus aſſiduè decantantur diuinæ laudes ante conſpectum Dei, & Agni. Parimodo congruit in hac noſtra terrena militanti diu, noctuq; à miniſtris Deo, & diuinis officijs dedicatis, diuinam Pſalmodiam, & hymnodiam ab illa cœleſti deriuatam, decantari; & per diſtincta interualla perſolui. Quæ pſallendi, & diuini officij recitandi formula, ad Dei laudes. & Sanctorum memorias celebrandas, in Catholica Eccleſia non vtique nouum eſt inuentum,ſed de eius antiqua obſeruatione multa habentur teſtimonia,& vltra illud Pſalmographi Prophetæ in illis verbis *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, & ſepties in die laudem dixi &c.* habetur *Act. Apoſt. cap.* 1. *et* 3. Apoſtolos gregatim orare conſueuiſſe. Qui deindè modus varijs temporibus à Summis Pontificibus, maximèque à Gelaſio primo, & duobus Gregorijs I. & VII. auctus, & ordinatus, *vt in Breuiario extat*, à multis item Pontificibus, vſque ad Vrbanum VIII. recognitus in recitatione ſeruatur ; ita vt à præſcripta in eo forma, & rubricis recedere, non liceat. Quapropter quod apud illos

illos antiquos Patres ad placitum, & voluntarium erat; nunc iuſtis de cauſis, ex Sacrorum Conciliorum, & vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu, ac ſummorum Pōtificum Conſtitutionibus, plerisque Eccleſiæ miniſtris inoleuit eſſe neceſſarium. Quæ quidem orandi methodus in Eccleſia meritò officium diuinum nuncupatur, namque penſum eſt illius grati officij, quod erga Deum pro collatis quotidiè beneficijs in gratiarum actionem perſoluere debemus.

1 In pleriſque Eccleſijs noſtræ Diœceſis, & Cleris laudabilis conſuetudo ab immemorabili viget recitandi quotidiè Officium in Choro, ex qua eiſdem ſuborta, & effecta eſt obligatio continuandi. Quare antiquam obſeruantiam confirmantes, decernimus ita perſeuerari, ſub grauibus pœnis noſtro arbitrio reſeruatis, vltra pecuniarias in punctatione ſtatutas, & vltra peccatum à tranſgreſſoribus committendum.

2 Et quoniam Eccleſiæ miniſtros non ſolùm in ſtatu mentis interiori, ſed etiam in exteriori corporis Deo, & hominibus placere decet; ideò mandamus Eccleſiaſticis omnibus ad hoc obligatis, vt quando in Chorum conueniunt ad Officium, vel ad Miſſas decantandas, incedant veſtibus congruis induti, nempè tunicâ talari præcinctâ, bireto Clericali ſuper congruente tonſura, & cum decenti ſuperpelliceo, caueant à retinendo pallio, pileo, colopodijs, chyrotecis, & ſupertibialibus laneis ruſticis; & contrafacientes mandamus mulctari in caroleno vno, pro qualibet vice, & à punctatore ſignentur.

3 In Choro nihil indecorum, immodeſtumuè, ac loco illi ſancto incongruum adſit: non colloquia, nugæ, riſus, diuagationes, & prophanæ tractationes admiſceantur, ſed illa omnia ſeruentur, quæ ſeruanda præcepit *Pius V. in Conſtit. incip. Cùm primum Apoſtolatus, &c.* omneſque meminiſſe debent ibi adeſſe Deum, cui omnia patent, & cui cum timore, & tremore pſallendum, & ſeruiendum eſt.

4 Ab eo nullus diſcedat, etiam mox rediturus, & cum rationabili cauſa, non petita venia à maiore, donec Officia Diuina, & Miſſa cantata compleantur, & delinquentes punctentur, tanquam abſentes.

5 A Cleris obligatis recitare Officium in Choro, non alibi extra illum, veluti in Sacriſtia; vel aula coniuncta Eccleſiæ recitatum, quod prohibuit *Sacr. Congr. rit.* 3. *Maij* 1633.

6 Singuli, quâ decet reuerentiâ, grauitate, attentione, & deuotione pſallant, pausâ decenti in medio verſiculo, vbi eſt aſteriſcus, interiecta: verba integrè diſtinctè proferant, non ſyncopizando, vel præuertendo, non ſocios præueniendo, vel immorando, ſed eodem tempore ad ſyllabam, & tono vocis vniſono modulando: Vnus Chorus non incipiat verſum, antequam alter ſuum compleuerit; dùm leguntur lectiones, cæteri illas ſummiſſa voce percurrant, vel ſaltem attentè auſcultent, aliàs non ſatisfacient. Ad verſum *Gloria Patri* aſſurgant inclinati, & ſic in fine Hymnorum.

7 Recitantes ipſi benè calleant rubricas Breuiarij non ſolùm antiquas, ſed

P recen-

recentes in multis locis declarans, & præcipuam notitiam habeant multorum decretorum Sacræ Congreg. rit. ſuper eiſdem rubricis.

8 Sciant quot modis peccatur in mala recitatione Officij, qui apud Doctores in nouem ſunt redacti; nimirum per omiſſionem, mutationem, intentionem, attentionem, prolationem, tempus, locum, ordinem, & interruptionem; quorum modorum declarationem addiſcant à Doctoribus.

9 Faceſſent ab Eccleſia, ambitu, & circuitu illius, maximè dum diuina peraguntur luſores, ſtrepitus, iudicia, clamores, præcones, licitatores, circulatores, venditores quarumcumque rerum, Nundinæ priuatæ, colloquia Vniuerſitatum, & quæcumque alia prophana, & quæ Diuinum Officium perturbare poſſunt, neque infideles, & mancipia adſint, vt Sacr. Congreg. 23. Iulij 1603. prohibuit.

10 Punctatores omninò eligantur in Choro, quod etiam in præteritis Synodis ordinatum, fuit tamen malè ſeruatum. Quare præceptum aggrauantes, decernimus poſthac in quocumq; Choro, vbi quotidiè Officium recitatur, adeſſe punctatorem, qui erit hebdomadarius reſpectiuè in ſua hebdomada, niſi Clerus maluerit eligere perſonam aliquam ad hoc propriè deſtinatam. Punctatores autem ipſi muneri ſuo fideliter inſiſtant, neminem excuſando, vel grauando, ſub interminatione diuini Iudicij, & pœnis pecuniarijs arbitrarijs pro modo culpæ, vel negligentiæ.

11 Si punctator fuerit ſpecialiter electus ſemper aſſiſtat durante Officio, neq; ex relatione aliorum punctat abſentes, ſed ipſemet obſeruet, & deſcribat contumaces, & inobedientes alijs præceptis ſeruandis in Choro, & librum punctorum fideliter conſeruet; & ſi punctator fuerit hebdomadarius, librum ipſum completa ſua hebdomada, ſucceſſori conſignet.

12 Liber punctorum hoc ordine deſcribatur, videlicet, qui non conueniunt ad Matutinum ante finitum Pſalmum: *Venite exultemus &c* & in horis puta Prima, Tertia, Sexta, & Nona ante completum hymnum. Item in Veſperis ante finitum primum Pſalmum, & in Completorio ante *Conuerte nos &c*. Nec non in cantandis Miſſis ante vltimum *Kyrie &c* pro ſingulis vicibus deficientes mulctentur in ſingulis granis.

13 Pœnæ ſiuè mulctæ deficientium quamuis deberent accreſcere intereſſentibus ipſis portantibus pondus; attamen quia obligati illas ſibi mutuò remitterent, & condonarent, & compaterentur defectus, & ita pauci conuenirent, & Choralis diſciplina elangueret; idcircò præcipimus, vt adueniente tempore diuiſionis Introituum maſſæ communis Eccleſiæ; liber punctorum, & defectuum totius anni à Barocho ſimul cum Vicario foraneo, & coram alijs de Clero calculetur, & notetur defectus, & pœnæ cuiuſq; Presbyteri, & idem calculus deſcribatur in calce rationis, ſiuè partitæ vniuſcuiuſq; illorum, & de illis extrahatur copia tradenda procuratori Eccleſiæ, vt de introitibus eiuſdem maſſæ ipſe Procurator retineat penes ſe tantundem, quanta eſt ſumma pœnarum reſpectiuè; & alia copia transmittatur ad noſtram Curiam, ad finem illam conuertendi in

di in aliquod pium opus, & vbi non erit maſſa communis, ſaltem mittatur cōpia calculi ſupradicti; ad quod exequendum ſi perſonæ deſcriptæ negligentes fuerint, condemnabuntur ad pœnam reficiendi de proprio; & nemo è libro ſupradicto præſumat partitas deſcriptas debere immutare, vel accommodare, ſub pœna ſuſpenſionis, vltra pœnam falſi.

14 Atque, vt ſingulis detur opportunitas commodè ad Chorum conueniēdi, non inchoetur Officium ſtatim dato ſigno, ſed poſt tertiam partem horæ à ſigno dato, *vt decreuit Sac. Congreg. rit. 3. Septembris 1605.*

15 Vbi Clerus eſt numeroſus, & adeſt conſuetudo, vt diuidatur in duas hebdomadas ad officiandū in Choro, nempè medietas recitet in vna hebdomada, & alia medietas ſubalternet in altera; hanc conſuetudinem toleramus ad noſtrum beneplacitum, nihil tamen indulgentes Cleris, vbi talis conſuetudo non adeſt

16 Et quia fruſtra conduntur leges, niſi decernatur remedijs opportunis. obſeruantia, multique potiùs formidine pœnæ, quàm deuotionis, & cultus amore in his peccare oderunt. Hâc noſtrâ Conſtitutione præcipimus omninò in Choris adeſſe punctatorem, etiamſi non adſit onus recitandi Matutinum, ſed ſolas horas diurnas, ad quas etiam deficientes iuxta taxam prædictam punctet; & Cleros deficientes in deſtinatione eiuſdem punctatoris, ex nunc ad pœnam ducatorum viginti pro vno quoq; anno applicandorum pijs vſibus condemnamus; atq; vt de obſeruantia nobis conſtet, mandamus Vicarijs foraneis referre ſi deputatio facta non ſit, vel ſi deputati Officio ſuo non fideliter fungantur, ſub pœna ducatorum trium.

17 In noſtra Diœceſi multæ Eccleſiæ ſunt conſecratæ, in quibus de præcepto, iuxta rubricas, faciendum eſt Officium cum octaua, ſub ritu duplici primæ claſſis; & quia à multis Cleris parum animaduerſum eſſe comperimus; propterea hoc inuiolabiliter ſeruandum præcipimus, ſub pœnis grauibus arbitrarijs, vltra tranſgreſſionem præcepti, & feſtum talis conſecrationis ſingulis annis, quoad fieri poteſt, ſeruandum curetur, ſaltem à Parochianis illius Eccleſiæ. Nec dies anniuerſaria dictæ conſecrationis, ſeù dedicationis varietur, ſeù differatur, vt decreuit *Sac. Congreg rit. in Ariminen. 16. Octobris* 1604. niſi cadat in diebus magnæ ſolemnitatis, quia tunc transfertur per ſe ex decreto *eiuſdem Congreg.* 10. *Ianuar.* 1609 & tunc in Miſſis celebrandis in eadem Eccleſia cōſecrata in Oratione ſecreta proferuntur verba comprahenſa in parentheſi, per totam octauam, quæ verba (vt alibi diximus) omittuntur, dùm celebratur extra ipſam Eccleſiam dedicatam.

18 Ad recitationem diuini Officij non ſolùm tenentur Presbyteri, & omnes ordinati in ſacris, ſed etiam beneficiati, quamuis ſint primæ tonſuræ, à tempore adeptæ poſſeſſionis eorumdem beneficiorum: & ſi defecerint per primos ſex menſes à recitando peccant mortaliter, ſed non tenentur ad reſtitutionem fructuum; tranſactis autem ſex menſibus, non ſolùm peccant, ſed ad reſtitutionem fructuum reſpectiuè tenentur, ex declaratione *Pij V. in Conſtit. incipien:*

Ex proximo &c. de anno 1571. *die* 20. *Septembris*.

19 In multis Eccleſijs reperitur fundata Confraternitas Sanctiſſimi Roſarij, auctoritate ordinariâ, vel Apoſtolicâ; & obindè in eadem Eccleſia in prima Dominica Octobris recitandum erit Officium eiuſdem Roſarij, ſub ritu duplicis maioris, vt in feſto B. Mariæ ad niues die 5. Auguſti, exceptis lectionibus ſecundi Nocturni, quæ deſumentur ex feſto Natiuitatis eiuſdem B. Mariæ; & hoc habetur *ex Conſtit. Gregor. XIII. incip. Monet Apoſtolus* 1. *Aprilis* 1573.

20 Mandamus omnibus obligatis ad diuini Officij recitationem infra terminum quatuor menſium ſibi emere Breuiarium nouiſſimæ impreſſionis, vt poſſint recitare Officia Sanctorum additorũ de præcepto recitanda ſub, pœna ducatorũ quinq; per quemlibet, & interim habeant ſaltem libellum eorumdem Officiorum.

21 Et quoniam vltra rubricas generales Breuiarij multa decreta varijs temporibus *à Sac. Congreg. rit.* prodiere in o dine ad Officium diuinum, quæ ſunt ab omnibus ſeruanda: ea tamen, vt cognouimus in noſtris viſitationibus, & examine perſonali Eccleſiaſticorum, ad paucorum notitiam deuenerunt, quamuis ſint appoſita *in Appendice Synodi præteritæ fol.* 4. Propterea, vt meliùs innoteſcant, hic in compendium redacta appon mus, videlicet, Nullus poteſt mutare Officium, veluti ſi ſit de feſto ſimplici, recitare deuotionis cauſa ſub ritu duplici, vel ſemiduplici, niſi ſit titularis eiuſdem Eccleſiæ, non autem Capellæ in ipſa Eccleſia exiſtentis, vt decreuit *Sac. Congreg. rit.* 29. *Nouembris* 1603. Aſcriptus Eccleſiæ, in qua recitatur Officium in Choro ſi extra illam abſens recitat, tenetur ad illud idem Officium, quamuis ſit proprium illius Eccleſiæ in qua ipſe eſt aſcriptus, ſi verò ibidem non adeſt onus recitandi in Choro, tenetur recitare Officium currentis temporis, vt in Breuiario; ita *eadem Cõgreg.* 8. *Septembris anno* 1602. Feſtum Patroni principalis alicuius loci cum ſuo Officio, ibidem celebrandum erit ſub ritu duplici, etiam à Regularibus illic degentibus, vt *eadem Congregat.* 27. *Maij* 1628. non tamen tenentur Regulares ad octauam. Si dies octauæ cadat in Dominicis priuilegiatis, veluti Aduentus, & Quadrageſimæ, tunc octaua cedit Dominicæ, & in primis Veſperis dicuntur Pſalmi de Sabbato, non de octaua cum commemorat: octauæ, *vt Congregat. eadem* 9. *Nouembris* 1622. & ſic duplex cedit ſemiduplici, vt infra octauas Epiphaniæ, & Pentecoſtes, in quibus ſi occurrat feſtum duplex transfertur, ſicut in feria quarta Cinerũ *eadem Cong.* 28. *Auguſti* 1628. In Quadrageſima à feria quarta Cinerum, non ſit de aliqua octaua etiã incepta ante dictam feriam quartam. Symbolum S. Athanaſij erit recitandum ſtando, & capite aperto, *eadem Congreg.* 23. *Decembris* 1624. in Litanijs nulla nomina Sanctorum etiam Patronorum loci, vel Eccleſiæ addantur *ead. Cong.* 22. *Martij* 1631. Litaniæ maiores, ſi cadant in Paſchate transferantur in tertiam diem ſequentem. *ead. Congreg.* 25. *Septembris* 1627.

De

De Sententia Excommunicationis.

Titulus XXII.

EXcommunicandi poteſtas, à Chriſto Domino Eccleſiaſticis Prælatis, & Iudicibus conceſſa in illis verbis ad Petrum Apoſtolum. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlo. Matth.* 16. Quamuis ſit medicinalis, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, *vt ait Apoſt. ad Corinth* 1. *cap.* 5. *Iudicauit tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus ſit in die Domini*. Terribile tamen ipſius fulmen, pauorem vehementiſſimum humanis pectoribus incutere debet. Quandoquidem nullum ab ipſa Eccleſia ſæuius ſupplicium in rebellantes à ſuis mandatis, & contra inſordeſcentes in pertinacia reperiri potuit, quam animas, & corpora grauiſſimæ huius cenſuræ gladio iugulare; atque à ſaluberrima totius Eccleſiæ communione, fidelium conſortio, ſanguinis Chriſti, & paſſionis fructibus participatione ſeparata, Satanæq; poteſtati tradere. Huiuſmodi igitur perhorrendos excommunicationis effectus Parochi, iugiter in frequentia populis inſinuent, & à concionatoribus ſedulò inculcari procurent, vt forſitan plebes timorem concipientes, pœnarum formidine, enitantur abſtinere à delictis, vnde tantam ſibi perniciem viderint euenire.

1 Quamuis *ex Decreto Concil. Trident.* ſententia excommunicationis pro rebus deperditis, nonniſi pro re graui ſit ferenda. Ne tamen pauperum, & miſerabilium perſonarum (quibus res etiam leuiſſimæ graues ſuccedunt) iura ſupprimantur; vt eorum indemnitati conſulamus, antiquum ſtylum noſtrę Curiæ in concedendis monitorijs pro rebus deperditis ſeruari mandamus, cum aliquot tamen correctionibus, vt infrà.

2 Non concedantur pro ſumma minori ducatorum decem, coaceruatis, & comprehenſis omnibus deperditis, vel occupatis in ſupplicatione contentis, ſecundum expreſſam extimationem valoris, itaut non obindè opus ſit probare de quantitate, vel iurare per ipſos ſupplicanteſ, neque apponi clauſulam, dummodò expreſſa vera ſint, &c. ſed ſimpliciter credantur afferta.

3 Res deperditæ, vel occupatę, &c. non pe genus, ſed per ſpecies exprimantur veluti pecuniæ, victualia, panni, &c. connotando quantitatem, & valorem, ſi commodè exiſtimari poſſunt.

4 Et quamquam tota ſumma, pro qua conceduntur monitoria aſcendere debeat ad ducatos decem, non exinde intelligendum erit, vt opus ſit à quocumque ſurripiente, vel occupante detineri ſummam ducatorum decem pro incurrenda

excom-

excommunicatione; & declaramus ad ſingulos ſurripientes, &c. ſufficere retentionem, vel occupationem rerum valoris ſufficientis ad illos conſtituendos in peccatum mortale, iuxta taxationem communem Doctorum, vt excommunicationis ſententia afficiantur.

5 Prætereà ne ſi à decipiantur opinione, quidam falſo aſtruentes non teneri principales ad reuelandum, ſed ſcientes tantum. Hoc ita procedere dicimus iuxta declarationem Doctorum, quòd ſcientes ſimpliciter, per reuelationem in ſcriptis factam eximuntur ab incurſu cenſuræ. Principales autem ipſi, retinentes, occupantes, &c. non per ſolam reuelationem, niſi verè, realiter, & cum effectu reſtituant, non releuantur ab excommunicatione; quaſi dicatur non teneri principales ad reuelationem, ſed ad reſtitutionem. Quamuis poteſt ſuccedere caſus: vt ad reuelationem ſolam teneantur, nempè quando cauſam prætendunt habere non reſtituendi, nam ad euitandum ſcandalum ob taciturnitatem, teneantur ad reuelandam cauſam, ob quam reſtituere non debeant.

6 Qui verò iuſtam cauſam compenſationis, vel alias habere prætendunt, non paſſim ſibi arrogent excuſationem à reſtituendo, vel reuelando habere, quamuis concurrant omnes conditiones à Doctoribus in hac materia adductæ; ſed prudentes confeſſarios conſulant pro indemnitate ſuæ conſcientiæ.

7 Et quia ſtylus quoque noſtræ Curię eſt eadem monitoria non ſolùm pro rebus deperditis concedere, ſed etiam ad eruendam veritatem, & pro tuitione Iurium, & faciliori probatione in cauſis ciuilibus; vbi teſtes non aliter teſtimonium perhiberent; præcipimus in hoc cum magna cautela procedendum eſſe, & in illis cauſis duntaxat, in quibus nullo alio modo, & Iuris remedio veritas haberi poſſit.

8 In cauſis verò contractuum, & conuentionum ab ipſis principalibus ſcitis, & geſtis ſine interuentu teſtium; ſi deindè à contrahentibus denegentur promiſſa, erit imputandum ipſis principalibus, qui debebant cautiùs agere; ad remedium tamen partis læſæ poterit à noſtra Curia fieri præceptum principalibus negantibus deponere ſub pœna excommunicationis ſuper expoſitis. Et ſi forte in contractu, & conuentione fuerint teſtes, qui aliquo reſpectu reuelare nolint, neque deponere, & in ſupplicatione ſint nominatim expreſſi, poterit eiſdem fieri ſimile præceptum deponendi ſub pœna excommunicationis; quod præceptum non autem monitoriæ, fiet quandocumque in ſupplicatione nominantur perſonæ ſuſpectæ; ſed ſi factum ſit antiquum, vel alia de cauſa principalis orator ſit oblitus teſtium, tunc concedentur monitoria ad probandum de veritate, quamuis ſit res ſcita ab ipſo principali, qui aliter probare non poſſit.

9 In conceſſione monitorialium ſequentes clauſulæ ſemper intelligantur appoſitæ, quamuis non exprimantur in decreto. Quòd res expreſſæ in ſupplicatione verè ſint deperditæ, occupatæ, &c. & neſciatur à quibus, nec probari poſſit per teſtes de veritate, & ipſi oratori interſit illas recuperare. Non concedantur pro rebus litigioſis, ſuper quibus lis ſit cœpta, niſi ad coadiuuandam probationem

nem

nem in ſubſidium aliorum Iurium & pro ciuili tantum intereſſe. Vltimò clauſula apponenda in decreto conceſſionis copiæ reuelationum erit, quod conceduntur ad effectum agendi ciuiliter tantum pro rebus deperditis, ſeù ad eruendam veritatem, &c. alioquin reuelationes ipſæ nulli ſuffragentur, prohibentes ſub pœna excommunicationi ipſo facto, ne quis illis vtatur in cauſa criminali, tàm ad probandum quam ad iudicandam, neque etiam pro inſtructione ad inquirendam, & quamuis non ipſi reuelantes, ſed aliæ perſonæ expreſſæ in reuelationibus, cogantur à Iudicibus deponere ſuper criminalitate in facto expreſſo in monitorijs ipſis: ne hâc viâ indirectè præbeatur ante per cenſuras criminalitatibus.

10 Nemo quāuis occaſione, vel prætextu falſas afferat reuelationes, neque falſa deponat, ſub pœna graui corporali, etiam fuſtigationis, præter falſitatem, non obſtante quòd non interueniat iuramentum, quia grauiter contra veritatem in noſtra Curia delinquitur.

11 Si conceſſis copijs reuelationum, & præſentatis à partibus coram Iudice laico, & dato termino ad repetendum reuelata cum iuramento, & per partes ſint producta interrogatoria pro maiori elucidatione veritatis, ſuper quibus ipſi reuelantes recuſent reſpondere, tunc partes ipſæ petere debent præceptum à noſtra Curia, quatenus ſub pœna excommunicationis reuelantes deponant ſuper interrogatorijs præſentatis in noſtra Curia in cauſis à ſe reuelatis, &c.

12 Si ex reuelationibus conſtet aliquem occupaſſe vel detinere res alienas, aut ſcire aliquid, & nolle reſtituere, vel reuelare, & obindè eundem eſſe in peccato, & partes velint proſequi cauſam in noſtra Curia ad finem, vt detinentes, & non reuelantes exeant à peccato, tunc repetitis reuelantibus, poterit noſtra Curia monere detinentes, vel non reuelantes, & citare ad dicendum cauſ m quare non debeant declarari incidiſſe in excommunicationem, &c. vel moneri, vt exeant à peccato, prout in *praxi Curiæ Archiepiſc. Neapolit. notatur, argum. cap. nouit de Iudicijs*.

13 Reuelationes non recipiantur in ſchedis, ſed in folijs integris, & ſi reuelantes ſciant ſcribere, ab eiſdem ſint ſcriptæ, & ſubſcriptæ. Siu verò erint rudes, ſcribantur à perſona idonea iuxta propriam narrationem ipſorum reuelantium, cum illorum ſubſcriptione, vel ſigno Crucis, & ſubſcriptione ipſiuſmet ſcriptoris, & non apertæ, ſed clauſæ, & ſigillatæ tradantur delegato ad illas recipiendas, qui illas non aperiat, nec partibus ad videndum, ſeù legendum tradat ſub pœna excommunicationis, ſed ita clauſas ad noſtram Curiam tranſmittet requiſitus per partes.

14 Caueat etiam delegatus ipſe, ſub eadem pœna, reuelationem aliquam occupare, immutare, delere, ſiuè recuſare, recipere, aut narrare factum præter veritatem, reuelantes perſuadere, & inſtruere.

15 Delegatus regulariter, iuxta antiquum ſtylum Curiæ, ad hæc monitoria publicanda, & exequenda erit Parochus, & in eius defectu quilibet Sacerdos requiſitus.

16 Ad

16 Ad fulminationem ſententiæ contra non reſtituentes, vel non reuelantes, &c. non procedatur ſine expreſſa facultate, quæ ſi in primo decreto concedatur, & habitis reuelationibus inſtetur pro ſententia, non procedatur ad eam, niſi priùs tranſmittantur reuelationes ad noſtram Curiam, & copia habita ſi partes cognoſcant non fuiſſe ſufficienter reuelatum ſuper omnibus expoſitis, fiet decretum pro fulminatione factâ aliâ monitione; & ſi iterum fiant reuelationes de illis item detur copia, donec, &c.

17 In prolatione ſententiæ fulminatoriæ, non adhibeantur illæ formulæ antiquæ indecentes, ſed lectis capitibus expreſſis in monitorijs ſufficiat declarare excommunicatos omnes, & ſingulos detinentes, occupantes, &c. non reſtituentes, ac ſcientes non reuelantes, ſtatuendo aliquem alium breuem terminum ad reuelandum, & reſtituendum, & tali prolatâ ſententiâ inter Miſſarum ſolemnia, idem delegatus inſcriptis fidem faciat de tali prolatione, & in valoris Eccleſiæ, affigat, vt notitia habeatur etiam ab abſentibus tempore ſententiæ.

18 Poſt lapſum termini ad reſtituendum, vel reuelandum, incurſi in excommunicationem, poſt debitam ſatisfactionem ſeù reuelationem, indigent abſolutione à nobis, & à noſtra Curia.

19 In feſtis primæ claſſis, in tota maiori hebdomada, & vſq; ad octauam Paſchæ ob reuerentiam, nulla publicentur monitoria talia, nec ſententiæ proferantur.

20 Pro factis valdè antiquis vltra viginti annos, non concedantur, exceptis cauſis minorum, pupillorum, Eccleſiarum, perſonarum miſerabilium, Vniuerſitatum, & illorum, qui longâ abſentiâ à loco abfuerunt.

21 Publici excommunicati, & interdicti per ſententiam Iudicis, iuxta decretum præteritæ Synodi, prima quaq; Dominica menſis publicentur, vt reſipiſcant, & abſolutionem procurent; qui ſic denunciati ſi publicè verſentur, nec domi ſe contineant, & alios inficiant, ad nos deferantur; vt opportunis remedijs prouidere poſſimus, inuocato, ſi opus erit, brachio ſeculari; reſeruando nobis facultatem exigendi aliquam pœnam pecuniariam ſingulis menſibus pijs vſibus applicandam, ab inſordeſcentibus in excommunicatione, vt ſeruetur in Curia Archiepiſcopali Neapolit.

22 Tales inſordeſcentes vlt a ſex menſes, ſæpiùs aggrauentur, & reaggrauentur, & ſi contumaciam vltra annum protulerint, contra eoſdem tamquam de hæreſi ſuſpectos, & malè ſentientes de poteſtate clauium *iuxta Decretum Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform.* procedetur, & ſi ſint inquiſiti habentur pro confeſſis.

23 Coram excommunicatis, & interdictis publicis non celebretur, ſed cauto modo eijciantur ab Eccleſia, qui ſi pertinaciter reſiſtant, incurrent in aliam excommunicationem *Clement. Graues de ſent. excom.* maximèq; ſi inibi Sacerdotes compellant ad celebrandum coram ſe ipſos, vel alias perſonas excommunicatas, & interdictas aduocent, vt in eadem Clementina continetur.

24 Excom-

24 Excommunicatis publicis per cedulónes, & percuſſoribus publicis Clericorum non erit credendum, ſi aſſerant ſe fuiſſe abſolutos, niſi etiam conſtet in ſcriptis de obtenta abſolutione à Iudice competente.

25 Magna demùm cautela procedatur in abſoluendis huiuſmodi percuſſoribus in cognoſcendo, quæ percuſſio ſit læuis, quæ enormis, & quæ mediocris, cum circumſtantijs, quæ quandoque læuem, faciunt eſſe enormem.

26 Simulque cauti ſint Confeſſarij in abſoluendis excommunicatis à Iudice vigore Iubilæi, num præceſſerit debita ſatisfactio, ſeù concordatio partis, & quænam dicantur partes in tali concordatione quibus ius competat agendi.

27 In locis exemptis, non poſſunt Prælati inferiores Epiſcopis concedere monitoria pro rebus deperditis, ſed pro illis recurrendum erit ad Sedem Apoſtolicam, vt ſæpè declarauit *Sac. Congreg. ſuper cap. 3. de reform. ſeſſ.* 25. *Concil. Trident.*

De Sepulturis, & Funeribus

Titulus X XIII.

QVAMVIS non locus ſepulturæ, nec pompa exequiarum, ſed viſa benè acta ad animæ ſalutem attendatur, parum enim prodeſt vbicumque homo ſepeliatur, quia *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, & vt dicitur, facilis eſt iactura ſepulchri; immò inquit Auguſtinus: *Quibus peccata non ſunt dimiſſa in vita, ſacra loca poſt mortem prodeſſe non poſſunt, quia quos peccata grauiora deprimunt, ſi in ſacris locis ſepeliri ſe faciunt, reſtat vt de ſua præſumptione iudicentur, & non ad abſolutionem, ſed ad maiorem damnationis cumulum, eorum corpora in Eccleſijs ponuntur; & corpori humano mortuo quidquid impenditur non eſt præſidium ſalutis, ſed humanitatis officium, ſecundùm affectum, quo nemo vnquam carnem ſuam odio habuit.* Attamen ſi non ſolùm apud veteres in ſumma Religione poſitum erat ſuos mortuos ſpectabilibus ſepulchris honorare, magnâq; putabant eſſe ſepulchri iacturam, diùq; manes defunctorum requie cituras, ſi corpora inſepulta iacerent, & tamen illi reſurrectionem mortuorum non credebant; tantò magis nos qui illam de fidei teſtimonio veram aſtruimus, non debeamus piû hoc, & laudabile inſtitutum, ab Eccleſia non ſine myſterio introductum ſepeliendi mortuos in ſacris, officioſa pietate proſequi? Non enim ſolatium tantummodo viuorum eſſe poteſt, ſed ipſorum quoque defunctorum iuuamen; qui proximi eorum, & familiares iugiter ſacra loca ingredientes, & ſuorum maiorum ſepulcra, & monumenta aſpicientes, pro illorum animabus Deo preces fundere te-

cordantur, vt à peccatis ſoluantur. Reſtat igitur, vt hoc pietatis officium cō-mendantes ſequentia ſtatuamus.

1 Innouamus in primis omnia decreta prætetitarum Synodorum ſub hoc titulo, illaque inuiolabiliter ſeruanda præcipimus.

2 Sepulturę omnes tàm publicę, ſeù communes, quàm priuatæ, ſint ſubtus terram profundè defoſſæ, non ſupra pauimentum, nec in ſublimi in muro, quod prohibuit *Pius .V. per Conſtit. de anno* 1566. *incip. Cùm primum &c.* Non ſint ſub Altaribus, & Bradellis, ſiuè ſcabbellis ligneis eorumdem Altarium, nam *Sac. Congreg. Epiſc. de anno* 1593. *die 6 Septembris, & item de anno* 1590. *die* 10. *Nouembris Epiſcopo. Tranen.* non ſolùm prohibuit, ſed quoq; Altaria interdici mandauit, vbi exiſtant, niſi amoueantur. Sin etiam debitis operculis lapideis munitæ, omniaq; alia requiſita habeant apponenda in titulo de ſtructura Eccleſiæ; aliàs poſt huius Synodi publicationem, niſi ad debitam formam à Patronis infra tres menſes redigantur, quæ particulares ſunt, & ab alijs ad quos ſpectat aliæ communes, omnes interdicentur, & Patroni quouis iure ſepeliendi priuabuntur, & hoc Decretum publicetur à Parochis.

3 In qualibet Eccleſia habeatur ſepultura particularis pro Sacerdotibus, & Clericis intus Chorum, vel ſaltem non diſtans ab Altari maiori; & altera pro paruulis baptizatis morientibus infra ſeptennium, pro quibus vltra Officium paruulorum, poterit in actionem gratiarum celebrari Miſſa de Spiritu Sancto, de Sanctiſſimo Sacramento, & de Angelis.

4 Pro defunctis vltra ſeptennium completum, recitetur Officium Defunctorum, cum Miſſis de Requiem, more ſolito, ſed tatenus exigi conſuetus ratione, vt dicitur, malè ablati, non exigatur à foraneis, niſi à defunctis in ætate duodecim ſaltem annorum.

5 In eleemoſynis pro exequijs faciendis, & Miſſis celebrandis, & decantandis ſeruatur omninò antiqua conſuetudo, & vbi certa non reperitur, illam præſenti Conſtitutione ita moderamus; Sacerdotibus funus aſſociantibus, Officium recitantibus, & Miſſam celebrantibus ſoluantur caroleni tres, non celebrantibus caroleni duo, aſſociantibus tantùm grana quinque; alijs conſtitutis in Sacris aſſociantibus cum coſta grana quinque, Clericis in minoribus grana duo; ſalua tamen vbicumque viget alia conſuetudo, cui non intendimus præiudicare.

6 Aſſociantes non diſcedant ante exequias completas, niſi neceſſitate vrgente, aliàs ſi abſque causâ diſcedant, vel ſine coſta aſſocient, ſeù aſſiſtant nulla eis detur eleemoſyna.

7 Quoad eleemoſynam Miſſæ decantandæ, & alijs ſeruandis in exequijs, ſeruetur omninò Decretum *Synodi anni* 1617. *cap.* 17 *verſ. Vt omnibus. &c.*

8 Parochis ſoluatur eleemoſyna duplicata, quam ſimplicibus Sacerdotibus, iuxta communem conſuetudinem, & morem noſtræ Diœceſis.

9 Si cadauer tradatur ſepulturæ extra horam Miſſarum, prima die non impedita, vel in die tertio, ſeptimo, &c. Miſſæ cum exequijs celebrentur, ne illius anima pijs priuatur ſuffragijs.

10 Quamuis in præterita Synodo decretum ſit hæredes defunctorum poſſe ſibi ad exequias numerum Sacerdotum ſibi benè viſum aduocare. Vocati tamen (ſi in Clero talis numerus adſit) non ſint minores quatuor, vt Officium alternatim canere poſſint, & inter illos ſemper adſit Parochus; vel alius Presbyter ab eo ſubſtitutus. In Clero tamen numeroſo, ita diſtribuat Parochus vices Sacerdotum per ordinem, vt omnes ſucceſſiuè participent de obuentionibus; nam ſi hæredes non deſignant nominatim vocandos, ſed tantum diſponant de numero, tunc erit in arbitrio Parochi, quos aduocare malit, *vt decreuit Rot. Roman. in Alexandrin. Funeralium 1. Iulij 1630. coram D. Merlino, & Sacr. Congregat. Rit. 7. Septembris 1613.*

11 Eleemoſyna dari conſueta pro tumulandis corpuſculis infantium applicetur in commune beneficium totius Cleri, & à Presbyteris per circulum deſerantur per modum, vt in Rituali; niſi adſit conſuetudo, vt huiuſmodi corpuſcula ſepelienda ad Parochum ſpectant, quod ſeruari mandamus.

12 Prohibeantur mulieres vlulantes proſequi funus, & cadauera ad ſepulturam ſuorum coniunctorum, ne exequiarum Officia, & Miſſæ perturbentur, & per vias alia indecentia contingant. Ideò moneantur ſe domi retinere ſub pœna excommunicationis. Quod ſi pertinaciter proſequi enitantur, tunc *iuxta Decretum Synod. Prou. Salernitan ſub Epiſcopo Sanſeuerino, & Synod. Caputaquen. Veralli, de anno 1567. §. 21. & Morelli de anno 1593. tit. de Exequiis, cap. 8.* Parochus, & Clerus non efferant corpus defuncti ab eius domibus, & ſi iam ſit extractum, illud non vlterius progredi ſinant donec eiulantes fœminæ regrediantur, & hoc decretum ſeruetur ſub pœna ducatorum decem à Clero, & Interdicti contra tales mulieres proſequi nitentes, *iuxta Conc. Tolet. 3. vt 1. 3. 4. 2. Can. Qui diuina.*

13 Et quia impium, & irreligioſum apprimè videtur Chriſtianis mulieribus luctum pro obitu coniunctorum longius protrahere, & in tenebris, mœrore, & ſqualore adeò latitare, vt ad audiendas Miſſas egredi abhorreant, quaſi Dei ordinationi reſiſtere volentes; ideò præcepimus eiſdem ſub pœnis grauibus arbitrarijs Miſſas ſaltem in aurora celebrandas auſcultare; nam, vt monet Apoſtolus, dedecet Chriſtianos contriſtari de dormientibus, ſicut cæteri, qui ſpem non habent de eorum reſurrectione.

14 Exequiæ interdiù, non de nocte fiant, nempè non ante ortum, nec poſt occaſum Solis, ſub pœnis arbitrio noſtro reſeruatis.

15 Vocati ad funus aſſociandum, ſi ipſi ire nolint; non ſubſtituant alios loco ſui, alioquin neutri eorum detur eleemoſyna, ſicut etiam neque detur non vocato aſſocianti.

16 Presbyteri deferant Presbyterum defunctum, & Clerici Clericum, *iuxta Rituale.*

17 Stola deferatur tantummodo à Parocho, & eo abſente à coadiutore, ſiue Subſtituto, aut à digniore in Clero, ſi nullus ſit ſubſtitutus, & tunc deferens Stolam, quia gerit vices Parochi, præcedat in priori loco à dextris, ſicuti præce-

deret Parochus ſi adeſſet, quauis contraria conſuetudine non obſtante.

18 Et ſi talis delatio ſtolæ alicubi ex conſuetudine ſpectat ad Sacriſtiam Sacerdotem, ſeù ad alium illo tempore, vel Hebdomada Sacramenta miniſtrantem; ille quoque ſic deferens procedat in eadem primo loco, & præcedat alios Preſbyteros, præter Archipreſbyterum.

19 Mortuo Summo Pontifice, habitâ notitiâ, protinus pulſentur Campanæ in ſono lugubri vicibus duod: cim interpellatis, vt in Pontificali, & cantetur Miſſa, vt in Miſſali, & alij de Clero celebrent.

20 Defuncto item Epiſcopo Diœceſano campanæ nouies pulſentur, Miſſa eadem decantetur, cum Exequijs, & quilibet Sacerdos ter ſaltem celebret pro illius anima, decet enim oues orare pro anima Paſtoris, qui animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.

21 Conſentaneum quoque erit quemque Epiſcopum cel brare Anniuerſarium obitus ſui prædeceſſoris, & à ſuis Cleris hoc perſoluendum curare, prout nos de mortuo Epiſcopo Don Petro de Matta bon. mem. quotannis die quinta Ianuarij obitus eiuſdem ſeruandum mandamus, vel ſaltem in Miſſis pro eius anima collectas facere.

22 Parochos etiam enixè hortamur, & monemus hoc pium opus imitari in celebratione anniuerſaria pro ſuis prædeceſſoribus, ſimulque prima die non impedita poſt feſtum commemorationis omnium defunctorum; in ſuis Eccleſijs cum toto Clero recitare Officium cum Miſſa cantata, & alijs priuatis, pro animabus Sacerdotum, & Clericorum defunctorum illius Eccleſiæ; aliàs ſi contrafecerint pœnas incurrent noſtro arbitrio reſeruatas.

23 In obitu cuiuſque Sacerdotis recitetur Officium cum tribus Nocturnis gratis à toto Clero, & ſimul omnes non impediti pro anima illius ſacrificium offerant.

24 Officium defunctorum in die depoſitionis, & anniuerſarij recitandum eſſet ſub ritu duplici, cum tribus Nocturnis, & Laudibus. Vbi tamen adeſt antiqua conſuetudo recitandi primum Nocturnum duntaxat, & ſeruari poterit, nam tolerat Rubrica Ritualis Romani, & ad arbitrium remittit *Sacr. Congregat. rit.* 12. *Martij* 1616.

25 Miſſa Defunctorum ſub ritu duplici cum vnica Oratione, & Sequentia his tantummodo diebus celebranda erit, nimirum in die obitus, ſiuè depoſitionis, die tertia, ſeptima, trigeſima, & anniuerſario, ac in die feſto commemorationis omnium defunctorum, alijs verò diebus, quamuis celebretur pro vno defuncto, dicendæ ſunt plures Orationes, & Miſſa quotidiana, & erit ad libitum celebrantis dicere Sequentiam; & quia alibi diximus, quòd præſente, & inſepulto corpore defuncti, etiam in Dominicis, & duplicibus, poteſt celebrari ſolemniter Miſſa de Requiem, *ex decreto Sacr. Congregat.* ſi tamen illis diebus cadat dies tertia, ſeptima, trigeſima, vel anniuerſarium: transferendum erit Officium, & celebratio in diem ſequentem, ſimili feſto non impeditam cum eadem ſolemnitate, *vt ead. Congregat. rit.* 23. *Maij* 1603.

26 Ad Parochum ſpectat dirigere Officium ſuper corpus defuncti, etiam ſi ibidem a ſiſtant Canonici,& dignitates Cathedralis, *vt decreuit Sacr. Congreg. rit.* 18. *Auguſti* 1608.

27 Laici funus aſſociantes,etiam ſi ſint de numero Confratrum,non recitant Pſalmos altâ voce cum Clero, vel cantent, nam per vocum diſſonantiam ſolent cantus Sacerdotum perturbare, nec deferant Cruces proceſſionales, ſed Crucifixum,ſine haſta de more Confraternitatum, *vt Congr rit.* 22. *Nouembr.* 1631.

28 Pauperes Peregrini morientes ſepeliantur in Parochiali, & ſi Parochiæ ſint plures ſepelietur in viciniori,officiumque ſepulturæ fiat gratis à Clero.

29 Quamuis excommunicatos denunciatos,qui ſaltem in extremo dederunt ſigna contritionis, ſepeliendos eſſe in Sacro,decreuerit *Sacr. Congregat. Epiſc. die* 17. *Maij* 1583. *& eadem in Nolana* 19. *Iulij* 1619. hoc tamen non fiat niſi nobis denuncietur,vel noſtræ Curiæ,& ſignanter ſi tales per annum inſorduerint, vel deceſſerint in duello.

30 Quæ verò perſonæ careant Eccleſiaſtica ſepultura referuntur, *in Synodo Epiſcopi de Matta anni* 1617. *cap.* 17.

31 Seruanda in delatione defunctorum ad Eccleſias regularium, vbi ſit per eos electa ſepultura, & modus ſeruandus in directione Officij,plenè ſtatuta ſunt in Synodo præcedenti *ſub tit. de decim. & funeribus* : vbi referuntur decreta *Sacr. Congregat.*

32 Nullus tàm ſecularis,quàm regularis præſumat per vim, vel blandis verbis aliquem inducere ad eligendam ſepulturam in ſua Eccleſia, vel alicubi electam mutare,nam electio debet eſſe voluntaria, alioquin hoc attentantes incurrent excommunicationem *Clement.Cupientes de pen.* Vndè Parochus debet interrogare moribundum,vbi nam cupiat ſepeliri, nam ſi nullam elegerit, nec habeat ſepulturam propriam, vel familiæ, erit ſepeliendus in Parochiali in ſepulturis communibus; neque hæredes ſine ſpeciali mandato ipſius habito in vita poſſunt illi eligere ſepulturam,nec electio à quocumque impediri poteſt,*vt decreuit Congreg.rit.* 31. *Martij* 1629. ſeruato Iure quartæ funeralis Parochiæ, quando cadauera ſepeliuntur extra Parochiam, præcipuè in Eccleſijs regularium, vbi habent ſepulturam.

33 Propter quodcumque debitum non ſolutum, non eſt deneganda ſepultura,nam Chriſtianæ pietati admodum repugnat, neque ob id ipſum debent retardari funeralia, quamuis ſub prætextu compoſitionis quartæ, *vt declarauit Sacr. Congreg. Epiſc in Caſſanen* 5. *Maij* 1617.

34 Caueant etiam Parochi,& alij Eccleſiaſtici nobis ſubiecti alterare, & immutare taxam funeralium pro perſonis exteris, & aduenis ſepeliendis in ſuis Eccleſijs, nec aliquid recipere,pluſquam à ciuibus recipi ſolet,ſub pœna reſtitutionis dupli,& alijs nobis reſeruatis, nam ita *declarauit Sacr. Congregat. Concil.* 25. *Maij* 1617.

35 Si extra Parochiam ſit electa ſepultura, & obindè ad eam ſit aſportandum cadauer, & Parochus requiſitus nolit intereſſe, nec dare licentiam, tunc poterit

corpus deferri ad ſepulturam electam abſque interuentu Parochi, & ſine eius licentia, vt *declarauit Sacr. Congreg. rit. in Capuana* 22. *Decembris* 1629 dummodo de tali recuſatione conſtet.

36 Si pater non elegerit ſepulturam pro filio impubere, vt in præcedenti Synodo, ſepeliendus erit in ſepultura ſuorum maiorum, modo habeatur talis ſepultura patronata, etiam ſi illa ſit extra Parochiam, & in Eccleſia regulari, vt *decreuit Sacr. Congregat. Epiſc. & regul. in Aſculana* 21. *Octobris* 1616. quoniam qui non habent facultatem ſibi eligendi ſepulturam, in ſuorum maiorum ſepulchris humandi ſunt.

37 Mulier, quæ plures viros habuit, moriens, ſine electione ſepulturæ, tumulanda erit in ſepultura vltimi coniugis.

38 Religioſi omnes, quia non habent ius eligendi ſepulturam, ſepelientur in Eccleſijs ſuorum Monaſteriorum, etiam ſi extra Clauſtra deceſſerint, neque requiritur licentia Parochi ad illos deferendos, vt *Sacr. Congreg. Concil.* 4. *Iulij* 1620. *reſoluit*, neque Parochus poteſt petere ius Parochiæ, intra cuius fines illi deceſſerint, nam ab hoc abſtinendum præcepit *Sacr. Congreg. ead.* 22. *Maij* 1615.

39 Sin autem moriantur Religioſi in locis diſtantibus à Monaſterio, itaut ad Eccleſias ſuas, & ſui ordinis difficilè deferri poſſint, tunc poſſunt ipſi regulares eligere ſepulturam, & ſi nullam elegerint, erunt ſepeliendi in Parochiali intra cuius fines morientur.

40 Confratres laici non accedant ad aſſociandum funus, niſi vocati, vt præcepit *Sacr. Congregat. rit.* 9. *Decembris* 1617.

41 Crux vnica in funeribus erit deferenda, nempè illius Eccleſiæ, ad quam defertur cadauer, *vt Congreg. rit. in Narnien.* 30. *Septembris* 1614. *& in Baren. Modugni* 2. *Auguſti* 1631. *& in Meſſanen.* 12. *Februarij* 1633. *& Florentin.* 9. *Februarij eodem anno*.

42 Eadem Crux deferatur in funeribus nobilium, quæ in pauperum exequijs geſtari conſueuit, neque cauſa gratificationis, vel maioris pompæ Crux pretioſior adhibeatur, ſub pœna arbitrij.

43 Si ſoli regulares vocentur de præciſa voluntate defuncti ante obitum declarata; non obindè Parochus erit excludendus, vt *decreuit Congregat. Epiſc. anno* 1581. qui Officiũ præſtare debet, vt plenè relatũ eſt in Synodo præterita.

44 Non modò regulares nequeunt leuare corpora defunctorum de eorundẽ domibus irrequiſito Parocho, ſed neque Presbyteri ſeculares alterius Eccleſiæ, vbi ſit electa ſepultura, vel propria familiæ habeatur, vt declarauit *Sacr. Congregat. rit.* 18. *Auguſti* 1629. Et eadem declarauit cadauera decedentium in Parochia, ad quam translatum eſt Capitulum Cathedralis, nõ poſſe leuari per ipſum Capitulum, ſiuè Canonicos irrequiſito Parocho illius Parochiæ, vt per Decretum *de anno* 1631. *die* 9. *Nouembris*.

45 Tertiarios, & Tertiarias; ſi qualitates requiſitas *in Conſtitut. Leonis X.* habeant, nimirum ſi viri Collegialiter cum Regularibus viuant, & mulieres virginalem, vel cœlibem, aut caſtam vidualem vitam in ſuis, vel coniunctorum do-

mibus

mibus ducant, cum expreſſo vôto, habitum geſtando, *iuxta Decretum Sac.Congreg.de anno* 1616. de quo dicetur, Parochi non impediant ad Regularium Eccleſias deferri, & ſepeliri, *vt decreuit Sacr.Congreg.* 11. *Decembris* 1615.

46 Ad Parochum ſpectat præcipere, quâ viâ ſit aſportandum cadauer, & alia curare vſque ad Eccleſiam ſepulturæ, vt decreuit *Sac. Congreg. Epiſc.* 3.*Ianuarij* 1594. proſequendo vſq; ad ianuã Eccleſiæ, *eadem* 18. *Iunij.* 1591. *&* 5 *Iunij* 1615. & ſi Parochus eamdem Eccleſiam impediatur, & permanere velit, in ordinatione Exequiarum nullatenus ſe ingerat; vt ſæpiùs declarauit *Sac.Congreg. & nouiſſimè in anno* 1630. *die* 5. *Iulij*.

47 Sicuti Parochus ſecularis poteſt deferre ſtolam in Parochia Regularium, ita etiam, vt ſeruetur æqualitas, Parochus Regularis curam habens animarum ſecularium, dùm Parochiam ſecularem inerat, ſtolam deferre poteſt iuxta Decretum *Sac. Congreg. Rit. vlt. Nouembris* 1628. *&* 29.*Ianuar.* 1629.

De Eccleſiarum ſtructura, ornatu, & ſupellectili neceſſaria.

Titulus XXIV.

Quemadmodum in lege veteri, Tabernaculum à Moyſe Domino præcipiente, cum menſa, Altari, & ſacra ſupellectili, ædificatum legimus *Exod.* 31. & à Salomone, iubente, & auxiliante Deo, Templum illud auguſtiùs cum Altaribus, & reliquis ad Diuinum cultum peragendum neceſſarijs, mirabili ſumptu, & opere perfectum audiuimus *Reg.* 3 *cap.* 7. ita & nos decet Eccleſias Deo dicare, & prout meliùs poſſumus ornare, altaribus, vaſis, veſtibus quoque, ac reliquis ad Diuinum cultum explendum vtentilibus inſtructas ſacrare. Si enim Iudæi, vmbræ tantùm legis ſeruientes iſta præſtiterunt; quantò magis nos, quibus veritas eſt patefacta, & gratia per Ieſum Chriſtum data, non debebimus templa auguſtiſſima condere? Quocircà cum Eccleſia ſit domus Dei, in qua diuina peraguntur myſteria, & vbi Deus ipſe cum hominibus habitans, de excelſo ſolio gloriæ ſuæ ſupplicantium preces exaudit; eam magna decet ſanctitudo, decor, & reuerentia; quia Dei aula eſt, & Porta Cœli: nihilq; in ea inordinatum, ſordidũ, præpoſterumuè eſſe debet; ſed ſingula in cultu, & ornatu conſpicua; vt ipſa ſicut ſponſa ornata viro ſuo, nullam habeat maculam, neque rugam.

1 Neceſſaria ad Eccleſiæ ædificationem, & ornatum, quamuis in Synodo anni 1617. multa ex parte tradita ſint. Quia tamen non adimpleta, nec in omnibus prouiſa fuere: hic rurſus enumerare, & in praxim, & ordinem reſpectiuè deduci præcipimus, & mandamûs, cum pœnarum adiectarum interminatione.

2 Nul.

2 Nullæ Eccleſiæ, tàm Parochiales, quàm ſimplices, Capellæ, Oratoria, Hoſpitalia, Orphanotrophia, Confraternitates, loca pia, & Monaſteria Regularium cuiuſcumque Ordinis vel Inſtituti, de nouo ſine noſtra licentia, & facultate in ſcriptis obtenta, ædificentur, & conſtruantur, *iuxta Decretum Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. de Regular. Conſtit. Clement. VIII. Gregor. XV. incipient. Cùm alias. die 17. Auguſti 1622. Conſtit. Vrbani VIII. die 28. Auguſti 1624. quæ incip Romanus Pontifex. & Decret. Sac Congreg. de mandato eiuſdem Vrbani VIII die 21. Iunij 1625.* & reſpectu Monaſteriorum Regularium adſint requiſita in ſupradictis Conſtitutionibus, & Decretis ordinata, alioquin Monaſteria ipſa præter traditam formam ædificata, ſubduntur pœnis in relatis Conſtitutionibus addictis.

3 Aediculæ item, ſiuè Oratoria campeſtria ex ſola deuotione, nequaquam ędificentur ſine noſtra licentia, & in iam ædificatis, nihil magni momenti exſtrui, vel deſtrui innouariuè mandamus, nobis inconſultis, ſub pœnis arbitrarijs.

4 Eccleſiæ omnes ruinã minantes, ſiuè vetuſtate collabentes infra annum, ſeù quam citiùs à publicatione præſentis Synodi, reficiantur, & reparentur; quòd ſi Eccleſiarum ipſarum prouentus non ſuppetant, Patroni, ſiuè Parochiani ſuppleant: aliàs eo termino elapſo, & reparatione non ſequuta: contra illos, ad quos reparatio ſpectabat, procedemus per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, iurium priuationes, & al a opportuna remedia, ſeruata forma *Concil. Trident ſeſſ. 21. cap. 7. de reſor.* & hoc tàm de Eccleſijs nobis immediatè ſubiectis, quàm de exemptis, quarum ad nos viſitatio ſpectat, conſtituimus, *vt Trident ſeſſ. 7. c. 8. & pleniùs ſeſſ. 21. cap 7. de reform.* & hoc Decretum à Parochis publicetur; & illis ad quos ſpectat, notificetur.

5 Eccleſiæ veteres, & Capellæ iam in toto, vel in parte dirutæ, ſi reparari nequeant ex prouẽtibus, vel eleemoſynis, prophanis vſibus non deſtinentur, quo tamen modo meliori potuerit, lapidibus ſepiantur, & in medio Crux erigatur in ſignum loci Sacri, vt præcipit *Trident. eadem ſeſſ. 21. cap. 7. de reform.*

6 In ipſis quoque non ædificentur ædes prophanæ, neque pro habitatione ipſiuſmet Parochi, ſine licentia Apoſtolica, vt prohibuit *Sacr. Congreg. Epiſc. 6. Auguſti 1601.* cæmenta, lapides, tecta, tigna, ſiuè lignamina, & alia materialia earumdem Eccleſiarum prophanatarum non conuertantur in vſus prophanos, & ædificiorum ſecularium; vt ſacrilegij pœna euitetur, *iuxta Conſtitut. Sixti IV.* nam ſunt tantummodo applicanda in vſum, & ædificationem alterius Eccleſiæ de noſtra licentia.

7 Si fortè in eiſdem Eccleſijs, vel Capellis ſit annexum aliquod onus Miſſarum, vel ab aliquo ius ſuper illis prætendatur: nobis referatur, vt vocatis, & auditis intereſſe prætendentibus, poſſint Iura, & onera transferri in alias Eccleſias, iuxta idem decretum *Trident. ſeſſ. 21. cap. 7.*

8 In ipſis Eccleſijs, ſicut in alijs omnibus locis Deo dicatis, & in domicilijs fortaſsè adiunctis, nihil prophanum, ſiuè ſordidum retineatur, veluti lignamina, cæmenta, calces, arenæ, tegulæ, & alia quæcumque, niſi ſint eiuſdem Eccleſiæ

in pro-

in proximam, vel actualem reparationem,& ædificationem ibidem præparata, ſub pœna excommunicationis, & amiſſionis rerum repoſitarum. Neque retineantur in eiſdem Eccleſijs, & Sacriſtijs capſæ, ſiuè arcæ cum ſupellectilibus, & mobilibus perſonarum priuatarum quocumque prætextu.

9 Quoad fieri poteſt Eccleſia ſit in Inſulam poſita, & à muris tàm publicis, quàm priuatis ſeiuncta. Nihil innitatur parietibus; qui intrinſecus, & forinſecus mundi, & expurgati ſeruantur. Atque, vt pluuiæ, ſtillicidia, & grandia, ob quæ facilè muri ipſi corrumpuntur, longiùs arceantur, murorum ipſorum proiecturæ ſint prominentes, & ſæpè accommodentur.

10 In parte ſuperiori ſemper tecta ſarcta habeantur, ne imbres intromittant. Intrinſecus tàm in corpore Eccleſiæ,quàm Capellis ſint lacunaria lignea benè compacta, & elaborata, vel depicta; niſi Eccleſia ipſa concameratas fornices habeat. Nullaque ſub nudis imbricibus exiſtere permittatur.

11 Octauo quoque die, & frequentiùs in Feſtis, pauimenta vertantur cum verriculis, ſiuè ſcopis non aſperis, ne pauimentum eradatur, ſed ex cannis paluſtribus; & ſaltem ſemel in Menſe mundentur à telis aranearum,& fuliginibus, & ad hoc efficiendum habeantur longuriæ cum ramis Ruſchorum: & ſi in his Sacriſta, vel alius miniſter deputatus negligens fuerit,pœna caroleni pro qualibet vice mulctetur.

12 Secundo quoque anno ad ſummum muri, & fornices dealbentur, & vbi decruſtati fuerint reficiantur, alioquin Parochi ad hoc procurandum negligentes, punientur.

13 Per Eccleſiam, præcipuè quando diuina Officia celebrantur, vel ſacra Concio habetur, nemo deambulare,diſcurrere,vagari,circulos habere, negotiari,cum alijs colloqui, maximèque cum mulieribus audeat, neque alia committantur prohibita à *Sac.Concil. Trident.ſeſſ.* 22. *cap. de obſeruand. & euit.in celebr. Miſſ. & in Conſtitut. Pij V. incipient. Cùmprimum, de anno* 1566. Nemo Altaribus innitatur, nec ſacrificio terga vertere, aut dum Miſſæ ipſæ celebrantur ante fores Eccleſiæ, vel liminibus aut atrijs extare præſumat, ſed omnes inter Eccleſiã cum reuerentia,& attentione morentur, & quando Sacramentum miniſtratur,vel eleuatur,omnes vtroque genuflexo,ſe proſternant,& integro ſacrificio capite aperto reuerenter aſſiſtant, ibique cum timore, & tremore permaneant, ne vbi venia eſt impetranda diuinæ iuſtitiæ vltio irritetur. Contrafacientes moneantur deteſtare, etiam ſub interminatione cenſurarum, & eiectionis ab Eccleſia, & ſi pertinaces fuerint à foraneis inquirantur, vt ad pœnas *Conſtitutionis Pij V.* condemnari poſſint.

14 Negotia omnia tàm publica, quàm priuata, iudicia, contractus, conſultationes negotiorum quantumuis grauium, colloquia Vniuerſitatum, viſiones computorum,& rationum,& alia ſimilia, vt alibi dictum eſt,longè ab Eccleſia ſeceſſant, vt prohibuit *Sac. Congregat. Epiſc. 3. Februar. anno* 1604. nam ſi Chriſtus flagellis adhibitis eiecit à Templo vendentes, quæ ad vſum ſacrificiorum, & oblationum neceſſaria erant, & quæ quodammodo licitè inferri, & vendi poterant;

poterant; quid ſi illic prophana tractantes, & vana loquentes, vt ait Ambroſius, ob Dei zelum feciſſe?

15 Nemo arma, ſclopos, baliſtas, pugiones, archibuſios, & ſimilia armorum genera, neque accipitres, & canes venaticos introducere in Eccleſiam audeat.

16 Pauperes ad eleemoſynas petendas per illam non diuagentur, ſed foris diſtantes à valuis permaneant, ne aditus ad illam impediatur: neque clamoribus tranſeuntes impetant, & obindè diuina turbentur; Idque curent Sacriſtæ, & Clericis ſub pœnis in *eadem Conſtitut. Pij V. inſlictis*.

17 In atrijs, cœmeterijs, & atriolis earumdem Eccleſiarum frumenta, & aliæ fruges, & victualia non triturentur, mandentur, ſiuè ventilentur, ſub pœna excommunicationis; non vltra irreuerentiam, Eccleſiam ipſam conſpurcant, Icones, & ornamenta obnubilant, & commaculant.

18. Res venales non affigantur, neque appendantur in parietibus Eccleſiæ, & Capellarum, neque Apothecæ mercium innitantur; nec in portis, & muris edicta, ſiuè cartulæ de rebus prophanis, & laicalibus admoueantur, ſub eiſdem pœnis.

19. Ante ianuas in atrijs, gradibus, cœmeterijs, & adiacentibus, nullo tempore ludatur ſub pœna excommunicationis.

20. A Sacriſtia, & Choro laici arceantur: neque detur eiſdem locus intra Presbyterium, & Chorum, quamuis ſint Officiales: nam prohibuit *Sacr. Congregat. 12. Ianuar.* 1604 neque tempore Diuinorum, vt diximus, permittantur in Eccleſia permanere infideles, & mancipia ex *Decr. Sacr. Congreg. 23. Iulij 1603*.

21 In Eccleſia non retineantur ſedes, ſcamna, ſubſellia, & ſimilia perſonarum priuatarum, niſi pro communi vſu. Quæ tamen tempore Quadrageſimæ pro audiendis Concionibus poterunt tolerari.

De Valuis Eccleſiæ.

§. I.

22. SVpra portam maiorem Eccleſiæ præſertim Parochialis apponatur ſtatua, vel ſaltem effigies pingatur Sancti Titularis.

23 Fores ſint ex validis aſſeribus compactæ, non modo ad ornatum, ſed ad fortitudinem, ſintque firmis, & tutis clauibus, & ſeris munitæ; intrinſecus claudantur repagulis ligneis, vel ferreis: & ne tempore hyemali ad reprimendos furentes flatus ventorum opus ſit eas clauſas tenere, conſtruatur à parte interiori Diathyrum ex tabulis.

24 Capellæ, ſiuè Oratoria intra mœnia habeant portas clatratas, ſiuè cancellis ligneis efformatas, alioquin carentes, portis diruantur; dedecet enim illa eſſe diuerticula animalium. Sin autem ſint extra mœnia, & campeſtria, habeant firmas

portas,

portas, ſine Altaribus, nam ad deuotionem tantùm ædificantur, niſi habeant aliquod onus annexum.

25 Completis diurnis Officijs, portæ claudantur, & ſic omninò teneantur de nocte, nec ante auroram aperiantur; & quando de ſero clauduntur, aduertat Sacriſta rimari omnes latebras, & angulos Eccleſiæ, ne fures vel alij nequam deliteſcant, & vbi commodè haberi poſſit, ante eas fit in muro affixus fonticulus lapideus pro aqua luſtrali retinenda, quâ tranſeuntes ſe aſpergant.

26 De nocte nunquam aperiantur, niſi pro neceſſaria miniſtratione Sacramentorum, & tunc in egreſſu claudantur, vel Sacriſta, aut alius Clericus cuſtos remaneat. Atque, vt in neceſſitatibus clauis ſit prompta, in vnica ſera fiant duę claues, quarum vnam retinebit Parochus, & alteram Sacriſta;

27 Perſonæ facinoroſæ delinquentes, contumaces, decoctores, & alij, quouis modo ciuiliter, vel criminaliter pœnis obnoxij, ſiuè multo ære alieno obærati, non permittantur in eiſdem Eccleſijs permanere, tàm in Eccleſijs, quàm in domicilijs coniunctis, proprijs earundem Eccleſiarum; nè loca Deo ſacrata ſint aſylum, ac receptacula ſcæleſtorum hominum, qui ſi egredi detrectauerint, ad nos referatur, vt opportuna remedia, nobis *à Sac. Congreg.* ſuggeſta adhibere poſſimus; & ſi Cleri ad hæc con niuentes erunt pœnis grauibus coërcebuntur.

De Pauimento.

§. *II.*

28 Pauimenta Eccleſiarum congraueret eſſe Lythoſtrata, ſiuè Texellata, aut ſaltem lateribus ſtrata; vbi tamen Eccleſiæ vires non ſuppetant, ſaltem ſint ex ſolido benè compacto, & coagmentato cemento æquata, non taberculis prominentia, non rimis diſiecta, non corroſa, neque concauitatibus inæqualia, nullæque appingantur Cruces, & Imagines Sanctorum, pedibus proterendæ.

29 In ſepulturis opercula ſint ex ſolido marmore, aut alio lapide benè leuigato, quæ cum lapidibus collateralibus cohæreant, ne fœtorem euaporent; ſintq; diſtantes ab Altaribus eatenus, vt alibi diximus, quatenus oſſa Altaribus Bradellis, & gradibus, non ſubſint; aliàs ſepulturas ipſas, & Altaria interdicta declaramus, niſi accommodentur in termino præfixo in titulo de ſepulturis.

30 Inhærendo præteritæ Synodi, prohibemus ſub pœna excommunicationis effodi pauimentum pro tumulandis cadaueribus perſonarum cuiuſuis dignitatis, etiam in priuatis Capellis: neque reponantur in capſis, & tumbis extra ſepultutas, & antiquitus poſita remoueantur, vel ſaltem purgentur oſſibus reponendis in ſepulturis profundis, *iuxta Conſtit. Pij V.* & capſæ, ſiuè tabulæ extracta à ſepulturis comburantur.

De Pila aquæ benedictæ.

§. III.

31 VAs, ad aquæ luſtralis conſeruationem, ex marmore, vel alio ſolido lapide extruatur, & in Eccleſiæ ingreſſa à parte dextera collocetur, atque, vt firmiùs perſiſtat, ferreo circulo, & bacillis circumfulciatur: & ſi in Eccleſia plures ſint portæ, in vnaquaque illarum adſit vas lapideum conchiliatum muro innixum. Aqua ipſa ſingulis Sabbatis de ſero, vel ſummo manè in Dominica benedicatur, & vetus in ſacrarium, vel per Eccleſiam proijciatur.

32 De aqua ipſa, antequam Miſſa cantata incipiatur, in omnibus Dominicis, etiam ſi non fiat Officium de Dominica (excepta Dominica Paſchæ, & Pentecoſtes, in quibus aſperſio fiet de aqua fontis Baptiſmalis pridiè benedicti, ante infuſionem oleorum) Sacerdos celebraturus aſpergat Altare, ſe, & Miniſtros, deindè Chorum, & papulam, vt in Miſſali, neque ab alio Sacerdote quam à celebrante fieri debere aſperſionem præcipit *Sac. Congreg. Rit.* 29. *Nouembris* 1632. Quando autem ſuper Altare ſit expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum non aſpergatur Altare, vt eadem *Congregat. decreuit anno* 1628.

De Feneſtris.

§. IV.

33 FEneſtræ ita in parietibus ordine, & ſtructurâ ſint diſpoſitæ, vt lumen recipiant; ſed imbrium aſpergines ſuper Altaria, & Icones non irrorent. Quare aperiendæ ſunt in vacuo inter columniorum; ita tamen, vt à domibus contiguis per illas non pateat proſpectus ad Eccleſiam, quod prohibuit *Sac. Congregat. Epiſc.* 5. *Martij* 1619. Neque ſint valdè infra Zophorum lacunaris: forma erunt oblonga, præter illam ſupra portam maiorem, quæ poterit eſſe, vel circularis, vel quadrangularis, & meliùs; omnes habeant portulas ligneas, & vitreas, vel ſaltem telas ceratas.

34 Omnes portæ, feneſtræ, & aditus cuiuſcunque generis per quos à domibus priuatis poſſit dari acceſſus ad Eccleſias, Capellas, Monaſteria, & alia quæcunque loca ſacra, ſiuè Eccleſiaſtica: infra menſem à publicatione huius Synodi, omninò à Patronis, & alijs ad quos ſpectat, fabricentur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & Vicarij foranei tranſgreſſores referant ſub pœnis arbitrij.

De

De Altaribus, & Capellis.

§. V.

35 ALtaria de nouo erigere, ſiuè erecta antiqua de loco ad locum, etiã intra ambitum Eccleſiæ, nemini liceat, ſine noſtra licentia transferre. Quæ de Iurepatronatus ſunt (vt alibi decretum eſt) habeant dotes ſufficientes oneri cum ſuis ornamentis: conſtruantur non ex ligno, ſed marmore, vel lapide alio, aut ſaltem opere lateritio, ſiuè cemento; deſuper omninò habeant conſignationem tabularũ, & ſic etiam ligna coaptata in fronte angulorum collateralium; ſint Altaria longitudinis palmorum ad minùs ſeptem, altitudinis quatuor, & latitudinis ſaltem trium; continuè cooperiantur linteis tribus ex tela tenui, quorum ſuperius vtrinq; dependeat. Hæc ſemper ſint mundiſſima, & ſingulis menſibus abluantur. Ideò habentur duplicata conſimilia, vt viciſſim mutentur. Pallia, ſiuè frontalia habeantur ſericea omnium colorum, iuxta Rubricas Miſſalis, & Officij varietatem mutanda: & ligneis ſint affixa talaribus, vt protinus accomodari poſſint, cum vnciulis ferreis, & ſublata ſeruentur in armario in Sacriſtia. Habeant ipſa pallia circũcirca Phrygias, ſiuè tenias ſericeas.

36 Altare ipſum, niſi ſit integrum conſecratum, habeat Aram ſuperiorem ſacratam, vel ſaltem paruum altariolum ſacratum amouibile, & in medio tabularum benè compactum, & aptatum longitudinis ſaltem palmi vnius cum dimidio, & totidem ferè latitudinis, & ſuper tabulas promineat ad altitudinem tertiæ partis digiti, ſit coopertum telâ ceruleâ clauulis affixa, ne tangatur ab alijs, & ne ſigillum de medio excidat cum Reliquijs; nam per amotionem ſigilli conſecrationem amitteret: ideò de vno ad aliud Altare non aſportetur.

37 Super Altare collocetur Icona Sancti, cui dicata eſt Capella, decentis picturæ, aliàs non apponatur, nec pingantur Imagines in muro, vel apponatur ſtatua lignea, ſiuè ex argillâ cocta, bene colorata, & deaurata. Prohibemus ſtatuas cementitias plerumque corroſas deformes, quæ nullam retinent venuſtatem, neque deuotionem inducerint; & ſic ſtatuæ omnes in futurum extruantur, vel quod decentiùs eſt ex lapide Pario, marmore, aut ſaltem opere tectorio, marmorato, & omnes, quoad fieri poteſt, ſint benedictæ. Antiquæ verò abraſæ, vel corroſæ, ſi refici nequeant, remoueantur. Ante illas pendeant vela ſericea, vel ſaltem telæ depictæ, quibus ſuis temporibus operiantur.

38 Iconæ circumcirca habeant ſua ornamenta lignea deaurata affabrè ſculpta cum ſuis columnis epiſtelijs, nec alijs ſecundùm artem. Quæ ornamenta poſſunt eſſe ex opere tectorio marmorato decenti: deſuper aptetur paruum lacunar ex tabulis benè dolatis, vel depictis ad menſuram Altaris, & Bradellæ, niſi deſuper ſit fornix concamerata.

39 Habeantur ſupra illud quatuor Candelabra ex aurichalco deaurato, aut

ſaltem

ſaltem lignea,& in medio ſit aliud cum Crucifixo.

40 Adſit tabella,quam vocant ſecretarum,cum cornicibus deauratis:& inter candelabra, ſi in loco commodè aptari poſſint, apponantur vrnulæ ligneæ deauratæ, cum floribus artificialibus.

41 Puluillus,ſiuè cuſſinus adſit ſericeus coloris conſimilis paramentorũ Officio currenti congruentium.

42 Bradella, ſiuè Scabellum ligneum ante Altare in plano ſit bene accommodatum,ne claudicet, aut ſtrideat ſub pedibus celebrantis, latitudinis palmorum quatuor,& longitudinis æqualis cum Altare, & in parte adhærenti cum Altare ſit pinna lignea, ne pallia pedibus celebrantium proterantur.

43 Propè ſit abacus, ſiuè parua credentia, vbi ampullæ cum aqua, & vino, tintinnabulum,& alia neceſſaria apponi poſſint, & in muro affigatur clauus pro Bireto appendendo.

44 Vnumquodque Altare deſuper habeat telam ſtragulam coloris viridis, quæ aſſiduè Altare ipſum in plano, & lateribus cooperiat, excepto tempore celebrationis.

De Altare, ſiuè Ara maiore.

§. VI.

45 Altare maius eiſdem numero, ſed pretioſioribus ſplendeat ornamentis, maximèque ſi ſuper eo reſidet conditorium ſacratiſſimæ Euchariſtiæ: nam ſi in cæteris Capellis,& Altaribus priuatis, ob eorum inopiam, haberi non poſſint omnia paramenta ſericea omniũ colorum; in hoc tamen omninò habenda ſunt. Adſint ſex candelabra, & ſi opportunitas ſuppetat interponantur vrnulę cum floribus, vt ſuprà dictum eſt. Longitudo eius ſit ſaltem duobus palmis maior, quàm aliorum Altarium,& vltra Bradellam, habeantur tres alij gradus diſtincti anteriores,& collaterales, latitudinis ſexquipalmi, & altitudinis dimidiati. Quos deceret operiri tapetibus, vel auleis, præcipuè in ſolemnitatibus. Super eo conſtruatur laqueare ligneum, niſi Altare ipſum ſit ſub Tolo, nam tunc ſufficiet vmbella coriacea.

46 Vbi quoque Eccleſiæ vires ſuppetunt gradus ipſi ſepiantur ſcabellis ligneis cum cancellis, tornatilibus, quos balauſtos appellant, & deforis ſint genuflexoria, & in angulis ſiſtantur duo candelabra grandia pro ſuſtinendis intortitijs, pro quo etiam in Capellis priuatis ſit affixum muro candelabrum ad modum cornucopiæ, ſiuè brachij deaurati. Reliqua omnia prouideantur modo dicto de alijs Altaribus.

De

De Tabernaculo, ſiuè Cuſtodia Euchariſtiæ.

§. VII.

47 TAbernaculum, ſiuè reconditorium in quo Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur à ſaltem ex ſpecie ligni, quod non facilè humiditatem, & lentorem concipiat, extruatur; ſit auro, & picturis deauratum, atque paruis ſtatuis, & figuris eius myſteria repræſentantibus exornatum. In medio habeat cellulam firmis tabulis ſeptam, ſiuè rimis, veloque ſericeo albo intrinſecus circumueſtitam. A parte anteriori habeat portulam per quam pixis, & quandoque tabernaculum oſtenſorium facilè introduci poſſint; & claudatur tutâ claue inauratâ retinenda ſemper à Parocho, quandoquidem ſub ea Theſaurus theſaurorum reconditur, & pendeat ei vitta ſericea cum flocculo; cellula ipſa ſit in parte tabernaculi non nimis alta, ne opus ſit ſcabello ad aſcendendum, quod eſt indecens, & periculoſum, & hoc ſicubi ſeruatur, omninò tolli mandamus, ſub pœna noſtro arbitrio reſeruata.

48. Tabernaculum ipſum ſemper ſit contectum conopeo ſericeo æqualis altitudinis, & menſuræ, coloris ſimilis paramentorum Altaris, & cum eiſdem mutetur.

49. Intus illud ſola pixis detineatur cum particulis conſecratis, pro adoratione, & pro communicandis Infirmis, quæ ſint numero ſaltem quinque, & in locis populi numeroſi plures; quæ qualibet quinta feria renouentur, & veteres à celebrante ſumantur. Pixis ipſa ſit argentea cum ſimili operculo, vel ſaltem cuppa, cum operculo ſint argentea deaurata intrinſecus, & pes, ramus ſimiliter inauratus, cuppa ſit in fundo orbiculata perpolita, ne fragmenta adhæreant, nullumque intus retineatur Corporale, præter illud retinendum ſub pede pixidis. Nihil aliud habeatur, etiam ſi ſint reliquiæ Sanctorum in eodem Tabernaculo, tàm in cellula pixidis, quàm in alijs Tabernaculi ipſius. Ante portulam, vel ſuper Altare ſtet Crucifixus, & in apice Tabernaculi parua ſtatua Chriſti reſurgentis.

De Lampadibus.

§. VIII.

50 LAmpas ante Sanctiſſimum ſemper indeficiens colluceat, eaque collocetur à cornu Epiſtolæ Altaris maioris in feneſtrula cum vitreis, ita ut exiſtentibus in Eccleſia ſit conſpicua; conficiatur, ſi non ex argento, ſaltem ex rame, ſiue cupro, vel vitro. Præter hanc aſſiduè ardentem, decet haberi alias

appen-

appenſas ante Sacramentum ex aliquô lampadario triangulari ex argentô, vel vitro,& ſic etiam in alijs Capellis per Eccleſiam, & ſint cautè appenſæ, ne ſtillicidia olei inficiant Bradellam,& commaculent miniſtrantes in Altaribus.

De Reliquijs Sanctorum.

§. IX.

51 VT debitus honor, & reuerẽtia ſacris Sanctorũ reliquijs ab omnibus, iuxtà *Decretum Conc. Trid. ſeſſ 25. in principio exibeatur*. Mandamus illas decenter ſeruari, quantum fieri poteſt in loco conſpicuo propè Altare maius modò ſequenti.

52 Reponantur intus armarium ligneum firmum, & affabrè ſculptum, vel ſaltem depictum cum Imaginibus Sanctorum illorum, quorum illæ ſunt Reliquiæ; intùs ſit ornatum velo ſericeo rubeo; ſi plures ſint Reliquiæ, ſingulæ ſuos habeant pluteos diſtinctos,cum vitris antepoſitis, & inſcriptione Sancti, de cuius corpore ſumpta eſt reliquia.

53 Sin autem Reliquiæ ſint in ſtatuis ligneis deauratis, quod decentiùs erit, ſtatua repræſentet Imaginem eiuſdem Sancti, & Reliquia reponatur in pectore ſtatuæ cum vitro appoſito. Portulæ armarij muniantur ſeris duabus, & vna claius retineatur à Sacriſtâ, & altera à Parocho. Quòd ſi in ipſis Reliquijs aliquod ius habeat Vniuerſitas loci illius, tunc tertia clauis addatur, retinenda à Priore de regimine illius, vt conceſſit *Sac. Congregat. Rit. in Litteren. 8. Maij* 1604.

54 Propè armarium pendeat tabella, cum indice Reliquiarum, cum Antiphonis, & Orationibus eorundem Sanctorum, vt veneraturi Reliquias, recitare poſſint.

55 Quando exponuntur, vel Proceſſionaliter circumferuntur, non extrahantur à ſuis reconditorijs, & ſtatuis, ſed in illis ita incluſæ permaneant, vt vitri antepoſiti, non poſſint remoueri, & in eiſdem actionibus ſemper accendantur circum multa intortitia, ac incenſum adhibeatur, & vnus ſaltem Sacerdos cum cotta, & ſtola aſſiſtat, donec reponantur.

56 Reliquiæ antiquæ incertæ,in quibus neſcitur nomen Sancti, nec aliquod apparet documentum, aut certa traditio, nullo modo tàm à Sacerdotibus ſecularibus,quàm Regularibus exponantur, non obtenta à Nobis licentia,iuxta citatum *decretum Trident.* vt maturo conſilio, diligenti examine, & exactâ præhabitâ viſitatione, quid de illis agendum ſit, decernatur: & interim in aliquo loco decenti, non patentes, ſed reconditæ retineantur.

57 Ante Reliquias vna ſaltem lampas ardeat, & ſi inſignes ſint: habeantur plures.

58 Inſignem Reliquiam eſſe declarauit *Sac. Congreg. Rit. 8. Aprilis* 1628. vel corpus integrum, vel ſaltem caput, brachium, crus, tibiam, &c. aut illam partem

partem Corporis, in qua præcipuè paſſus eſt ille martyr, modò ſit integra, non parua, & ſit ab Ordinario approbata.

59 In Eccleſia, vbi habetur illa Reliquia inſignis, poteſt recitari Officium de illo Sancto ſub ritu Duplici, quamuis in Breuiario ſit ſimplex, & ſi proprium Officium non habeat, fiet de communi, *vt eadem Congreg. Rit. in Calaguritan. 1. Septembris 1612. Theatin. 3. Iunij 1617. & Conchen. 12. Martij 1618.* & debet eſſe ex Sanctis approbatis in Martyrologio.

60 Reliquiæ aliundè aſportatæ, ſine debitis approbationibus Ordinarij, non recipiantur in aliqua Eccleſia, nec ſine noſtra licentia, *ex Conſtit. Sixti V. incip. Dominus. de anno* 1588.

61 Non aſportentur ad ægrotos, neque radantur oſſa, vt raſuræ cum potu propinentur eiſdem infirmis; nam hoc prohibuit *Sacr. Congregat. Epiſc. 7. Decembris* 1591.

62 Non transferantur de vna ad aliã Eccleſiam ſine noſtra licentia in ſcriptis obtenta.

63 Ex Reliquijs exiſtentibus in aliqua Eccleſia, nihil detrahatur, vel concedatur, quantumuis minimum, quolibet prætextu, etiam de conſenſu Cleri illius Eccleſiæ, ſine noſtra expreſſa licentia, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, &c.

Da Sacris Imaginibus, & Picturis.

§. X.

64 PRæter ſuperiùs decreta de Sacris imaginibus apponendis in Eccleſijs, & Capellis, hæc præcipimus ſeruanda. Statuæ fictiles antiquæ, niſi ſint valdè decentes, & magnæ deuotionis, omninò remoueantur. Iconæ, & ſtatuæ ſi ſint vetuſtæ corroſæ, vel abraſæ, obnubilatę, & decoloratæ, vt potiùs vilipendium afferant, quàm pietatem redoleant, infra ſex menſes, vel reficiantur ab illis, ad quos ſpectat, aut omninò remoueantur; ſub pœnis noſtro arbitrio reſeruatis. Picturæ verò in parietibus, extra ambitum Capellarum antiquitùs depictæ, omninò deleantur, & muri dealbentur; quæ autem ſunt in eiſdem Capellis, & hemiciclis earum, vel renouentur, vel omninò aboliantur.

65 Monemus omnes, & ſingulos Patresfamilias, & alios ad quos, &c. vt à ſuis domibus, aulis, & cubiculis remoueãt omnes picturas, ſtatuas, & ſimilia. Laſciuiã, & obſcęnitatem repræſentantes, & inuenes, quæ plerumque ad mentis corruptelam, & etiam ad peccata pollicere poſſunt; & quemadmodum Catholica Eccleſia libros laſciuos, qui legentes inquinare poſſunt, prohibuit retineri; ſic nos à fortiori prohibemus obſcęnas picturas, quæ magis patent ad ſenſum, & perſonas quamuis ſimpliciſſimas ad petulantiam, & ſpurcitias trahere poſſunt. Ideò in virtute ſanctæ Obedientiæ remoueri præcipimus, & non amplius retineri, ſed

S comburi,

comburi,& tranſgreſſoribus Confeſſarij denegent abſolutionem,donec obediãt.

66 Retineantur ergo effigies,& imagines Chriſti Ieſu,maximèque de myſterijs Paſſionis, Beatæ Virginis Matris, & Sanctorum, quæ etiam ſub pictura modeſta deuotè pingantur, maximèque in Sanctis Virginibus, & in veneratione picturarum ſemper habeatur intentio ad prototypum in illis repræſentatum, vt monet *Trident.ſeſſ.25.cap.de inuoc.vener. & reliq.&c.*

De Sacris Oleis.

§. *XI*.

67 TRiplex Oleum ad diuerſos actus adhibendum, in Sacramentorum adminiſtratione,Catholica Eccleſia ab Epiſcopis feria quinta in Cœna Domini conſecrare præcepit : nimirum oleum Cathecumenorum, ita appellatum,quia Cathecumeni ad baptiſmum accedentes,illo vnguntur. Chriſma, oleum balſamo admixtum, quo baptizati ab ipſo baptizante Sacerdote liniuntur in ſummo vertice capitis,& quo infantes, & alij fideles ab Epiſcopo in fronte ſignantur, dùm confirmantur : illiſque Eccleſia in diuerſis alijs actionibus vtitur,veluti in conſecratione manuum Sacerdotum, Altariũ, Calicium, Agnus Dei, in Vnctionibus Epiſcoporum,Abbatum,Regum,& ipſius Summi Pontificis. Tertium eſt oleum infirmorum,quia de illo vnguntur ægritudine periculoſâ decumbentes. Hæc omnia ſunt cum veneratione retinenda ; nam ſunt ſacramentalia, & pleraque ſunt materia,in qua conficiuntur quædam Sacramenta, & multa alia cum eiſdem perficiuntur ; & quamuis omnia in eodem liquore ſacrentur, non idcircò promiſcuè vnum pro altero vſurpari poteſt.

68 Retineantur in Eccleſia in vaſculis diſtinctis argenteis,vel ſaltem ſtanneis, duo prima ſeruentur in Ciborio fontis baptiſmalis, tertium verò, nempè illud infirmorum in cellula particulari extructa in pariete à cornu Euangelij Altaris maioris,quæ ſit intrinſecus velo ſericeo violacei coloris veſtita,eius portula claudatur claue retinenda à Parocho. Ibidem ſeruetur burſa ſericea eiuſdem coloris, in qua vas cum oleo incluſum aſportetur ad infirmos, & habeatur goſſipium pro abſtergendis locis inunctis ; ſupra portulam ſit inſcriptio : *Oleum Infirmorum*.

69 Olea ipſa in dies miniſtranda,quæ retinentur in vaſculis, non fluida,ſed in goſſipio imbibita ne effundantur,erunt ſeruanda ; illa tamen recepta, quando ab Epiſcopo fuerunt recenter conſecrata, ſeruentur intus ampullas argenteas, vel ſtanneas,in quibus aſportata ſunt, & exindè quando oleum deficit in vaſculis, ſuppleatur.

70 Ampullæ, & vaſcula habeant ſua opercula, & in vnoquoq; ſit inciſa inſcriptio ad internoſcendum oleum, veluti in illo olei Cathecumenorum formetur ſic : *Ole: Cathecum.* In alio, *Chriſ.* In tertio, *Ol. Infirm.*

71 In

71 In eiſdem oleis conficiendis, ſiuè ſacrandis, intereſſe deberent, non ſolùm dignitates, & Canonici Cathedralis, ſed ex quolibet loco proximo vnus ſaltem Presbyter, vt omnes coctis induti aſſiſtant functioni, vt præcepit *Sacra Congreg. Conc. Epiſcopo Ciuitatis Caſtelli, & Hortan.* 8. *Iunij* 1624.

72 In illis recipiendis ſeruetur omninò Conſtitutio poſita in titulo de Sacramento in genere; nec comburantur olea vetera, non priùs habitis recentibus, vt in caſu neceſſitatis adhiberi poſſint.

73 Si benedicta aqua in Sabbato Sancto, & nondum ſanctificata per infuſionem nouorum oleorum: contingat caſus neceſſitatis baptizandi infantem nuper natum, & inſtetur baptizari in Eccleſia cum cœremonijs, quòd ſi negaretur, ſcandalum afferret; tunc recipiatur aliquantula aqua ex fonte ipſo, & infuſis in ea de more guttis veterum oleorum, & prolatis verbis, vt in Rituali, poterit cõferri Baptiſma: meliùs tamen erit expectata, ſi nullum adſit periculum moriendi infantem.

De fonte Baptiſmali.

§. *XII.*

74 Fons baptiſmalis extruendus eſt ex lapide marmoreo, vel alterius ſpeciei durioris, non ſpongioſi, nam aquam attraheret: ſit benè dolatus, & politus, ſphæricus ad inſtar crateris, cum pede ad modum columnæ ſuper firma baſi ſtabilitus.

75 Deſuper habeat ciborium piramidale in ſummitate acuminatum, ex lignis nucis elaboratis conſtructum; cum armariolis pro retinendis ſacris oleis: quorum vaſcula includantur in aliqua capſula, ſeù theca coriacea. Portulæ fontis ſint firmâ ſerâ, & claue munitæ, non autem peſſulo ex parte exteriori, & claues retineantur à Parocho. Ciborium ſit ex tabulis benè compactis, ſine rimulis: in apice ſit crux, & in tabulis depicta Imago Sancti Ioannis Baptiſtæ Chriſtum baptizantis: cooperiatur conopeo lineo coloris cerulei.

76 Habeantur in eodem fonte cochlear argenteũ, vel ſtanneum, non autem rameum, neque ferreum, congruæ capacitatis, cum manubrio, & epiſtomio ad infundendam aquam ſuper caput baptizandi, in qua tempore Hyemali rigore, poterit admiſceri paululum aquæ calidæ, ne tenerum caput infantis offendatur à frigore: item peluis ærea, ſiuè ſtannea ad recipiendam aquam defluentem, quæ proijciatur in ſacrarium. Mantile mundum imponendum ſuper baptizatum, & bombacium pro abſtergendis vnctionibus. Liber Ritualis. Codex particularis, in quo à Sacerdote baptizante adnotetur baptizatus formula, vt in Rituali, & ab illo poſtmodum redigantur baptizati, in librum grandiorem, authenticum per Parochum.

77 Propè fontem conſtruatur ſacrarium, ſiuè piſcinula, in quam proijciatur

 aqua,

aqua, cum portula capaci, pro latitudine peluis, quæ etiam ſit claue obſerata.

78 Fons ipſe collocetur in aliqua Capella, ſiuè loco cancellis ſepto, vel ſaltem habeat circum gradus cum cancellis, ſi commodè fieri poſſit.

De Suggeſto.

§. *XIII.*

79 IN qualibet Parochiali conſtruatur Suggeſtum, Pulpitum nuncupatū, vnde habetur ad populum concio ſacra: quod etiam in feſtis ſolemniotibus pro ambone deſeruire poteſt ad cantandum Euangelium, benedicendum Cereum Paſchalem, & interdum pro cantanda Paſſione in Hebdomada ſancta. Hoc, niſi ſit marmoreum, conſtet ex lignis nucis affabrè ſculptis, & elaboratis. Ædificetur, ſi commodè fieri poſſit à latere Euangelij, in loco conſpicuo, vndè Concionator à præſentibus in Eccleſia commodè audiri, & videri poſſit. In eo habeatur deuotus Crucifixus. Adſit ſedes, ſiuè tabula parua amouibilis, in qua Concionator ſedeat. Deſuper ſit lacunar ligneum cum Columba repræſentante Spiritum ſanctum, & ſcalas habeat decentes, in quarum ingreſſu ſit portula, claudenda extra tempus concionis. Locus non ſit valdè altus, nec nimium depreſſus.

De ſedibus Confeſſionalibus.

§. *XIV.*

80 IN eiſdem Parochialibus ſint Confeſſionalia iuxta numerum Confeſſariorum, quæ formentur ex aptis tabulis: diſtinguantur in tribus loculis, in medio aſſideat Confeſſarius, & collaterales ſint cum genuflexorijs pro confitentibus; à parte poſteriori ſit confeſſionale totum tabulis contectū, in parte ſuperiori, & inferiori: ante ſedem Confeſſarij ſit portula dimidiata, claudenda extra actum confeſſionis audiendæ, & ſurſum ſit vacuum, vt Confeſſarius ab omnibus conſpiciatur, loculi collaterales deſeruiant, vt ſuprà, pro pœnitentibus genuflexis, inter quos, & Confeſſarium ipſum ſint tabulæ cum portulis, in quibus affixæ ſint laminæ ferreæ perforatæ crebris paruis foraminibus, vndè Confeſſarius audiat voces confitentium, nec facies aſpiciat, & præterea in eiſdem feneſtris ſint portulæ ductiles, non autem cum fibulis. In tabulis ipſis à parte Confeſſarij, ſint conglutinatæ cartulæ, cum caſibus, & cenſuris reſeruatis deſcriptis, cum formulis abſolutionum à peccatis, & cenſuris, & diſpenſandi ſuper irregularitate, &c. Item tranſumptum Bullæ Cœnæ Domini nuncupatæ. A parte verò pœnitentum ſint Imagines Chriſti crucifixi, & cartu-

læ

læ Orationum ante confeſſionem, actus contritionis, & ſimilium. Locentur confeſſionalia in locis patentibus Eccleſiæ, non intus Capellas, ſeù in angulis, & quoad fieri poteſt, ne terga vertantur Altari maiori. Non detineantur extra Parochiales in alijs Eccleſijs parum frequentatis.

De Organo.

§. *XV.*

81 ORganorum ſonum, & modulationem antiquitùs ſeruatam, Catholica etiam recepit Eccleſia ad Pſalmodiam, & Hymnodiam concinnandam, vt pietas, & deuotio ardentiùs excitetur. In illo itaque nihil prophanum, impurumúe decantetur, neque cantiones, moteta nuncupata, quæ non ſint deſumpta ex Scriptura ſacra; ſeù aliàs ab Eccleſia approbata. Simulque non pulſetur modulis chorealibus, & prophanis. Si ſub illo ſint Altaria, non celebretur in eis tempore pulſationis. In Veſperis, & alijs Horis, dùm adhibetur alternatiuè in decantandis verſibus Pſalmorum, & Hymnorum, tunc verſus cadentes in ſono Organi, non ſupprimantur, ſed vel omnes cantentur, vel ſaltem à duobus altâ voce recitentur. Attamen in decantatione Canticorum, *Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis: Te Deum laudamus, & in Symbolo Apoſtolorum;* omnes Verſus cantentur, etiam ſi pulſetur Organum inter verſus ipſos.

De Choro.

§. *XVI.*

82 CHorus, ſi opportunitas ſuggerat, ædificetur poſt Altare maius, cum portis, & cancellis collateralibus Altaris benè, & concinnè conſtructis. Dùm diuina Officia peraguntur; omnes aſſideant in ſtallis, ſiuè ſubſellijs ipſius, & nullus accedat ad cancellos populum ſpeculaturus. Si fieri poſſit eius forma ſit ſemicircularis; ſedilia ſint circumcirca cum decentibus genuflexorjis, maximèq; ſi in eo ſit onus recitandi diuinum Officium.

83 In medio ſituetur Anagnoſticum, ſiuè Legile cum commodo abaco pro retinendis libris Choralibus, nempè Antiphonario, Pſalterio, Graduali, Martyrologio nouæ impreſſionis, Breuiarijs nouiſſimis, Directorio Chori, & ordine diuini Officij recitandi.

De Campanis.

§. XVII.

84 CAmpanæ, ceù Eccleſiaſticæ tubæ inuentæ pro populo ad diuina Officia conuocando; obindè ad nullos prophanos vſus ſunt adhibendæ, maximèque ſi ſint benedictæ. Quocircà vltra prohibitionem præteritæ Synodi illas adhibendi ad concitandum populum in perſecutionem delinquentium, & ſæpè ad ſeditionem, vt aſſolet. Idem Decretum confirmantes decernimus neque pulſari ad alios actus, inquibus directè vel indirectè oriatur damnũ, & intereſſe proximi; veluti in edictis, & bannis, emanatis per Curias laicales, ne quis de ſerò poſt aliquot ictus campanæ incedat ſine lumine, & ſimilibus. Imponentes pœnam ſuſpenſionis Sacriſtis, ſeù alijs ad quos ſpectat, ſi licentiam, vel claues præſtent. Campanæ nouiter conflatæ, non appendantur in Turribus, niſi priùs à nobis benedicantur.

85 Campanilæ, ſiuè Turris, longè ſuper Eccleſiam promineat, ſed ab ea, quatenùs fieri poſſit ſit ſeiuncta, ne à muris illius lapides diſiecti cadentes in tecta Eccleſiæ ruinam inferant. Scalas habeat cementitias, aut ſaltem ex firmis trabibus cum contignationibus craſſarum tabularum. Sit vndequaque feneſtris perforata, vt ſonitus campanarum reboet. In cacumine compleatur Tolo acuminato, ſuper quo collocetur Crux ferrea in faſtigio. Portam non à loco publico, ſed intus Eccleſiam habeat cum claue retinenda à Sacriſta, ne laici ad importunas pulſationes accurrant, & interdum delinquentes illuc cõfugiant.

86 In Sabbato Sãcto in nulla Eccleſia Oppidi, ſiuè ſeculari, ſiuè Regulari pulſentur Campanæ, ante Eccleſiam maiorem, & maior dicetur eſſe Parochialis, & ſi plures ſint Parochiales, tunc erit antiquior; *iuxta Concil. Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 15. & Decreto Sacr. Congregat. Rit. die* 10 *Octobris* 1588. & ſi Parochiæ ſint æquales, illa dicatur maior, in qua refidet prima dignitas in Clero. Et huic ordinationi contrafacientes pœnam incurrent librarum ceræ albæ quinquaginta. Pro iuuandis Agonizantibus per orationes fidelium ad benè moriendum, & pro mulieribus parturientibus, pulſetur Campana maior aliquot interpollatis ictibus, vt audiente, pro illis preces effundant.

De Cœmeterio.

§. XVIII.

87 D[illegible] Cœmeteriorum vſu, & qualitate abundè ſtatutum fuit *in Synodo* [illegible] 617. ſed illius decreta nullæ exequutioni demandata reperi[illegible]ationibus: nã pletũq; tenẽtur aperta, tranſeuntibus peruia, & brutis

brutis petentia; Quocircà eadem ipſa Decreta innouantes præcipimus, ſub pœnis grauibus noſtro arbitrio reſeruatis, illa circumcirca muris ſęperi, cum Ianua cancellata non aperienda, niſi dum oſſa reponi, vel abſolutionem fieri contingat. In meditullio erigatur Crux ferrea, ſeù lapidea, aut ſaltem lignea grandis. Nullæ illic arbores nutriantur, exceptis cupreſſis, & à naſcentibus ſpinis, & herbis iugiter emundentur.

De Sacriſtia.

§. *XIX*:

88 SAcriſtia, locus ille in Eccleſia nuncupatur, vbi vniuerſa vtenſilia, & tota ſupellex ſacra reponitur, & conſeruatur: in lege veteri appellabatur Gazophilatium. De retinendis in ea, plenè ſtatutum fuit *in eadem Synodo anni 1617*. Nihilominùs, quia multa deficere inuenimus; ideò omnia denuò præcipere voluimus, vt ſi deindè prouideri non curabitur, poſſimus ad exequutionem pœnarum deuenire.

89 Hæc reſpectiuè in qualibet Sacriſtia habeantur, in qualitate tamen, & numero maiori, vel minori, iuxtà vires, & facultates Eccleſiæ, & numerum Sacerdotum; adſit armarium, ſiuè abacus ex lignis nuceis benè elaboratis, cum capſis ductilibus ad longitudinem caſularum, ſeù planetarum, ita vt caſulæ diſtinctæ, & non plicatæ ibidem teneantur; In parte ſuperiori illius ſint alij loculi pro conſeruandis Calicibus, Miſſalibus, & cœteris Sacris vaſis. In parte inferiori ſeruentur alia paramenta neceſſaria ad celebrationem, & Diuina Officia, & etiam pallia Altaris in telaribus ligneis diſtenta.

90 Supellex Eccleſiaſtica hæc in ſpecie erit; caſulæ, ſiuè planetæ ſericeæ omnium quinque colorum, quibus Eccleſia vtitur, & in vnaquaque ſint manipulus, ſtola, amictus, cingulum, alba, ſiuè camiſum ex tela tenui, cum lacinijs, & ornamentis decentibus: In vnoquoque colore ſint plures correſpondentes numero Sacerdotum, & pro ſolemnitatibus habeantur pretioſiores.

91 Tunicellæ item, & Dalmaticæ, quæ hodiè confunduntur, licet antiquitùs Dalmaticæ habuiſſent manicas latiores, ſint ſimiliter ſericeæ omnium colorum, ſicut dictum eſt de caſulis, & hæ quoque habeant ſuos manipulos, ſtolas, amictus, & camiſa.

92 Habeantur pluuialia conſimilia. Item pallia, ſiuè frontulia ornamenta Altarium omnium colorum, cum ſuis fimbrijs, tenijs, ſiuè phrygijs circum, ſingula in telaribus, cũ fibulis ferreis, & vncinulis, vt celeriter Altaribus adaptẽtur.

93 Mappæ, ſiuè tobaleæ Altarium ex tela ſubtiliſſima, & in vnoquoque Altari habeantur propriæ ſaltem ſex, vt mutentur, & earum duæ ſint oblongæ, à lateribus pendentes, & omnes ſint benedictæ ab Epiſcopo, vel ab alijs facultatem habentibus.

94 Corpo-

94 Corporalia plura ex tela tenui albiſſima ſimplicia non elaborata in medio, ſingulis menſibus dealbanda, & amilo linidenda, & cum illis totidem pallæ conſimilis materiæ. Pro illis retinendis adſint burſæ ſericeæ omnium colorum, intra quas, & non extra retineantur corporalia, quando Calix portatur à celebrante ad ſacrificium, iuxtà Rubricas Miſſalis.

95 Calices plures ad proportionem numeri celebrantium ſint argentei integri vel ſaltem cuppæ, & patenæ ſint ex puro argento, & à parte interiori ſint inauratæ, ſemper fulgidæ, non luridæ, neque obnubilatæ, & proindè ſæpiùs abluantur, & hi debent eſſe conſecrati ab Epiſcopo.

96 Purificatoria multa ex eadem tela tenui pro Calicibus purificandis, & ſingulis Hebdomadibus mutentur, & abluantur, cum cœteris linteaminibus, & manutergijs puris iuxta analogiam vocabuli.

97 Vela item ſericea omnium colorum, & tribus ſaltem palmis ſingula ſint oblonga. Puluilli, ſiuè cuſſini ſericei omnium colorum, pro ſuſtentando Miſſali in celebratione.

98 Habeatur pixis pro deferendo viatico ad infirmos, vltra aliam manentem in tabernaculo cum particulis conſecratis, ſit contecta palliolo albo auro phrygiato pretioſo. Præter illas habeatur pixis grandior pro Communione generali.

99 Tabernaculum geſtatorium ſphæricum, pro geſtando Sanctiſſimo proceſſionaliter, & pro adoratione, ſit ex argento, vel ſaltem circulus cum radijs, & lunula, vbi reponitur hoſtia ſint ex argento, cum criſtallis lucidis.

100 Crux proceſſionalis argentea cum ſua decenti haſta, ſine tamen panno, ſeù velo, vt in quibuſdam Eccleſijs abuti reperimus; nam pannus defertur in Cruce à Regularibus in ſignum ſubiectionis. Adſint aliæ Cruces ex cupro deaurato, vt aſportentur ad agonizantes, & defunctos.

101 Turribulum cum acerta, ſeù nauicula, & cochleari ex argento pro thurificatione facienda, & ſi quando cum incenſo admiſcendum ſit aliud gummi odoratum, & thymiamatum genus, ſemper illud mixtum ſit in quantitate minori cum thure.

102 Inſtrumentum habeatur pacis porrigendæ, cum Imagine Chriſti Ieſu.

103 Situla, ſiuè alueolus cum aſperſorio ſit argentea pro aſperſione aquæ benedictæ.

104 Labrum, ſeù peluis ærea pro abluendis purificatorijs, & corporalibus, quæ lauentur à conſtitutis in Sacris, & loturæ proijciantur in piſcinulam.

105 Vmbella, ſeù baldachinum ſericeum, quoad fieri poſſit pretioſum geſtandum ſuper Sanctiſſimo, cum ſuis haſtis benè coloratis.

106 Laternæ plures deauratæ, & continuè elaboratæ, pro aſſociando Sanctiſſimo, & Cruce in proceſſionibus.

107 Labara, ſeù vexilla ſericea Confraternitatum cum pictis Imaginibus tituli cuiuſque Confraternitatis, cum ſuis Crucifixis, & ſacris congruentibus.

108 Tintinnabula parua manualia pulſanda in eleuatione Sacramenti, & in proceſſionibus.

109 Burſulæ

109 Burſulæ pro retinendis hoſtijs, & inſtrumenta pro eiſdem conficiendis, & orbiculandis.

110 Opercula extinctorum pro extinguendis candelis, & intortitijs, vt virgæ cum candelis pro illis accendendis.

111 Vrceoli, ſeù Hamulæ ampullæ nuncupatæ Criſtallinæ pro vino, & aqua in Miſſis miniſtrandis, cum peluicula ſimili, vel ſaltem figulina, quæ ſemper munda, & lucida habeatur.

112 Crepitacula pro pulſandis tenebris in maiori Hebdomada, & pro dandis ſignis ad Officia eodem tempore.

113 Focorium æreum pro retinendis prunis ardentibus reponendis in turribulo.

114 Miſſalia plura nouiſſimæ impreſſionis, & recognitionis iuſſu Vrbani VIII. nam reliqua eatenus tolerantur, vt alibi dictum eſt, quatenus de nouis prouideri opportunum ſit: & interim in omnibus apponantur Miſſæ Sanctorum additorum.

115 Lauacrum adſit muro affixum lapideum, pro abluendis manibus, & propè pendeant mantilia munda pro illis abſtergendis, & ſint diſtincta pro vſu celebrantium, ab alijs miniſtrorum minorum.

116 In parte remotiori ſit ſedes confeſſionalis, cum genuflexorio pro Sacerdotibus confiteri volentibus ante celebrationem. Ibique adſit crucifixus, & cartulæ orationum præparationis ante Miſſam, & gratiarum actionis poſt illam.

117 In eadem Sacriſtia conſtituatur Archiuium, ſiuè Arca firma cum duabus clauibus, quarum vnam Parochus, & alteram Procurator Eccleſiæ retinebunt, & in ea ſeruentur ſcripturæ omnes ſpectantes ad eamdem Eccleſiam.

118 In muris eiuſdem Sacriſtiæ appendantur ſequentes tabellæ. In prima ſint deſcripta onera Miſſarum, & anniuerſariorum illius Eccleſiæ, cum aſſignatione dierum, & altarium, & pro quibus celebrantur, quæ ſtipendia recipiantur & à quibus ſunt celebranda. In ſecunda ſit Cathalogus Presbyterorum, Clericorum, & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum, in quibus nemo deſcribetur, qui non ſit à nobis in viſitatione admiſſus, & approbatus ſub pœna falſi, & excōmunicationis. In tertia ſcribentur aſsignationes hebdomadarum ſeruitij Clericorum, & deficientes notentur in libro, vt alibi dictum eſt. In quarta ſint caſus, & cenſuræ nobis reſeruatæ, ibique ſummatim notentur cenſuræ, tàm reſeruatæ, quàm non reſeruatæ Papæ, & vbi in Iure incurritur ſuſpenſio, & interdictum. Adſit etiā tranſumptum Bullæ Cœnæ Domini. In quinta notentur cenſuræ appoſitæ in hac Synodo ipſo facto, & in alijs præcedentibus, vt omnibus innoteſcant. In ſexta notentur tempora, & dies, quando ſint publicanda decreta Synodalia ordinata, & tunc legantur populo lingua vulgari; In ſeptima ſit Calendarium feſtorum iuxta *Conſtitutionem Vrbani VIII*: & demùm affigantur aliæ copiæ Edictorum, & ſcripturarum de ordinè noſtræ Curiæ affigendorum.

De Sacriſta.

§. XX.

119 SAcriſta, ſiuè æditus, qui cuſtos proponitur in rebus Sacriſtiæ gubernandis, debet eſſe fidelis, legalis, diligens, & expertæ pietatis, quoad fieri poteſt, ſi non ſit Sacerdos, ſaltem erit in Sacris, & vbi deſit, tolerabitur Clericus prouectæ ætatis, & ſupradictis conditionibus præditus: Nullo modo admittatur laicus, ſub graui pœna arbitratia luenda ab eligentibus, & ad mittentibus, dedecet enim Sacra à laicis tractari; eidem conſtituatur merces pro labore, iuxta præteritas Synodos, maior, vel minor attentâ qualitate locorum, & laboris. Hic in principio ſui miniſterij per inuentarium ſcriptum tetinendum in Archiuio Eccleſiæ, recipiat conſignata omnia mobilia in Sacriſtia, & Eccleſia exiſtentia; iuretq; in manibus Parochi de illa benè, & fideliter miniſtrando, & reddenda ratione. Officiũ ipſius erit ſimile Officio diligentis æconomi, & patrisfamilias, nempè vt in illa Eccleſia, & Sacriſtia ſingula optimè miniſtrentur, & opportunis temporibus præuideat, & prouideat, ac diſponat ſuauiter, modeſtè, & ſine altercationibus, & rigidis increpationibus, vel conuitijs, vt Clerici ſuo officio fungantur: & obindè ſuper illos eidem auctoritatem præbemus mandata, & pœnas imponendi, & requirendi Vicarios foraneos, vbi ſint, contra illos inquirendi. Obſeruet diligenter num Clerici in ſuis hebdomadibus deſeruiant cum cotta in Miſſis, & proceſſionibus. Si Altaria ſint munda, & prouiſa de neceſſarijs quando in eis celebrandum erit. Recognoſcat vinum præparatum ad Miſſas, & præguſtet, ne ſit corruptũ, vel acetoſum, & quoad fieri poteſt; curet illud eſſe album, ne purificatoria commaculet. In Altaribus, & tabernaculo mutet paramenta coloris Officio congruentis. Paramenta ipſa Eccleſiæ, & Sacriſtiæ ſæpè reuideat, puluerem excutiat, & caueat ne à muribus, & tineis corrodantur. Quando Sacerdos eſt egreſſus ad Miſſam, det ſignum cum campana, & in eleuatione Sacramenti in Miſſa conuentuali pulſet campanam maiorem quibuſdam ictibus. Dùm Officia diuina celebrantur nullum laicum ſine cauſa in Sacriſtiam. & Chorum ingredi permittat; curet celebrantes gradatim ad Miſſas egredi, ita vt non ante eleuationem calicis vnius Miſſæ egrediatur altera, vt in præcedenti Synodo fuit decretum. Campanas debitis temporibus tàm Matutinis quàm Veſpertinis, & aliarum Horarum, & Miſſarum, cum debitis interuallis, & ſtatutis temporibus, iuxtà tabulas impreſſas *in appendice præteritæ Synodi à fol.* 31. pulſandas curet, & prætereà de ſerò pro ſalutatione Angelica, & in prima vigilia noctis pro ſuffragijs Defunctorum. Ad ſua miniſteria aſciſcat ſibi alios Clericos hebdomadarios, maximè in feſtis; nam tunc omnes conuenire tenentur, illoſq; deſeruire curet in omnibus notatis in præcedenti Synodo. Lampades curet mundandas, & oleo prouidendas, vt diù, no-

ctuq;

ſtuq;benè colluceat. Vaſa ſacra benè mũda, & ſimul linteamina retineat. Deniq; vt multa paucis complectamur, ipſius curæ, & officij erunt cuncta in Eccleſia prouidenda, & gubernanda; Omnia item Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis perſonis, & officijs noxia, & impediẽtia remoueat, & ſi ſolus ipſe id efficere nequeat maioribus refe_ rat, vel nobis, vt exequi curemus *iux. Decr. Sac. Congr. anni 1602. die 10. Iunij.*

De adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum.

Titulus XXV.

ET quoniam vniuerſos Eccleſiarum regimini, & adminiſtrationi deſtinatos, boni diſpenſatoris, non diſſipatoris officio fungi oportet, quaſi de rebus ſibi commiſſis rationem reddituros, nam in gubernio non minor culpa omiſſioni, quàm commiſſionis iudicanda erit. Propterea ad hæc officia peragenda perſonæ prudentes, timoratæ, & legales eligendæ ſunt; Nã bona ipſa Eccleſiaſtica, iura, res, & actiones, cum plerumque patrocinio careant, miniſtrorum incurri dilapidantur, & pereunt, & interdum deperditis etiam ſcripturis actiones, & Iura confuſa, & interturbata deueniunt.

1 Ad hoc igitur malum coërcendum præſenti Conſtitutione diſtrictè præcipimus, & inuiolabiliter ſeruandam mandamus, quatenus infra ſpatium ſex menſium, ſeù quantòcitiùs poſt publicationem huius Synodi, omnia Capitula Eccleſiarum, & Cleri noſtræ Diœceſis, nec non obtinentes quæcumque beneficia. Adminiſtratores, ſiuè œconomi, & Procuratores Hoſpitalium, Monaſteriorum, Monialium, Confraternitatum, Montium piorum, & locorum ſimilium, quouis titulo, & nomine nuncupatorum. Et Capellarum tàm ſimplicium beneficiorum, quàm de Iurepatronatus, & etiam Procuratores quartæ, ſeù ſabricæ cuiuſuis Eccleſiæ. Singuli reſpectiuè de quibuſcumque bonis ſtabilibus, mobilibus, Iuribus, actionibus, cenſibus annuis, redditibus, Canonibus, præſtantijs, nominibus debitorum, nec non ſcripturarum, & aliarum quarumcumque rerum ad ſuas Eccceleſias pertinentium, & adminiſtrationem ſpectantium; Omnium, & ſingulorum præmiſſorum ſtatu, ratione, & ſitu indagatis: Autenticum, & validum Inuentariũ, ſiuè regeſtum per publicum Notarium omnibus adhibitis ſolemnitatibus requiſitis conficiendum curent: Aduertendo præcipuè teſtes examinare ſuper ſtabilibus benè ſcientes, & cognoſcentes cum annotatione confinium, limitum, & terminorum; & in cenſuarijs, & in reddentibus quoad fieri poteſt examinentur ipſi principales, quorum confeſſio nũquam impugnari poterit: & denique alia ſeruentur ſtatuta *in Synodo anni 1617. cap. 15. verſ. In conficiendis, &c.*

2 Quo inuentario confecto, duo extrahantur exemplaria, vnũ in Archiuio illius Eccleſiæ, ſiuè loci, &c. conſeruandum, alterum verò ad nos tranſmittatur in

noſtro Epiſcopali Archiuio retinendum pro indemnitate Eccleſiarum, & locorũ piorum. Contrafacientes autem ex nunc declaramus incurſos in pœnam ducatorum quinquaginta de proprio, ob negligentiam, luendam, & locis pijs applicandam.

3 Inuentaria ipſa ſint auctenticè cõfecta, ſingulis tranſactis decennijs renouentur: infra decennium autem quilibet Clerus, Adminiſtrator, & alij prænominati reſpectiuè, ſingulis annis eligant duas perſonas expertas de menſe Septembri, quæ ſint vna de gremio ipſius Cleri, & alia laica, quæ eadem bona, & iura recognoſcant, an ſint occupata in parte, vel in toto, num ſint deteriorata, vel aliquæ ſeruitutes, & præiudicia ſint illata, & ad nos referant.

4 Inſuper pro optimo regimine earumdem Eccleſiarum, & inſtructione Miniſtrorum pro tempore exiſtentium, quæ ſequuntur, ad litteram ſeruanda præcipimus.

5 Habeantur tres libri paginæ albæ grandes, in fronte quorum deſcribentur tituli cum approbatione, & computo foliorum facienda à noſtra Curia, nè in illis aliquid mutari poſſit. In primo Codice in primis folijs breuiter adnotentur mobilia omnia, & vtenſilia illius Eccleſiæ, Confraternitatis, Hoſpitalis, &c. ſingula diſtinguendo, quæ ſint de corpore illius, vel Capellarum, &c. Deindè relictis folijs quibuſdam, notentur omnes ſcripturæ tàm publicæ, quàm priuatæ ipſius Eccleſiæ, ſiuè loci Eccleſiaſtici, notando ſubſtantiam illarum, & à quibus Notarijs ſint ſtipulatæ, de eiſdem prætereà ſcripturis publicis mandamus deſumi exemplum auctenticum infra decem dies poſt ſtipulationem, & in Archiuium conſeruari: adnotentur etiam Priuilegia, exemptiones, prærogatiuæ, & ſtatuta particularia illius Eccleſiæ, nec non Indulgentiæ, aggregationes, & ſimilia, licet habeantur originalia. Rurſus alijs folijs interiectis notentur ſummariè ex Inuentario auctentico territoria, campeſtria, ſyluæ, nemora, vineta, horti, & prædia quæcunque cum ſuis oneribus ſi qua adſunt. Item cenſus, redditus annui, Canones tàm emphyteutici, quàm alio quouis titulo ſuper bonis à quocunque poſſeſſis, nominando perſonas poſſidentes; & demùm omnia Iura, credita, ſiuè nomina debitorum, introitus, prouentus, & reliqua ad eamdem Eccleſiam, & locum pium pertinentia. Item in alijs folijs ſubſequentibus deſcribantur omnia onera Miſſarum, Anniuerſariorum, & ſimilia perſoluenda ex debito, cum diſtinctione locorum, & temporum, & pro quibus ſint applicanda; atque ſi adeſt aſſenſus Epiſcopalis pro recipiendis oneribus perpetuis ab anno 1625. infrà: & qua bona poſſideantur pro ſtipendio adimplentium talium onerum. Inſuper ſi ille locus Eccleſiaſticus habeat Confraternitatem, deſcribantur Confratres, & electio Officialium, & Procuratorum ſingulis annis facienda per vota ſecreta, vt infrà dicentur. Vltimò regiſtrentur regulæ illius Confraternitatis, & Statuta ſeruanda, quæ tamen ſint approbata à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris.

6 In ſecundo conſimili Codice: Primò, deſcribantur affictus, & locationes prædiorum, domorum, & aliorum ſtabilium; traditiones animalium, &c. adnotan-

notando contractûs inſuper initos, cum venditionibus eorundem animalium inutilium, adnotando pretia recepta, in quorum venditione ſeruandæ erunt diligentiæ infrà ponendæ. Deindè interiectis folijs, regiſtrabuntur quinterni annuæ adminiſtrationis cuiuſcunque Procuratoris Eccleſiæ, vel alterius ſupradicti loci pij, deſcribendo partitas primo introituum exactorum de quibuſcunque cenſibus, redditibus, vectigalibus, pecunijs, eleemoſynis, obuentionibus, & alijs quibuſuis exactionis factæ per annuos Procuratores, taxando pretia rerum, & deindè deſcribantur partitæ exitus, ſiuè expenſi, in quo cautela ſeruanda erit, verificare omnes partitas expenſi per ſcripturas de recepto, præcedente mandato, & ordine adminiſtratorum, cum alijs requiſitis ad iuſtificandas expenſas; & in fine calculum apponere, num Procurator illius anni, ſit debitor, aut creditor; vt in viſitatione Diœceſana per noſtros rationalis ibidem reuiſio fieri poſſit, & inibi fiant ſignificatoriæ, aut liberantiæ, non autem in quinternis ipſorum Procuratorum, quia de facili poſſunt occupari, & falſificari: & in hoc libro ſummæ introitus, & exitus notentur breuiter, & completâ adminiſtratione computa Procuratorum cum omnibus ſcripturis concernentibus, in faſciculis redigantur, & in Archiuium Eccleſiæ reponantur.

7 In tertio libro deſcribentur conſultationes, congregationes, & concluſiones ſuper negotijs peragendis, & expenſis faciendis pro recta adminiſtratione.

8 Adminiſtratores, & Procuratores quotannis mutentur non ſolùm in Eccleſijs, ſed magis in Confraternitatibus, Hoſpitalibus, & locis pijs; eligantur de gremio, & numero eorumdem Confratrum per vota ſecreta, vt decreuit *Sacr. Congreg. Conc.* 18. *Iulij* 1594. & ſi deſint Confratres, eligantur perſonæ idoneæ, & bonæ vitæ; qui in ſui officij ingreſſu iurent in manibus Parochorum de benè miniſtrando, & reddendâ ratione.

9 Procuratores ipſi quaſcunque ſummas exactas, ſiuè expenſas ſtatim in quinternis deſcribant, neque adnotationem vltra biduum differant. Sciantque, quòd ſi partitas ipſas fraudulenter, & præter veritatem deſcripſerint, vel iam deſcriptas malitioſè immutauerint, deleuerint, vel alio modo fraudem in his commiſerint, præter pœnam falſi, & reſtitutionis, etiam erunt excommunicandi.

10 In viſionibus computorum pro verificatione expenſi producantur documenta probantia, veluti apocæ de recepto confectæ à recipientibus ſummas aliquas pecuniarum, vel aliarum rerum; & inſimul afferantur ordines, ſiuè mandata, & liberantiæ adminiſtratorum ad ſciendum, num Procuratores legitimè ſoluerint. Quòd ſi fortè ad hoc requiratur conſenſus communitatis loci, veluti in ſubſidijs dotalibus, &c. fiat mediante colloquio publico. Itemque ſi expenſæ fiant in aliqua fabrica Eccleſiæ, vel in vtenſilibus, producantur de veritate atteſtationes neceſſariæ: neque ſufficiet probatio ex oculari inſpectione, niſi conſtet realiter de ſumma impenſa: & ſine talibus documentis, rationales in viſione computorum, partitas non admittant, ſub pœna nullitatis, & reficiendi de proprio.

11 Quan-

11 Quando contingat vendere victualia, fructus arborum, animalia, oleum, vinum, & reliqua venalia in beneficium Eccleſiæ, Confraternitatis, &c. hoc non fiat ſine expreſſo mandato adminiſtratorum, & quando opus erit, accedat etiam aſſenſus noſtræ Curiæ; & pro iuſtificanda venditione, & valore rei venditæ, producatur fides iurata emptorũ, & extimatorum illius, & de pretio recepto, alioquin non admittantur partitæ, & de illis debiter ſignificetur Procurator.

12 Huiuſmodi apocæ, & atteſtationes fiant verè, & realiter, ſine aliqua fraude, & colluſione, ſub pœna excommunicationis à facientibus, procurantibus, & vtentibus incurrenda, & ſint ſcriptæ, & ſubſcriptæ manibus recipientium, & atteſtantium, qui ſi ſcribere neſciant, ſine teſtibus notatæ.

13 Procuratores ſint ſpeciali mandato adminiſtrationum, nequibunt expendere ſummam excedentem ducatum vnum, & in maioribus expenſis accedat conſenſus aliorum; veluti ſi ſit Procurator Eccleſiæ, requiritur conſenſus totius Cleri, vel maioris partis ipſius. Si ſit Confraternitatis, conſentiant ſaltem duæ partes Confratrum; & ſi pro loco pio exiſtente ſub proteſtatione vniuerſitatis, fiat per illos de regimine, & quatenus opus erit publico colloquio mediante: & hoc fiet in ſummis mediocribus, quas declaramus intelligi circa valorem quinque ducatorum; nam vltra dicentur ſummæ notabiles, quæ non fient, præcipuè in ſubſidijs dotalibus, & eleemoſynis ſine noſtro aſſenſu; & concluſiones ſuper his faciendæ deſcribantur in tertio libro ſuprà citato, & de eiſdem fiat mentio in quinternis Procuratorum.

14 Abſque talibus conditionibus in ſcriptis redigendis, declaramus nullas, & irritas venditiones, & traditiones animalium, quamuis inutilium; nec non fructus nemorum, & foreſtarum, victualium, & introituum ſimilium.

15 Pecuniæ perueniendæ ex venditionibus prædictis, & ex introituum exactionibus, ſuperantes neceſſarias expenſas; implicentur in emptiones bonorum ſtabilium, ſiuè cenſuum, animalium, &c. præuiâ concluſione, vt ſuprà, & aſſenſu noſtræ Curiæ in ſumma notabili, qui gratis præſtabitur. Et hi actus in eodem libro deſcribentur.

16 Locationes prædiorum, & venditiones fructuum ſummæ notabilibus, fiant ſub haſta, candela accenſa, vt præuio edicto, & liberentur licitatori plus offerenti, alioquin nullas eſſe declaramus, & contrafacientes ad reficiendum de proprio intereſſe quamcumque condemnamus.

17 Ad ſolum triennium, nec vltra fiant, niſi fructus ſint talis ſpeciei, vt in triennio vnus tantum fructus recipiatur; nam eo caſu tempus eouſque poterit dilatari, quouſque conductor duos ſaltem fructus percipere poſſit, alioquin caueant à maiori termino, etiam ſimulato contractu, & promiſſione, quod finito triennio, intelligatur renouatus affectus ad aliud triennium; ne contrahentes taliter incidant in cenſuras, & pœnas *Extrauagant. Ambitioſæ, de reb. Eccleſ. non alienan.*

18 Huiuſmodi conceſſiones non fiant verbotenus, ſed per ſcripturas; nec ſine noſtra licentia concedantur perſonis coniunctis in primo, & ſecundo gradu

cum

cum ipſis adminiſtratoribus, & Procuratoribus: nec adminiſtratores, & Procuratores ipſimet ſibi recipiant, etiam animo alijs ſubaffectandi: niſi in defectu aliorum, quando factis diligentijs, nullus alius licitator reperiatur quamuis fraude, & colluſione ceſſante, aliter conceſſiones, receptiones, & contractus initos declaramus nullos; & hoc idem mandamus ſeruari in venditione fructuum quartæ Eccleſiarum, qui non vendantur illis de Clero, niſi deficientibus alijs emptoribus.

19 Multi ſunt, qui proprium lucrum ex aliena iactura affectantes, vt res, & fructus Eccleſiaſticos vilius emant, vel conducant, alios concurrente minis deterrent, aut blandis verbis inducunt mutare conſilium, & à talibus abſtinere, vt bona ipſi ſibi dentur pro ſumma oblata licet minima, cùm nullus alius offerens compareat, et ex hoc detrimentum Eccleſiæ ſequitur. Quod malum coërcere volentes, declaramus huiuſmodi malignos homines in excommunicationem nobis reſeruatam eo ipſo incurrere; quòd vt omnibus innoteſcat hoc decretum à Parochis in prima Dominica Quadrageſimæ publicetur.

20 Publicetur quoque *Decretum Concil Trident. in ſeſſ.22, cap.11. de Reform.* vbi declarantur excommunicati omnes, cuiuſque dignitatis, tàm laici, quàm Eccleſiaſtici, qui piorum locorum Iuriſdictiones, bona, cenſus, iura, fructus, obuentiones, et emolumenta quæcunque pijs vſibus deſtinata, quamuis quæſito colore, vbi vſurpant, et in proprios vſus conuertunt: aut impediunt alios vi, vel timore incuſſo, ad quos ſpectant, illa recipere, aut alio prætextu ſibi vendicant; cuius excommunicationis abſolutio reſeruatur Papæ, etiam poſt debitam ſatisfactionem. Et Patroni, siuè adminiſtratores locorum piorum talia conſentientes, si Ecclesiaſtici sint, eiſdem pœnis non modò ſubijciuntur, ſed etiam ab exercitio ſuorum ordinum ſuſpenduntur, et beneficijs priuantur. Laici verò vſurpantes, præter excommunicationem, Iurepatronatus priuantur, et hoc Decretum publicetur fer.4. Cinerum.

21 Prohibemus adminiſtratoribus, Procuratoribus prædictis vſum pecuniarum, victualium, & quorumcumq; fructuum, & obuentionum earumdem Confraternitatum, & locorum piorum, etiam ad breuè tempus; veluti expendere pecunias dietim exactas pro ſuis proprijs occurrentibus neceſſitatibus, etiam animo illa integrè ſoluendi, & reſtituendi ſuo tempore, & quando rationem ſunt reddituri; neque de illis negotiari permittimus, aut mutuò dari, quantùuis ſit pro beneficio publico, & in vtilitatem communitatum locorum; ſed exactiones ipſas, res, & bona fructus, & victualia ſemper prompta, & parata habeant ad opus illius loci, & Eccleſiæ ad quam pertinent, niſi contingat magis expedire vendi res venales, & tunc pretium receptum ſeruetur promptum, vt implicari poſſint ad vſus deſtinatos; & contrafacientes excommunicentur.

22 Quod ſuprà decretum eſt de eligendis ſingulis annis duobus expertis ad recognoſcendum, num bona Eccleſiaſtica, & beneficiorum ſint deteriorata, occupata, arbores inciſæ, ſeruitutes immiſſæ, termini amoti, & alia damna data

ta ob indemnitatem Eccleſiaſticam. Hoc idipſum præcipimus fieri ab adminiſtratoribus Confraternitatum, & piorum locorum tempore ſuæ adminiſtrationis, aliàs de negligentia punientur, & ſi in tali viſione damnum aliquod; aut diminutio inueniatur ad nos referatur, vt opportunè prouidere poſsimus.

23 Adminiſtratores, & Procuratores ipſi eligantur, quoad fieri poteſt litterati, qui ſaltem legere, & ſcribere ſciant, & ſi non omnes vnus inter illos ad minus. Quapropter ſtatuimus inter adminiſtratores ſemper eligi vnum Sacerdotem, aut Clericum ſaltem idoneum, aliàs nulla erit electio.

24 Procurationes Cleri, tàm de communi maſſa, quàm de quarta Eccleſiæ, non exerceantur à laicis ſine noſtro ſpeciali aſſenſu, ſed fiant à Presbyteris ipſis, & in defectu à Clericis idoneis, & opulentis. Et ſicubi Eccleſiæ ſint patronatæ vniuerſitatis, & conſuetum ſit eligi laicos, hoc tamen fiat cum interuentu Parochi, cui Procurator ſit omninò ſubordinatus.

25 Mobilia, & vtenſilia conſignata Procuratori, per modum, & ordinem, quo ſunt deſcripta in Inuentario, reconſignentur ſucceſſori, cum declaratione, quòd à ſe recepta ſint eadem numero, conditione, & qualitate, quibus in Inuentario ſunt deſcripta; alioquin negligentes adhoc tenebuntur ad refectionem cuiuſuis deperditi, aut deteriorati.

26 Bona ipſa mobilia, vota, oblationes, veſtes, mappæ, & ſimilia, non vendantur, nec alienentur sine aſſenſu noſtræ Curiæ, quamuis illi Eccleſiæ, & loco pio nullius ſint vſui, ſub pœna excommunicationis.

27 Adminiſtratores ſingulis annis mutandi, & eligendi, et Procuratores, iuxtà decreta præteritarum Synodorum, non ſint aliquo modo debitores earumdem Eccleſiarum, et locorum, neq; coniuncti in primo, et ſecundo gradu cum prædeceſſoribus, nec computus: vt ſine aliquo affectu, et complacentia, eorum computa, et adminiſtrationes ritè ab illis recognoſcantur, ſine detrimento Eccleſiæ. Neque ipſimet litem habeant cum eodem loco, et Eccleſia, aliàs electio nulla ſit.

28 In vnaquaque Eccleſia, et Clero noſtræ Diœceſis præcipimus ſingulis annis eligi Procuratorem Sacerdotem de gremio ipsius Cleri per circulum, à quo onere nullus excipiatur præter Parochum, et ſeptuagenarios. Procurator electus teneatur exigere omnes prouentus, fructus, et introitus illius Eccleſiæ; et ſuis temporibus illos viritim diuidere, prout ſpectat, detractis priùs neceſſarijs expenſis pro ſolutione onerum Cleri. Et vbi non eſt maſſa communis, ſed ſunt conſtitutæ Præbendæ; Procurator exigat alias obuentiones, diſtributiones, et prouentus non compræhenſos in Præbendis; et si Clerus defecerit ab hac electione, quolibet anno pœna viginti ducatorum mulctabitur.

29 Ad eumdem Procuratorem ſpectabit facere locationes domorum, affictus prædiorum, venditiones fructuum; & aliarum rerũ venalium; ſemper autem talia efficiat cum conſenſu, et notitia aliorum de Clero, et non aliter.

30 Idem erit legitima perſona ad comparendum in Iudicio ad lites actiuas, et paſsiuas ſuæ Eccleſiæ, accuſationes deferre pro damnis illatis, et alia faciendum

dum nomine Eccleſiæ, quæ de iure, & conſuetudine ad Procuratorem ſpectare conſueuerunt.

31 In fine anni rationem reddet de exactis, & tunc eligantur rationales à Clero, non ſuſpecti, familiares, domeſtici, conſanguinei, nec odioſi, qui celeriter ſine affectu aliquo amoris, vel odij iurent iudicare, prout iuris erit, & conſcientia dictabit, & ſic computa videant, calculent, diſcutiant, & ſignificent, ac ſignificata ſolui curent; & ad hoc ſint pręſentes omnes, vel maior pars de Clero: & in caſu controuerſiæ, ad noſtram Curiam recurratur.

32 Si quis immunitatem ab hoc onere, quia valetudinarius, aut alia de cauſa prætendat, ad nos cauſam referat, vt prouidere poſſimus.

33 Bona, & ſtabilia, quæ locari, conduci, & affictari non reperientur, inter ipſos de Clero diuidantur, vt quiſque portionem ſuam excolendam curet, ne prædia pereant, & ſylueſcant.

34 Introitus, cenſus, & fructus ſpecialiter aſſignati pro quarta Eccleſiæ, & vbi non ſint aſsignati, ſed detrahantur à maſſa communi pro quarta parte; exigantur à proprio Procuratore quartæ, ſimiliter quotannis eligendo, & in nullum alium vſum conuertantur, & expendantur, niſi in neceſſarijs eiuſdem Eccleſiæ, puta pro reparatione fabricæ paramentis Sacriſtiæ. ornamentis altarium de corpore Eccleſiæ, non autem patronatorũ, ceris, oleo, & ſimilibus. Nullo modo expendantur in ſolutionibus ſpectantibus ad Clerum, nempè ſpolij, ſeminarij; decimarum Papalium ſubuentionis, procuratione viſitationis, Cathedratici, ſubſidij charitatiui, expenſis Concionatorum, Commiſſariorum, & alterius cuiuſuis generis expenſarum, niſi pro portione legitima fortaſsè ad Eccleſiam pro quarta tangente. Et ſi fortè in viſionibus computorum, rationales aliquid de prædictis expenſis, contra formam huius Decreti factum, depræhenderit, illud non admittant pro legitimè expenſo, ſed Procuratores ad omne debitores ſignificent, & condemnent, ſub pœna reficiendi duplum de proprio. Idipſum aduertant in viſitatione Rationales noſtri in reuiſionibus computorum, & ſi quas ſummas ita malè expenſas, & admiſſas à rationalibus inuenerint ad illas, condemnent tàm Procuratores, quàm rationales, vltra pœnam dupli incurſam, & applicandam Eccleſiæ læſæ.

35 Abſtineant Adminiſtratores, & Procuratores à conuiuijs, prandijs, collationibus ſiuè collectis, refectionibus, paſtillis, dulciarijs, & ſimilibus faciendis ſumptibus Eccleſiæ, vel pij loci; tàm inter ſe, quàm occaſione feſti illius Eccleſiæ, quâcumque antiquâ conſuetudine non obſtante, & quamuis ſolitum ſit prædicta largiri Clero accurrenti, pro labore officiorum, & ſolemnitatum feſti illius. Nam eo caſu malumus illis ſolui eleemoſynam in pecunia per nos taxandam, & ſi contra fiet omne expenſum reſtituatur ab ipſis adminiſtratoribus.

36 Ab eiſdem Procuratoribus non diſtribuantur, vt ſuprà dictum eſt, eleemoſynę vltra ſummam carolenorum quinque, ſine noſtro aſſenſu: & eleemoſyna talis non detur ſine ſcientia, & voluntate Adminiſtratorum, & Capellanorum eorumdem locorum Eccleſiaſticorum, & tribuatur perſonis verè pauperibus, &

 neceſsi-

neceſſitatem patientibus, & de receptione fidem habeant in reddenda ratione ſuæ adminiſtrationis; aliàs expenſæ non admittantur.

37 Quoniam in multis Capellis, Confraternitatibus, & locis pijs annexum eſt onus tribuendi ſubſidia dotalia: in his ſequentia præcipimus obſeruanda. Primò, in omnibus adimpleatur ad litteram voluntas teſtatoris; tàm ſi talis diſpoſitio, & diſtributio ſit ſub gubernio, & adminiſtratione hominum alicuius familiæ particularis nominatæ, quàm ſi ſub protectione, & diſpoſitione vniuerſitatis loci. Secundò, ſi familiæ puellarum, quibus diſtribuenda erunt ſubſidia, ſint determinatæ, ſeruetur quoque diſpoſitio cum omnibus clauſulis appoſitis, & pro his neceſſariò erit habenda copia authentica illius diſpoſitionis. Tertiò, ſi neceſſe fuerit, petatur aſſenſus noſtræ Curiæ, præcipuè in ſumma notabili, vt ſuprà dictum eſt. Quartò, ſi temporibus debitis facta fuerit electio puellæ, & cum ſolemnitatibus, & aſſignatio ſubſidij fiat ſub promiſſione ſoluendi, non autem in pecunia numerata, & antequam pecunia promiſſa perſoluatur, contingat fieri aliam electionem alterius puellæ: eo caſu pecunia primo perueniendæ ſoluatur cui priùs fuit promiſſa; nam prior in tempore, potior eſſe debet in iure: & hæc ratio anterioritatis ſemper habeatur in graduatione promiſſionum: alioquin cõtrafacientes condemnabuntur ad reficiendum de proprio, vltra pœnam excommunicationis incurrendam. Ideò in libro ſuprà deſcripto notentur electiones puellarum, & ſolutiones ſubſidiorum. Quintò, ſubſidia ſoluantur in pecunia numerata, neque aſſignentur nomina debitorum. Sextò, in tradendis huiuſmodi ſubſidijs, apponantur ſequentes promiſsiones, & cautelæ. In receptione pecuniæ ſubſidij interueniat cum puella electa, maritus eius, qui inſolidam, mediante publico inſtrumento confiteantur receptionem, & maritus puellæ promittat in caſu diſſoluti matrimonij per mortem vxoris filijs non relictis, pecuniam receptam reſtituere eidem pio loco, ſtatim ſecuto morte, & pro cautela præſtet eodem tempore idoneam fideiusſionem capiendam riſico, & periculo ipſorum adminiſtratorum: de qua promiſsione recipiatur copia, & etiam adnotetur in libro.

38 Huiuſmodi promiſsio de reſtituendo ſeruetur, etiamſi à teſtatore ſint aſſignatæ puellæ ex familia particulari, & ſit expreſſa quantitas ſoluenda, & quamuis in teſtamento non ſit appoſita conditio de reſtituendo, vt ſuprà per mortem mulieris, non ſuperſtitibus filijs; quia volumus haberi pro appoſita: niſi expreſsè teſtator diſponat ſuccedere in tali ſubſidio hæredes, etiam non filij de corpore puellæ, & ſi tales cautiones, cum fideiuſſionibus non erunt adhibitæ, ex nunc condemnantur adminiſtratores ad reſtituendum de proprio eidem pio loco, quidquid fuerit deperditum.

39 Porrò, quia plerumque euenire ſolet, huiuſmodi ſubſidia ab adminiſtratoribus tradi non per ſortes, ſed puellis ſibi benè viſis, & ſecundùm priuatum affectum, imò quod deteriùs eſt illis, quæ in ſuo famulatu fuerunt, & quoniam non fuit ab eis ſolutum ſalarium ſeruitij, talia ſubſidia loco mercedis debitæ pro ſeruitijs tribuunt. Ad quod euitandum, præcipimus electionem fieri per ſortes,

ſine

ſine fraude aliqua, & quouis affectu remoto, neque in compenſatione cuiuſcis debiti particularis, ſub pœna excommunicationis eo ipſo incurrenda.

40 Sepè etiam contingit adminiſtratores ipſos participare de ſumma promiſſa, etiam de conſenſu ipſius puellæ electæ, pro facilitanda ſolutione ſubſidij, & quamuis fiant receptiones de tota ſumma promiſſa, tamen cadit aliqua portio in beneficium adminiſtratorum, ſeù Procuratorum ſoluentium; Quapropter ſub eadem pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: præcipimus pecuniam promiſſam integrè, realiter, & cum effectu perſolui, abſque diminutione, & nullâ parte, quamuis minima, retenta, ſub quouis prætextu, & apocæ de recepto non fiant, niſi pro ſumma verè ſoluta.

41 Tranſacto anno adminiſtrationis, & procurationis cuiuſque Eccleſiæ, Capellæ, & loci pij, Procurator, & adminiſtrator teneantur reddere computa ſuæ adminiſtrationis, penes rationales eligendos à quibus ſpectat, qui non ſint ſuſpecti, vt ſuprà dictum eſt: & hi omni mora poſtpoſita cogant illos ſibi præſentare libros, ſiuè quinternos accepti, & expenſi; & tunc conuocatis intereſſe prætendentibus, veluti ſi ſit Procurator Cleri, vel quartæ: conuocentur omnes de Clero, ſin autem ſit de Confraternitate, interueniat ſaltem maior pars Sodalium, & ſic de alijs, &c. & ipſis audientibus legantur partitæ introitus, nam integræ ſint, aut aliquod non appoſitum. Deindè legantur ſummæ impenſæ, quæ verificentur per modum ſuprà poſitum, alioquin, non admittantur, & diſcuſſis dubijs, ac obiectionibus dilutis; præſtetur iuramentum ſuppletorium Procuratori, num omnia, tàm introitus, quàm exitus poſita, ſint vera, prout ponuntur; & tunc ſi quid non obſtet, calculatis acceptis, & expenſis, ſi Procurator appareat debitor, condemnetur, ſin ſecùs abſoluàtur, & talis ſupputatio fiat in libro ſupra poſito, in quo ſit exemplatus quinternus Procuratoris, & ſic liber erit præſentandus tempore viſitationis.

42 Similiter reddent rationem adminiſtratores de benè, vel malè adminiſtratis, quamuis ipſi pecunias, & prouentus non exegerint, nec expenderint; nam ſi ipſi non ſeruauerunt modum in miniſterio iuxtà has noſtras Conſtitutiones, & Decreta præteritarum Synodorum, pecuniam, & alia malè expendenda ordinando, aut per negligentiam iura Eccleſię non tuendo, ipsi ad euictionem cuiuſcunq; detrimenti paſſi, & patiendi tenebuntur.

43 In viſione computorum, etiam ſi locus ſit ſub gubernio laicorum, vel Communitatum, aut Regularium, ſemper interueniat Parochus, aut alius Sacerdos deputatus, aliàs acta nulla declaramus.

44 Rationales non ſint perſonæ ſuſpectæ veluti conſanguinei, affines, compatres, Procuratorũ, & adminiſtratorum, neque debitores illius loci pij, non litigantes cum eiſdem adminiſtratoribus, vel prædeceſſores in officio, neque alij cenſendi de iure ſuſpecti, ſicut ſuprà dictum eſt.

45 Tranſacto anno adminiſtrationis non confirmentur in officio, nisi de præterita adminiſtratione rationem integrè dederint, & ſoluerint, aut de ſolutione cauerint.

 46 Poſt

46 Poſt finitum Officium, non retardetur viſio computorum vltrà menſem ſine noſtra licentia ex rationabili causâ, ſub pœna excommunicationis.

47 Debitores ſignificati ſolutionem pecuniæ, vel alterius rei debitæ non differant vltrà menſem à die ſignificationis, et condemnationis, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, abſq; alia citatione poſt lapſum termini declaranda, non factâ ſolutione. Quocirca mandamus omnibus Cleris, adminiſtratoribus, et alijs ad quos etc. vt condemnatione ſequuta, et termino elapſo, ac ſolutione non facta, ad nos referant ſub eadem pœna, et alia pecuniaria noſtro arbitrio taxanda.

48 Rationales prædicti computa ipſa videant, calculent, et ſignificent gratis nihil recipiendo pro labore, etiam ſpontè datum, ſub pœna reſtitutionis dupli.

49 Præcipimus omnibus ad quos ſpectat, vt tempore viſitationis Diœceſanæ, et extra viſitationem quandocunque fuerint requiſiti; coram nobis, et noſtra Curia exhibeant libros prædictos, & computa præteritorum annorum ab vltima visitatione, ſeù reuiſione noſtra; & computa ipſa præſententur deſcripta in libro ſupradicto calculata, & ſignificata annis ſingulis. non autem in ſchedis, & quinternis, & nondum ſupputata, & diſcuſſa, ſub pœna ducatorum viginti ſoluenda irremiſſibiliter reſpectiuè ab illis, ad quos ſpectabat computa ipſa videre, siuè rationales eligere, & propterea condemnabuntur ad ſummas debitas Eccleſiæ, vel pijs locis.

50 Non intendimus per Conſtitutionem hanc, in aliquo præiudicare iuribus noſtræ Curiæ in reuidendis eiſdem ſignificatorijs, aut liberantijs factis à rationalibus, etiamsi ſuper ipſis nullũ dubium, ſeù controuersia exiſtat, aut appellatio, & reclamatio ſit interpoſita, cum exactione conſueta ſportularum noſtrorum rationalium; & hoc tàm in Eccleſijs, & locis pijs ſecularibus, quàm in Confraternitatibus, montibus pijs &c. exiſtentibus in Eccleſijs Regularium, si à perſonis laicis miniſtrentur, sicuti in poſſeſſione antiqua exiſtimus, tàm vigore *Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 8. & 9. de reform. ſuper quo cap. 8. ſæpè decreuit Sacr. Congregat. Cardinal. item Congreg. Epiſc. in Oſtien. Octobris 1626. & Congreg. Concil. in Nucerin. 20. Iunij 1622. in Caputaqu. n. 27. Iunij 1609. item in Vercellen. 17. Iulij 1615.* etiam si sint ſub poteſtate Regia, vt *in Neapolitan. 11. Auguſti 1618.*

51 A libris prædictis ſingulis annis à prædeceſſoribus in adminiſtratione, ſuis ſucceſſoribus conſignandis; nullus adeat aliquid demere, delere, immutare, ac peruertere, tàm in ſcriptura, quàm in ſummis, ſupputatione, & abaco, neque folia detrahere, & de nouo exemplare, & deſcribere, ſub pœna excommunicationis incurrenda, tàm ab ipſis principalibus tranſgreſſoribus, quàm à conſulentibus, & mandantibus, & hoc quando immutatio fiat ſupra valorem vnius aurei.

52 Demùm, quia Adminiſtratores, et Procuratores huiuſmodi apud nos aſſiduè conqueruntur, pleroſq; debitores, reddentes, et cenſuarios Eccleſiarum,

Capel-

Capellarum , Confraternitatum , Hoſpitalium , et aliorum piorum locorum eſſe renitentes ad ſoluendum debita , vndè adhibitis diligentijs exigere nequeunt , et hoc non obſtante , ipſi ad non exacta condemnantur . Ideò noſtram opem , et auxilium ſuper his enixè implorant . Et quia tàm iure nobis tributo à *Concil. Trident.* quàm ab alijs *Sac. Canonib.* cùm tractetur de re merè Eccleſiaſtica , ad nos ſpectet eorum , et Eccleſiarum indemnitati opportunè conſulere . Ideò præſenti Conſtitutione generali monemus omnes , et ſingulos debitores , reddentes, cenſuarios , et quocunq; alio titulo , et cauſa obligatos ad ſoluendũ Ecclesijs , Confraternitatibus , & pijs locis quaſcunque quantitates pecuniarũ, victualium , fructuum , & aliarum rerum ; vt debitis temporibus ſoluant, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Ecclesiæ, si debitores sint laici ; si verò Ecclesiaſtici ſuſpenſionis à diuinis . In quam pœnam incurſi declarabuntur à noſtra Curia poſt menſem retardatæ ſolutionis à tempore debito , nam dies interpellat pro homine ; ideò sine alia citatione , & monitione, ſed ad ſolam inſtantiam intereſſe habentium , declarabuntur.

53 Atque, vt de Conſtitutionibus , & Decretis præſentibus omnes ad quos ſpectat notitiam habeant ; præcipimus , ea ipſa poſt publicationem huius Synodi ab omnibus adminiſtratoribus deſcribi, & exemplari in primo libro ſuprà relato ; & annis singulis, dùm adminiſtratores eliguntur, legi , & publicari , atquè in caſibus contingentibus debitè exequtioni demandari ſub pœnis adiectis, quæ vbi non sint impoſitæ , noſtro arbitrio reſeruatæ intelligantur .

De alienatione rerum Eccleſiaſticarum :

Titulus XXVI.

BONA Eccleſijs , Monaſterijs , Hoſpitalibus , Capellis, & locis Deo dicatis, piè à fidelibus donata , legata , & aſſignata, tàm pro ſtipendio miniſtrantium diuina , & celebrantium Sacra ; quàm pro alimonia pauperum , & ſubuentione miſerabilium perſonarum , vel ad alium vſum in ſuffragium animarum deſtinata. Congruit à ſuis Miniſtris , & diſpẽſatoribus pari pietate , & ſolicitudine , potiùs augeri , & meliorari, & conſeruari, quàm diſſipari, diminui, & alienari . Hanc enim alienationem cùm ſemper Sacri Canones fieri prohibuerint ſine magna & euidenti vtilitate Eccleſiæ ; tùm ſignanter expreſsè prohibuit *Paulus II. Extrauag. Ambitioſæ de reb. Eccl. non alien.* ſine tali vtilitate , & accedente Apoſtolico aſſenſu . Et quia hæc materia ſolet eſſe frequens in noſtro Tribunali ; idcircò præter notata à Doctoribus à quibus caſus contingentes reſolui poſſunt. Hæc paucula pro enucleando Iure, & conſuetudine noſtræ Curiæ cum aſſenſibus præſtandis ſuper alienationibus , perſunctoriè ſtatuimus .

1 Per *Extrauagantem præfatam* prohibentur omnes alienationes de rebus Eccleſiaſticis, ſiuè ad Eccleſias ſpectantibus, in quibus transfertur dominium; Item conceſſiones, hypothecationes, locationes, conductiones, ſiuè affictus vltra triennium, infeudationes, dationes in emphytheuſim; niſi in caſibus à Iure permiſſis, ab antiquo concedi ſolitis in vtilitatem Eccleſiæ, & cum aſſenſu ſuperiorum, aliàs vltra nullitatem contractus alienationis factæ, tàm alienantes, quàm res alienatas recipientes excommunicationem incurrant. Et ſi alienantes ipſi ſint conſtituti in dignitate Eccleſiaſtica, alias pœnas, vt *in præfata extrauag.* ſubibunt.

2 Ad quas pœnas, & cenſuras euitandas, atque alienationes legitimè faciendas, *iuxta dictam Extrauag.* vt aſſenſus præſtari poſſit, duo copulatiuè concurrere debent, nempè cauſa iuſta, & vtilitas Eccleſiæ cum ſolemnitatibus requiſitis: cauſæ iuſtæ erunt quatuor, puta neceſſitas, vtilitas, commoditas, & pietas, ſolemnitates ſunt probationes faciendæ de veritate prædictarum cauſarum, ſubhaſtationes, & alia acta neceſſaria, cum aſſenſu ſuperioris.

3 Sub appellatione prohibitorum alienari, non modò comprehenduntur ſtabilia, ſed etiam pretioſa mobilia, nec ſolùm deſuper enumerata, nempè locationes vltra triennium, emphyteuſes, conceſſiones, & alia per quæ dominium transfertur; ſed etiam permutationes, quamuis fiant cum alia Eccleſia, & de re meliori, ſine aſſenſu. Item tranſactiones, & compromiſſa ſuper re ad Eccleſiam incorporata. Impoſitio ſeruitutum, ceſſio iurium, actionum, litium, & cauſarum, alienatio mobilium pretioſorum, quæ nec pignorari quidem poſſunt. Item caſus alij habentur in præteritis Synodis, & apud Doctores.

4 Conceduntur porrò alienationes fructuum, & rerum, quæ ſeruanda ſeruari non poſſunt: veluti victualium, oliuarum, quercuum, caſtanearum, & ſimilium, cuiuſcumque ſint quantitatis, in quibus non requiruntur ſolemnitates, nec aſſenſus.

5 Locatio item vltrà triennium, ſi vnus tantum fructus in toto triennio recipiatur: nam tunc poteſt ampliari tempus donec duo fructus recipiantur.

6 Item alienatio bonorum locorum piorum fundatorum abſque auctoritate Ordinarij, & relictorum Eccleſiæ incapaci, quæ caduca fiunt, neque Eccleſiæ incorporantur.

7 Aduertendum in his magnopere erit, quòd ſi quando in bonis legatis Eccleſiæ, vel pio loco, apponatur clauſula à teſtatore, quòd poſſint bona legata alienari, ſine aſſenſu, & ſolemnitate aliqua, non obindè taliter alienari poſſunt, nam conditio illa eſt contra ius, & ideò non tenet, neque ſuffragatur regula, quod rei ſuæ quiſque ſit moderator, & rector, nam quando per legatum acquiſitum eſt dominium ab Eccleſia, non ſubiacent bona ampliùs diſpoſitioni teſtatoris.

8 Res alias conceſſa, & deindè ab Eccleſia legitimè vindicata, vt dicatur ſolita concedi, ſufficient duæ conceſſiones præcedentes.

9 De re nondum incorporatæ Eccleſiæ, ſi ſit difficilis recuperationis, & multi diſpendij in litibus, poterit fieri tranſactio: ſicut etiam relictum, ſiuè legatum euiden-

euidenter damnoſum, non incorporatum in bonis Eccleſiæ, poteſt repudiari; hæc tamen non fiant inconſulta noſtra Curia.

10 Non excuſat ab incurſu pœnarum apponere clauſulam in alienando, ſaluo aſſenſu impetrando, & non aliter, &c. & caſus cùm contigiſſet *in Curia Archiepiſcopali Neapolitana, & in controuerſia cùm conſulta eſſet Sedes Apoſtolica, de anno* 1599. *die* 17. *Decembris Clemens Papa VIII.* declarauit eum, qui ſub tali clauſula alienauit, incurſum in pœnas, & cenſuras, & eius abſolutionem commiſit Vicario generali eiuſdem Curiæ; vndè per huiuſmodi declarationem abſolutio videtur eſſe Papæ reſeruata, quamuis *in Extrauaganti* nulli reſeruetur.

11 Superiores Regularium nullatenus poſſunt aſſentiri alienationibus bonorum Eccleſiarum ſibi ſubiectarum inconſultâ Sede Apoſtolica *ex Conſtit. Vrbani VIII. de anno* 1624. Neque ijdem Regulares poſſunt recipere pecunias ad cambium, vel mutuo, cum ſolutione lucri ceſſantis, & damni emergentis, *vt prohibuit Sacr. Congregat. Conc.* 21. *Maij* 1626. Neque eiſdem licet vendere ſtabilia pro fabrica, & reparatione Monaſterij, aut pro emptione annui cenſus, nam vetuit *Sacr. Congreg. Epiſc. & Regular.* 12. *Martij* 1619.

12 Non licet alienare cenſum pro ſolutione æris alieni, ſine aſſenſu, quod cedat in vtilitatem Eccleſiæ, *vt declarauit Sacr. Congregat. Epiſc. die* 19. *Aprilis* 1619.

13 Non poſſunt fieri locationes, etiam ad triennium anticipatis ſolutionibus annatarum in præiudicium ſucceſſorum, & ſi fiant, nullas eſſe declaramus, quemadmodum illas annullauit *Concil Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Reform.* vbi etiam notabiliter prohibentur affictus, iuriſdictionis ſpiritualis, cum facultate deputandi Vicarium in ſpiritualibus, aliterque conceſſiones etiam à Sede Apoſtolica factæ ſubreptitiæ cenſeantur, *vt ibi Concilium*.

14 Alienationem item bonorum ſpectantium ad Eccleſias inferiores, & quauis loca pia, ſub grauibus pœnis prohibuit *Vrbanus VIII. die* 1. *Nouembris* 1625. *per Conſtit. Incip. Humanæ, &c.*

15 Notandum tamen eſt, antiquitus apud Sacros Canones conceſſum eſſe facultatem Epiſcopis aſſentiendi ſuper alienatione, & conceſſione bonorum Eccleſiaſticorum, cauſa neceſſitatis, & vtilitatis Eccleſiæ, *vt per Can. Terrulas*, 12. q. 2. vſque ad ſummam ſolidorum viginti in valore proprietatis, vt ibi gloſſ. & hæc facultas non fuit reuocata per *Decret. Concil. Trident. nec per Extrauag. Ambitioſæ, vt declarauit Sacr. Congregat.*

16 Valor viginti ſolidorum rei alienandæ, *iuxtà dictum gloſſ. taxatur à Sacr Congregat. Epiſc die* 22. *Maij* 1601. aſcendere ad ſcuta viginti quinque

17 Demùm omnibus innoteſcere facimus, in hac noſtra Diœceſi ab antiquis temporibus poſt hominum memoriam, ſine aliqua prohibitione, & contradictione, ſed de conſueto nunquam interrupto ſtylo: Curiam Epiſcopalem aſſentiri, & aſſenſum, & conſenſum præſtare in alienationibus, permutationibus, conceſſionibus in emphyteuſim, & alijs ſimilibus contractibus, in euidentem vtilitatem Eccleſiæ: præcedentibus ſolemnitatibus à iure requiſitis: ſuper rebus in valore

proprie-

proprietatis aſcendentibus ad ſummam vnciarum auri duodecim, quæ ad communem extimationem ducatorum ſex pro qualibet vncia, conficiunt ſummam ducatorum ſeptuaginta duorum. Quæ conſuetudo non ſolùm tacitè, ſed expreſsè confirmata fuit à Sede Apoſtolica: nam *de anno* 1580. dùm à quodam Vicario Apoſtolico reſidente in hac Diœceſi Caputaquen. ob abſentiam Epiſcopi Laurentij Beli valetudinis causâ abſentis dubitaretur, num dicta facultas aſſentiendi ſuper tali ſumma ad diſpoſitionem dicti Canonis legitimè procederet. De hoc conſuluit Sedem Apoſtolicam, à quâ fuit reſponsū per litteras tenoris ſequentis.

Al Reuerendo Sig. il Vicario di Capaccio.

Intus verò:

Reuerendo Sig.

SA Santità ſi contenta, che poſsiate ſequitare, come hanno fatto li voſtri anteceſſori in coteſto gouerno di preſtare l'aſſenzi all'alienationi de'beni Eccleſiaſtici fatte ſecondo la formola del Can. Terrulas, in euidente vtilità delle Chieſe. Mà ricorda ſua Beatitudine ch'habbiate molto bene l'occhio, che queſta via trouata per bene delle Chieſe, non ſia la rouina loro; e laſciarete anco tali ordini, che li voſtri Succeſſori ſappiano, in che modo debbano gouernarſi in queſta materia, ch'è quanto m'occorre dirne; e ſtate ſano. Di Roma li 27. di Marzo 1580.

Al piacer voſtro.

Il Cardinal Maffeo.

18 Quibus litteris confirmationis facultatis aſſentiendi attentis, quæ etiā teſtantur de antiquo conſueto. Poſtmodum *de anno* 1593. Epiſcopus huius Diœceſis Lælius Morellus in Synodo congregata in Terra Diani *die* 1. *Maij*, pro extimatione valoris rei alienandæ in proprietate ad terminos *Can. Terrulas.* recipit taxationem Synodi Prouincialis *Salernitan. ſub Archiepiſcopo Marco Antonio Marſilio Columna, in ritibus eiuſdem Curiæ Rit.* 78 *ſub his verbis. Solet etiam ex antiqua conſuetudine præſtare aſſenſum alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, dummodò valor rerum alienatarum non excedat ſummam vnciarum duodecim ita interpretando Can. Terrulas.* 1292. quæ Synodus cùm ſit Prouincialis, & obindè ad ſanctam Sedem tranſmiſſa pro confirmatione, iux-

tà

ta Decretum *Concil.Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de reform*, aliàs non eſſet publicata, vt declarauit *Sac. Congreg ſuper eodem cap.* 2. & cùm hæc noſtra Diœceſis ſit ſuffraganea Metropolitanæ Eccleſiæ Salernitan. & proindè obligata ad obſeruantiam Statutorum Synodi Prouincialis ſupradictæ vigore ſuprà citati *Decreti Concil.Trident.* Concludendum erit facultatem aſſentiendi vſque ad ſummam relatam vnciarum duodecim anni, extimatam in ducatos ſeptuaginta duos in alienationibus, quâ ſemper vſa eſt, & vtitur noſtra Curia, citrà omnem controuerſiam, eſſe validam. Monemus tamen noſtros Officiales in his, non oſcitanter, ſed magnâ cautelâ, & maturo conſilio procedere, in verificanda vtilitate Eccleſiæ, nec credere relationibus, & atteſtationibus ipſorum petentium alienationem, ſeù conceſſionem, niſi ſufficientes probationes interueniant.

De Immunitate Eccleſiaſtica.

Titulus XXVII.

IMmunitatem perſonarum, & locorum Eccleſiaſticorum, Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam; cùm Dominus pupillam oculi ſui appellet; congruit illam perpetuò ſartam, tectam à quibuſcunq; impedimētis conſeruare, & inuiolatam, illibatamq; pro viribus adusq; animæ profuſionem tueri; Quis enim pro Eccleſia Dei mortem appetere trepidabit? & ſi in cæteris paſtoralis ſolicitudinis muneribus conniuentia tolerāda quodammodo foret. In his tamen, quæ Eccleſiæ reuerentiam, & Eccleſiaſticorum immunitatem reſpiciunt prætermiſſio, graue ſacrilegium autumari poteſt. Hoc non modo tot Martyres ſanguinis, & vitæ effuſione teſtati ſunt; verùm etiam ipſe Chriſtus, cùm cætera omnia pro nobis patienter pertuliſſet; ementes tamen, & vendentes in templo, accenſus vehementi zelo domus Dei violenter eiecit.

1 Confirmamus igitur ſingula decreta, & ſancita in præcedentibus Synodis ſuper immunitate prædicta, eaque ad verbum ſeruari præcipimus.

2 Sciantq; vniuerſi ad quos ſpectare dignoſcitur; quod non ſolùm ſunt excommunicati extrahentes verè, & effectiuè confugientes ad Eccleſias præter caſus in iure expreſſos, & accedente noſtra licentia, & interueniente noſtrorū Officialium, ac deductione extractorum ad noſtras carceres, vt ex proceſſu, & inquiſitione illius, declarare valeamus an ille gaudeat immunitate, & non ſit remittendus ad Eccleſiam ſeruata forma *Conſtit. Gregorij Papæ XIV. de anno* 1592. *die* 28. *Maij incip. Hac perpetua, &c.* quæ excommunicatio lata contra principales extrahentes fuit extenſa ad conſulentes, mandantes, & auxilium præſtantes in Synodo *anni* 1617. *cap.* 15. *& in Synodo præcedenti ſub hoc tit.*

*num.*2. Verùm etiam in cenſuras incidunt inferentes quoduis genus nocibilitatis, ſpolij, aut damni confugientibus ipſis, etiam ſi pro neceſſitatibus naturæ requiſitis extra Eccleſiam ob loci ſacri reuerentiam egrediantur, vt decretum fuit *in Concil. Toletan. & habetur Can. Diffiniuit.* 1294. innouato in eadem *Conſtit. Gregor. XIV.* in clauſula confirmante omnes Canones. Quocirca vigore ſupradicti Canonis confugientes ad Eccleſias, & alia loca immunia, non ſunt ſpoliandi armis ab ipſis delatis, quantumuis prohibitis, neque inibi ligari, carcerari, vinculis, & compedibus mancipari, vt fieri aſſolet, imò neque ſub cuſtodia intus eaſdem Eccleſias coarctari, id enim ſonant illa verba Canonis: *Quidquam ſpolij, nocibilitatis, & damni, &c.* nam cùm ſint ſub protectione Eccleſiæ plena debent libertate potiri; ibique tantò magis non ſunt eis victualia, & cibaria impedienda.

3 Abſolutio à cenſura eiuſdem Conſtitutionis eſt reſeruata Papæ, vt plenè declarauit *Sac. Congreg. Epiſc. de ſpeciali mandato Clementis PP. VIII. de anno* 1602. *die* 26. *Nouembris in decreto incip. Cùm autem, &c. & de anno* 1617. *die* 7. *Ianuar. de mandato Pauli V. per litteras directas Archiepiſcopo Neapolitano.*

4 Imò non ſolùm abſolutio cenſuræ incurſæ ab extrahentibus ſpectat ad Sedem Apoſtolicam; verùm etiam in omnibus cauſis violatæ immunitatis, libertatis, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, (quod eſt memoriæ tenendum) adempta eſt facultas ordinarijs abſolutionis beneficium etiam ad breue tempus, & cum reincidentia impendendi. Et de hoc habentur litteræ *Sacr. Congreg.* immuniti ad Vicarium huius noſtræ Diœceſis tempore prædeceſſoris, tenoris ſequentis.

Al Sig. Vicario Generale di Capaccio.

Intus;

Reuerendo Signore.

NON eſſendo permeſſo all'ordinarij ſenza eſpreſſa facoltà di queſta Santa Sede d'aſſoluere gli ſcommunicati per cauſa di violata giuriſdittione, immunità, ò libertà Eccleſiaſtica. Perciò vi douete aſtenere dal dare in queſta materia aſſolutione, etiamdio con reincidentia. Mà di quanto in ciò occorreſſe, ò dalli ſcommunicati foſſe fatta iſtantia; ne darete auiſo diſtinto à queſta Sacra Congregatione, la quale darà

rà l'ordini, che ſaranno eſpedienti, e di giuſtitia; e Dio vi conſerui. Roma 16. Giugno 1632.

Al piacer voſtro.

Il Cardinal Geſsi.

Franceſco Paolucci Secr. della Sac. Congreg.

5 Innouamus Decreta præteritæ Synodi de non recipiendis delinquentibus, & facinoroſis ad loca Sacra ſub pœna carceris arbitrarij, ſi contingat culpa ipſorum Eccleſiaſticorum recipientium, ſeù admittentium, & culpa etiam arguetur quando ceſſante periculo vitæ, illos exindè egredi non procurauerint; vel ſi illi, renuant, ſaltem per litteras particulares negotium non retulerint, vt prouidere poſsimus per remedia nobis conceſſa in litteris *Sac. Congreg.*

6 Vndè prohibemus expreſsè eiſdem Eccleſiaſticis, & præcipuè Sacriſtis, dare claues Eccleſiarum, & locorum Sacrorum eiſdem delinquentibus, & alijs perſonis intermedijs, vel ſuſpectis, ſub pœna ducatorum quinquaginta.

7 Et quoniam frequens laicorum expoſtulatio noſtras pulſauit aures, vt cogeremus Clericos non deſeruientes in Diuinis, & habitum, & tonſuram Clericalem non deferentes ad ſoluendas Collectas, & functiones laicales. Ideò omnibus innoteſcere facimus, quòd licet in *Concil Trident ſeſſ.* 23. *cap. 6. de Refor.* decretum ſit Clericos non habentes requiſita contenta in dicto cap. non gaudere priuilegio fori, ſuper quo tamen ad nos ſpectat cognitio an habeant requiſita neceſſaria Concilij: Nihilominùs quoad exemptionem à Collectis, & oneribus laicalibus ſunt exempti ratione Ordinis, etiam ſi ſint in prima tonſura, vt ſæpè declarauit *Sac. Congregat. Epiſcop. præcipuè de anno* 1581. *die* 22. *Auguſti, & nouiſſimè de anno* 1631. *die* 24. *Ianuarij* declarauit Ordinarium non poſſe Clericos non inſeruientes Eccleſijs immunitate gabellarum, & onerum laicalium priuare, *& Concil. Trident. in citato cap.* 6. taxatiuè declarauit non incedentes in habitu, & tonſura, & non deſeruientes Eccleſijs non gaudere priuilegio fori, reliqua autem priuilegia, & exemptiones illibatas reliquit.

8 Sed ne occaſione huius declarationis præbeatur anſa Clericis ceſſandi ab Officio, & ſeruitio quibus propriæ ſunt mancipati *iuxta Trident. loco citato*; præcipimus eiſdem Clericis omninò deſeruire Eccleſijs, quibus ſunt aſcripti, iuxta Conſtitutiones præteritarum Synodorum, & ſeruata forma noſtræ Conſtitutionis *in tit. de vit. & honeſt. Cler.* alioquin ſciant ſe pœnis ibidem inflictis, & alijs grauioribus punitum iri.

9 Cognitio huiuſmodi cauſarum violatæ immunitatis, libertatis, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in terminis ſupradictæ *Conſtitut. Gregor. XIV.* in tota noſtra Diœceſi ad nos ſpectare priuatiuè quoad alios Prælatos inferiores, & exemptos, etiamſi eſſent nullius, colligitur ex contextu eiuſdem Conſtitutionis; vndè ſi extractio fieret ab Eccleſijs Regularium, vel in locis exemptorum,

vbi exempti ipſi ſuperiores ordinariam haberent poteſtatem, & iuriſdictionem; ad nos tamen ſpectat inquirere, & incurſos declarare tranſgreſſores, & in caſibus permiſſis licentias dare extrahendi, vt interim ad noſtras carceres ſequeſtrentur.

10 Quamuis *Concil. Trident. in ſupra relato cap. 6 ſeſſ. 23* ſtatuerit Clericos non adimplentes requiſita *in dicto capitulo*, non gaudere priuilegio fori. Non idcirco intelligitur ex diſpoſitione eiuſdem Decreti tributa poteſtas Magiſtratibus temporalibus de his qualitatibus cognoſcere, & iudicare ſed ad Iudicem Eccleſiaſticum ſpectat cognitio. Præterea ſi Clerici prædicti non incedentes in habitu, in tonſura, neque inſeruientes in diuinis delinquant; non obinde eoſdem, vt Clericos ſubiectos inquirere, & iudicare nobis eſt vetitum; vt declarauit *Sac. Congregat. Concil. die 24. Ianuarij* 1593. & etiam de ipſa intermiſſione habitus, & deſcriptio non præſtito iuxta Conſtitutiones Synodales: niſi Clerici ipſi in noſtra Curia ſolemniter, vt alibi dictum eſt, Clericatui renunciauerint, & delicta ſint commiſſa poſt renunciationem Clericatus.

11 Porrò ſi quis aliqua occaſione habitum, & tonſuram dimiſerit, quamuis ſit puniendus à noſtra Curia, non obindè erit priuandus priuilegio vigore *Concilij Trident.* niſi tamdiù duret dimiſſio, & defectus ſeruitij, vt ab omnibus communiter reputetur laicus; & tunc quoque opus erit noſtrâ declaratione, niſi firmiter, vt ſuprà, renunciauerit; imò Clericum carceratum, qui ante carcerationem reaſſumpſit habitum alias dimiſſum fori priuilegio gaudere declarauit *Sac. Congreg. Immunit. die 18. Martij* 1631. & filium Clerici ſuſceptum ante Clericatum etiam gaudere durante vita patris declarauit *ibidem eadem Congregat.* & ordinatum Clericum poſt commiſſum delictum, non poſſe puniri in perſona, declarauit eadem *Congreg. die 7. Decembris* 1632.

12 Innouantes Decretum præteritæ Synodi *ſeſſ. 3. cap. 4. num. 2.* de animalibus Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum damnificantibus in alienis prædijs, ne cognoſcantur à Iud.c bus laicis, ſed à Vicarijs foraneis locorum, & aggrauamus pœnam excommunicationis contra tranſgreſſores; ampliamus etiá ad cuſtodes eorundem animalium, qui cùm habeant cauſam ab Eccleſiaſticis, iudicandi etiam erunt à Iudice Eccleſiaſtico, ex identitate iuriſdictionis.

13 Præterea cùm eoſdem Clericos, Eccleſiaſticos omnes, & Eccleſias nullis priuatis legibus, ſtatutis municipalibus, Capitulis, & conſuetudinibus laicalibus ſubiacere iure tàm diuino, quàm humano cautum ſit, maximèque, vbi pœnę ſunt appoſitæ in perſonas, vel in bonis; ideòin ipſos, quatenùs in odioſis, & pœnalibus diriguntur, nullum robur obtinere declaramus: In fauorabilibus verò ipſi Eccleſiaſtici volentes, vti poterunt, non alio quouis modo, etiam ex clauſula æqualitatis ſeruandæ; declarantes quoſcumque tranſgreſſores, & aliter iudicare præſumentes incurrere in pœnas, & cenſuras à ſactis Canonibus, & in Bulla Cœnæ Domini inflictas contra violantes immunitatem, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam; & in caſibus contingentibus Vicarij foranei ad nos referant.

14 Et quoniam Clericalis ordinis exemptio, & immunitas à laicalibus poteſtatibus nullo modo, ſiuè prætextu præiudicari poteſt; neque ab ipſis Clericis

volen-

volentibus renunciari, cùm ſit annexa, & conceſſa ordini Clericali, non perſonæ. Ideò hâc generali Conſtitutione præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcumque Clericis, tàm ſolutis quàm coniugatis, nec non oblatis Eccleſiarum, & alijs quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis; vt quandocumquè forſitan contigerit, inquiri, ſiuè procurari, carcerari, & in perſona, ſiuè in bonis vexari, moleſtari, & perturbari; aut quouis prætextu in iudicium laicale trahi, compelli & iudicari: ad nos ſtatim recurrant, vt illos, & Eccleſiaſticam iuriſdictionem, & immunitatem tueri poſſimus; neque omiſſo confugio, timore aliquo, vel reſpectu humano, ſe inquiri, aut cognoſci; & iudicari patiantur, vel cum eiſdem Iudicibus, & Magiſtratibus laicis ſe concordent, tranſigant, etiam tacitè, & extra iudicialiter ad redimendam vexationem, ſiuè ne inquirantur, aut ne forſitan formata inquiſitio contra ſeipſos ad noſtram Curiam deferatur, & conſignatur, vel vt ab illa caſſentur, & deleantur, aliquam pecuniæ quantitatem ſoluant, vel alio quouis modo culpabiles exiſtant; alioquin ex nunc pro tunc tranſgreſſores in ſupradictis, & in quòlibet ipſorum, declaramus incurrere in pœnam ducatorum quinquaginta, vltra alias corporales noſtro arbitrio imponendas; & mandamus Vicarijs foraneis deferre tranſgreſſores.

15 Demùm non eſt hic recenſendi locus, quæ perſonæ quæ loca, in quibus caſibus: quomodo: quando; & vbi Eccleſiaſticâ immunitate, & exemptione gaudeant; ſed qui ea ſcire voluerint; ex Doctoribus de immunitate eadem tractantibus addiſcant.

De Monialibus.

Titulus XXVIII.

Commiſſi nobis Diœceſani regiminis ratio poſtulat, vt non modò virorum Eccleſiaſticorum curæ inſiſtamus; ſed peramplius ſacrarum Dei Virginum, quæ contemptis ſeculi illecebris, diuinis ſe obſequijs mancipantes, ac ſe ipſas altiſſimo ſponſas perpetuò deuouentes, ſub ſuauiſſimo Religionis iugo, Chriſto Saluatori in caſtitatis holocauſto, famulari affectant, ne vnquam à recta ſemita iuſtitiæ, & forma honeſtatis declinare poſſint; & aliquid in eis deprehenditur incongruum, quod in candore regularis honeſtatis maculam inurat, & diuinam meritò poſſit offendere maieſtatem. Igitur præſentia quædam indecentia reformando, & futura debitis cautelis præcauendo. Primùm innouamus, & confirmamus Decreta omnia ſub hoc titulo edicta in præcedentibus Synodis, & inhærendo ordinationibus factis in viſitationibus generalibus; hæc inſuper in præſenti Synodo ſtatuimus.

1 Primò in notitiam omnium adducimus, quòd ſicut in carnali coniugio conſenſus

ſenſus debet eſſe voluntarius, tantò magis in hòc ſpirituali,in quo arctiori inſolubilitatis nexu ad vitam aſtringitur:alioquin experientia docuit ex coacto conſenſu inſelices euenire ſucceſſus; & cùm in hoc frequens, ob auaritiam,ſit lapſus humanum: ideò ſinguli hæc præſumentes ſciant à *Sacr. Conc. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de Regular.* impoſitam eſſe pœnam excommunicationis eo ipſo contra cogentes aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam,præter caſus in iure expreſſos,ad impediendum Monaſterium,vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, aut ad profeſſionem emittendam; & contra dantes conſilium, auxilium, vel fauorem, nec non contra ſcientes aliquam non ſponte ingredi, habitum ſuſcipere,& profeſſionem emittere,& tamen eidem actui quoquo modo præſentiam, vel conſenſum, aut auctoritatem interponunt. Et ſimiliter ècòtra impedientes,ex aduerſo,aliquam ingredi volentem, vel habitum ſuſcipere,& profeſſionem emittere à qua pœna incurrenda nullam perſonam cuiuſcumque ſtatus,& conditionis excludit. Quàm cenſuram Doctores aſſerunt incurri effectu iam ſecuto,nempè quòd illa Virgo, vel mulier coacta, mutauerit conſilium, non ſponte,ſed reſpectu coactionis.

2 Hanc quoque excommunicationem Doctores ampliant, ex verbis Concilij ad cogentes ingredi Monaſterium aliquam, etiam cauſa educationis.

3 Non tamen dicentur incurrere parentes,ſi blandis verbis,& perſuaſionibus nullis adiectis minis, verberibus,vnde conijci poſſit illam inuitam deliberaſſe; ſuadent ſuis virginibus ſupradicta exequi; quamuis ipſæ metu reuerentiali conſentiant; nam declarauit *Sac.Congregat. Conc.die* 18.*Iunij anni* 1573. Concilium loqui de cauſa,& vi incuſſiua, non de inductiua, ſiue violentia.

4 In admittendis virginibus ad habitum regularem, hæc erunt ſeruanda: Primò, porrigatur ſupplicatio pro parte puellæ continens eius deſiderium, in qua ſupplicatione fiet Decretum, cum his conditionibus ad finem prouidendi; vt per noſtram Curiam, vel aliam perſonam delegendam capiatur informatio; quòd puella ſit orta ex legitimo matrimonio; ſit bonis moribus,& vita;nunquam fuerit,nec ſit immundis ſpiritibus obſeſſa; non corpore vitiata;nulloq; habituali morbo puta epilectico, ptiſico, arreptitio,vel alio conſimili laboret, ſed optimâ valetudine fruatur,& adhoc firmandam producatur atteſtatio iurata Medici, qui ſaltem per annum,corporis eiuſdem conſtitutionem, & temperamentum notum habeat.

Secundò,exploretur voluntas,num liberè, vel coactè habitum ſuſcipiat,& talis exploratio fiat per interrogationes infrà deſcribendas.

Tertiò,producatur fides, ſeù atteſtatio iurata Parochi de frequentatione Sacramentorum,ſaltem per annum ſingulis menſibus.

Quartò, interrogetur ſuper omnibus interrogatorijs ſequentibus, intus Eccleſiam in loco patenti, ſed tamen ſemotim, vt illa licitè ſuam pateſaciat voluntatem.

5 Interrogatoria ſuper quibus erit examināda, & interrogāda puella ingredi cupiens Monaſterium,ſequentia erunt.

An habeat ſpontaneam, & veram voluntatem ingrediendi Monaſterium, & fieri Monialem, vt Deo famuletur.

An ex motu repentino id efficere propoſuerit; vel in tali voluntate multum perſtiterit, & quamdiù, & ſi ſit ex inſpiratione diuina, an alia cauſa inducta, & ſi de hoc ad Deum preces effuderit pro vera inſpiratione.

An ſuaſionibus, & minis parentum, vel aliorum ſit inducta ad id deliberandum.

An ſit conſcia, & informata de oneribus ſupportandis in Religione.

An ſit certiorata de uotis in Religione illa, quam affectat, emittendis, & ſi reſponderit neſcire, eidem inſinuentur, & reſponſio attendatur.

An Regulas, & Conſtitutiones norit, quæ ſunt propriæ illius Monaſterij, in quod ingredi, & religionem profiteri cogitat: & an illorum obſeruationi ſe habilem cognoſcat, & cupiat, ac libentèr amplectatur.

An ſciat legere, & de hoc experimentum fiat.

An didicerit rudimenta Fidei, & ſaltem eſſentialia Doctrinæ Chriſtianæ.

6 Et ſi ad aliquas interrogationes puella reſponderit ſub dubitatione, vel tempus ad deliberandũ petierit, non finietur tunc examen: ſed poſt reſponſiones factas ſecundùm veram declarationem, & voluntatem illius, quibus in ſcriptis redactis puella proprio chirographo ſubſcribet; & ſi proceſſus non fiet à Curia, ſed ab aliquo delegato, tranſmittatur ad eandem noſtram Curiam.

7 Hic modus explorandæ voluntatis ſeruetur, etiam ante profeſſionem, adaptando interrogationes ſuprapoſitas, & alias opportunas, & præcipuè fiat experimentum, ſi benè calleat recitare Horas Canonicas.

8 His adimpletis, habitoq; proceſſu; mandetur congregari Moniales capitulariter, & propoſitâ voluntate puellæ ingredi volentis ad religionem, exploretur conſenſus ſingularum Monialium, num velint propoſitam in ſuum cœtum coaptare, & ſi maior pars conſenſerit, ſufficiet ad illam legitimè recipiendam, & procedetur ad vlteriora.

9 Producatur atteſtatio iurata Abbatiſſæ de conſenſu maioris partis Monialium in ſcriptis, quæ atteſtatio ſufficiet pro verificando conſenſu præſtito, vt decreuit *Sacr. Congregat. Epiſc. & Regul.* 11. *Septembris* 1615.

10 Fiat deindè depoſitum dotis ſoluendæ in publico banco, vel penes perſonam tutam, diuitem, & legalem à nobis admittendam, & confirmandam, quæ non ſit conſanguinea, vel affinis puellæ, cum promiſſione de ſoluendo, & conſignando pecuniam depoſitam tempore Profeſſionis faciendæ per puellam, ſine aliqua exceptione, & dilatione, ſubmittendo ſe noſtræ Curiæ, vt decreuit *ead. Congregat. die* 6. *Iunij* 1615.

11 Non aſſignentur cenſus, nomina debitorum, neque ſtabilia, mobilia, & ſeſe mouentia, ſed pecunia numerata *iuxtà Decretum eiuſdem Congreg. die* 28. *Martij* 1588. & de depoſito facto afferatur authenticum teſtimonium.

12 Soluantur alimenta pro tempore Nouitiatus, per ſemeſtre anticipatũ, & præſtetur cautio de ſolutione pro altero, ſeù alijs ſemeſtribus, etiam anticipatè

ſolue-

ſoluendis, *vt ead. Congreg.* 13.*Septembris* 1583. & de his etiã producatur fides.

13 Conſignatur quoque Abbatiſſæ Monaſterij ſupellex neceſſaria integra, pro veſtitu, cubili, & vtenſilibus hoc modo : *Due mataraʒʒi pieni di lana, due para di lenʒoli, coperte di lana, coſcini, ſprouiero, e lettiera. Il veſtito condecente. Biancaria neceſſaria, cioè meſali, ſaluietti, touaglie, & altri panni vſuali.* Ne de his miniſtrandis tempore Nouitiatus Monaſterium grauetur.

14 Summa alimentorum anticipatè per quodlibet ſemeſtre præſtandorum in ducatos duodecim taxantes.

15 Producatur inſuper fides Parochi de legitimis natalibus puellæ, nempè quòd ſit nata ex talibus coniugibus in conſtantia matrimonij contracti de anno tali, vt apparet ex libro matrimoniorũ, & atteſtetur etiam de ætate puellæ, quæ debet eſſe duodecim annorum completorum, *ex Decreto eiuſdem Congreg. de an.* 1592.*& de an.* 1608.*die* 1.*Martij*,& habeatur fides,quod ſit confirmata.

16 His omnibus adimpleatis,& productis in noſtra Curia,inſtante puellæ pro ingreſſu; interponetur Decretum, quod ſtante adimplemento, &c. recipiatur puella ad habitum.

17 Completo tẽpore Nouitiatus,per menſem ante profeſſionem, *iux. Decr. Conc.Trid.ſeſſ.*25.*cap.*17.*de Regul.* Abbatiſſa Monaſterij per litteras nobis ſignificet de profeſſione emittenda per Nouitiam; vt deſtinemus perſonam idoneam ad denuò explorandam voluntatem Nouitiæ ad crates, num liberè profiteri velit, *iuxtà idem Decretum Concil.* proponendo interrogatoria ſuprà poſita, & alia conſimilia, quæ opportuna videbuntur; neque Abbatiſſa prætermittat tempore ſtatuto denunciare, alioquin erit ſuſpenſa ab officio ad noſtrum arbitrium, *vt ibidem Trident.* ſtatuit.

18 Ante profeſſionem emiſſam perſoluatur pecunia depoſita pro dote penes Procuratorem Monaſterij.

19 Nouitiatus fiat ſaltem per annum vnum,quamuis Nouitia ſit in ætate per ſecta profitendi ante annum finitum, & profeſſio non fiat ante annum decimum ſextum expletum,& ſi ſecùs fiat,nulla erit profeſſio *iuxtà Trident.ſeſſ.*25 *cap.*15. *de Regul.* & de hoc etiam afferatur fides, ſicut etiam adiungatur fides iurata Abbatiſſæ,& Medici ordinarij illius Monaſterij, de bona valetudine Nouitiæ, quòd non ſit aliquo habituali morbo grauata.

20 His habitis decernatur per noſtram Curiam,quòd dùm nullum obſtat impedimentum,Nouitia recipiatur ad profeſſionem,& ſuper his noſtra Curia omnes actus gratis faciat.

21 Huiuſmodi explorationem voluntatis, tàm tempore receptionis ad habitum,quàm profeſſionis ad nos, vel ad perſonam deſtinandam à nobis, & noſtra Curia,ſpectat etiam in Monaſterijs ſubiectis Regularibus, *ex Decr.Sac.Congreg. Conc.* 21 *Septẽbr.*1591.*&* 19.*Septembr.*1625.*&* 4.*Decembr.*1627.*in Burgen.*

22 Viduæ non recipiantur ad habitum ſuſcipiendum, neque ad permanendum in Monaſterijs ſub habitu laicali, abſque licentia Papæ, *vt decreuit Sacr. Congreg.Ep.ſ.cp.*29.*Ianuarij* 1585.

23 Duæ ſorores, de noſtro conſenſu, & non aliter, poterunt recipi ad habitum, & profeſſionem in eodem Monaſterio, non autem tertia ſoror, ſine licentia Papæ, *vt decreuit Sac. Congregat.* 25. *Maij* 1595. & ſi ex tali licentia admittatur, illa tertia nullam vocem actiuam, nec paſſiuam habebit in Capitulo, donec vna ex prioribus admiſſis moriatur ante eius profeſſionem, *vt eadem Congreg.* 26. *Auguſti* 1616.

24 Locus, & dormitorium Nouitiarum ſint ſeorſim ab alijs, *vt decreuit Sac. Congregat. de anno* 1603.

25 Durante tempore Nouitiatus, Monaſterium nihil pro Nouitia præter alimenta, & veſtiaria recipiat, alioquin tàm dantes etiam ſponte, quàm recipientes quocunque prætextu, excommunicati declarabuntur.

26 Et ſi durante anno probationis prædictæ Moniales receperint pecunias, vel aliquid aliud ex præfata dote, etiam ſub nomine anticipationis, & ex computi ante profeſſionem, incidunt in excommunicationem inflictam in ſuprà citato *cap.* 8. *Concil. Trident. vt declarauit Sacr. Congregat.* 15. *Martij* 1580. & ratio eſt, quia ſi finito anno puella non profitetur, & egrediatur à Monaſterio, dos depoſitata erit liberanda, & reſtituenda eiſdem, qui illam depoſitauerunt, *vt ibi Concil. ſtatuit*.

27 Quamuis prædeceſſor noſter Epiſcopus de Matta bon. mem. *in Synodo congregata anno* 1617. ſtatuerit *cap.* 51. *n.*2. in Monaſterio Sancti Benedicti Terræ Diani ciues puellas recipi pro dote ducatorum ducentum, & aduenas tercentum; tamen iuſtis de cauſis, & maturè diſcuſſis rationibus determinatam, & taxatam quantitatem reuocantes, & ad priſtinum reducentes, in caſibus contingentibus, mandamus ſeruari decretum *Sac. Congreg.* prohibens fieri differentiam dotium inter terrerias, & aduenas. Prouiſionem tamen ſuper his nobis in facti contingentia reſeruamus, & tunc valorem obtineat, non ſecùs ac ſi fuiſſet in Synodo ſtatuta.

28 Si ante annum decimũ ſextum expletũ Nouitia moriatur, non poterit in mortis articulo de conſenſu Monaſterij emittere profeſſionem ad effectum, vt Monaſterium ſuccedat in dote, & bonis, *vt declarauit Sac. Cong. in Montis regalis* 13. *Nouembris* 1627. nam dos depoſitata, cum omnibus ſuppellectilibus, & cæteris rebus, quæ erat Nouitiæ demortuæ, reſtituentur conſanguineis, & hæredibus, ex diſpoſitione *Concil. Trident ſeſſ.* 25. *cap.* 16 *ſuprà citato*.

29 Ad nos ſpectat præfigere numerum Sanctimonialium recipiendarum in vnoquoque Monaſterio noſtræ Diœceſis, etiam in ſubiectis Regularibus *iuxtà Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de regular.* cum interuentu tamen ipſorum Superiorum Regularium in ſibi ſubiectis, *ex Decr. Sac. Congreg.* 27. *Maij* 1603. & habetur *in Breui Pauli V. de anno* 1615. directo Collectori Luſitaniæ, quod cùm contineat deciſionem multorum caſuum, hic eius exemplum apponemus tenoris ſequentis: *Sanctiſſimus Dominus noſter audita Sac. Congreg ſententia. Collectori Luſitaniæ per Breue die* 6. *Iunij* 1615. *iniungi mandauit, vt iuxtà normam à Sac. Concil. Trident. præſcriptam, in omnibus, & ſingulis Monaſte-*

rijs Monialium iſtius Regni,cùm tantum numerum ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis denuò præfigi,ac in poſterum conſeruari curet, qui ex redditibus proprijs eorundem Monaſteriorum capacitatem, nec non ad cellarum quantitatem, commodè ibi cõmorari valeant,ita tamen quòd in his,quæ Regularibus ſubiecta ſunt, iſdem Regulares præfixioni aſſiſtant,vt ſupra numerum huiuſmodi nulla deinceps admittatur Monialis abſque Sedis Apoſtolicæ,aut eiuſdem Sacr.Congreg.expreſſa licentia. Ad ſecundum, Propinarum abuſus, nedum tollatur, ſed etiam grauiſſimarum pœnarum,etiam cenſurarum comminatione probibeatur. Pro ea tamen die,qua ad habitum Monialem admittentur puellæ,aliquid eſculenti, vel poculenti modici valoris,& pro eiuſdem diei vſu duntaxat elargiri, vetitum non cenſeatur. Ad tertium: dotales eleemoſynæ apud Monialium conſanguineos, vel affines, nullatenus relinquantur; ſed antequam puellæ habitum ſuſcipiant,deponantur actualiter apud mercatorem, vel penes aliam perſonam fide, & facultatibus idoneam, vt ſtatim profeſſione emiſſa in emptionem bonorum ſtabilium, aut annuorum reddituum, illicò applicentur.

30 Numerum ergo Moniali in vnoquoque Monaſterio præfigendum, nobis reſeruamus,quouſq; maturo conſilio,diſcuſſis quantitatibus redditũum, & prouentuum cuiuſque illorum, habito reſpectu annorum fertilium, & infertilium, caſuum fortuitorum, expenſis neceſſarijs, & oneribus deductis, ac etiam habitâ ratione locorum minùs, vel magis ſterilium,& aëris ſalubritate, vel cœli inclementia laborantium, per certas,& fideles atteſtationes: ſtabili præfinitione præfigere poſſimus; eademque præfinitio nunc reſeruata, quando à nobis fiet, valorem,& robur obtineat, non ſecùs ac ſi per Conſtitutionem Synodalem decreta fuiſſet.

31 Vbi numerus erit præfixus non admittetur ſupernumeraria abſque licentia *Sacræ Congregat. vt eadem decreuit die 6. Febr. anno* 1615.

32 Supernumeraria admiſſa cum tali licẽtia,ſemper appellabitur ſupernumeraria, etiam ſi qua Monialis ex numero præfixo moriatur, neque illa ſupernumeraria ſuccedet Moniali mortuæ: immò in illo loco vacanti poteſt recipi alia puella ad habitum ſeruatis ſeruandis,& illa recepta non dicatur ſupernumeraria,ſed vna ex numero præfixo: *vt decreuit Sac.Congreg Epiſc.* 19.*Aprilis* 1595. *& 6 Septembris* 1604. & in hoc differt ſupernumeraria à numerarijs, nam in reliquis ſunt æquales, vt declarauit *eadem Congreg.* 2. *Iulij* 1602. tàm in præcedentia,quàm in alijs. Quod idem ſeruandum decernimus, tàm in Monialibus, quàm in Conuerſis, *ex Decreto eiuſdem Sac. Congreg.* 6.*Febr.* 1615.

33 Præcedentia inter Moniales attendatur non à tempore receptionis ad habitum,ſed à facta profeſſione: ſi verò duæ eodem tempore profiteantur, præcedet prior ad habitum, & ſi quoque receptæ fuerint eodem tempore, præcedet priùs acceptata in Capitulo, *vt decreuit Sac.Congreg.Epiſc.anno* 1608.

34 Expectatiuæ proximæ vacaturæ ad loca vacantia,nemini cõcedantur, *vt ſtatuit Sacr.Congregat.Epiſc.* 12. *Martij* 1619. ſub pœna Præfectis Monaſterij priuationis ſuffragij, *vt eadem 6.Septembris* 1604.

35 Super-

35 Supernumerariæ, tàm Moniales, quàm Conuerſæ, teneantur ad dotem duplicatam, ac ſoluunt numerariæ, *iuxtà Decretum Sac. Congreg de anno* 1604. *die 6. Septembris, anno* 1616. *die* 30. *Septembris*.

36 Procuratores Monaſterij, penes quos ſoluentur dotes in pecunia numerata, ſtatim ſecutâ profeſſione Monialis, pecuniam ipſam implicent in emptionem ſtabilium, vel annuorum cenſuum, iuxtà ſupra relatum Decretum *Congreg. & inſerto Breui Pauli Papæ V. & Decreto Congreg. Epiſc. de anno* 1581. Hoc tamen præcedat noſter aſſenſus gratis concedendus, vt cognoſcatur, an illa emptio cedat in beneficium Monaſterij, & hoc ſub pœnis nullitatis contractus, & ſuſpenſionis ab officio, quo ad Abbatiſſam, ſeù aliam præfectam, & Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ per Procuratores incurrendis.

37 De diebus ipſis ſoluendis tàm per numerarias, quàm ſupernumerarias, & Conuerſas, nihil ijdem Procuratores expendant, licet minimum, etiam pro neceſſitatibus ipſius Monaſterij, nobis inconſultis; & ſecùs facientes de proprio reſtituent, & Abbatiſſa, ſiuè Præfecta conſentiens ab officio ſuſpendetur.

38 Si contingat pro fabrica neceſſaria in reparatione Monaſterij, vel aliâ vrgente causâ fieri expenſas, ad quas non ſuppetant prouentus ipſius Monaſterij, tunc nihil fiat à Procuratoribus propriâ auctoritate, ſed ad nos referatur, vt cauſa cognita prouidere poſſimus, etiam ad receptionem alicuius portionis proprietatis dotium Monialium ſupernumerariarum, ſi aliundè prouideri non poſsit: non autem de dotibus numerariarum, quas ſine vlla diminutione, in effectiuam emptionem ſtabilium, vel cenſuum conuerti mandauit *Sac. Congreg. Epiſc.* die 6. *Maij* 1615.

39 Nulla renunciatio, ceſsio, donatio, alienatio, obligatio, & contractus alius antea factus etiam cum iuramento vel in fauorem animæ, aut cuiuſcumque cauſæ piæ, niſi cum licentia noſtra, vel Vicarij noſtri generalis, fiat intra duos menſes proximos ante profeſsionē, aliter verò facto nullius erit roboris, vel effectus, neque contractus ſimiles ſuum ſortientur effectum, niſi ſequutâ profeſsione, *vt ſtatuit Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* & ſi talibus contractibus factis in ſupradicto termino duorum menſium ante profeſsionem. Deindè ex aliqua cauſa contingat, vt profeſsio non fiat, tunc expleto anno probationis, illos validos eſſe declarauit *Sac. Congreg Conc.* 21. *Auguſti* 1617. etiam quod non ſit facta profeſſio relata *in Decreto Trident.*

40 Si ante expletum annum probationis Nouitia conſtituta in articulo mortis, cupiat lucrari indulgentias conceſſas profeſsis, tunc ſi fuerit in ætate perfecta profitendi, poterit pro illo actu lucrandi indulgentias profiteri, ſi tamen conualuerit, tenebitur complere annum, *vt conſtituit Pius Papa V. de anno* 1571. *die* 21. *Maij*, & donec expleatus ſit annus ad nihil tenebitur illorum, ad quæ obligantur profeſſæ, *vt declarauit Congreg. Conc.* 6. *Auguſti* 1593.

41 Nouitia Monialis non admittatur ad profeſsionem, neque ad Chorum, niſi legere nouerit; *vt decreuit Sac. Congregat. Concil. in Girgentin.* 12. *Ianuarij* 1604.

42 Quando autem non ad habitum recipiendum, ſed educationis cauſa petatur ingreſſus puellæ ad Monaſterium; tunc primò ſciendum eſt prohibitum eſſe per *Sac. Congreg.* recipere, & retinere puellas cauſa educationis in Monaſterijs, vbi non ſunt loca particularia deſtinata pro dormitorio ipſarum ſeparato ab alijs Monialibus, & quòd ſint capacia pro illis retinendis, *vt decreuit Congreg. in vna Sanctæ Seuerin. 16. Ianuar.* 1615. Secundò in eiſdem Monaſterijs, in quibus ſunt loca deſtinata, non poſſunt recipi ſine licentia *Sac. Congregat.* quæ illam ſolet concedere ſub his conditionibus.

Quòd Moniales capitulariter, ſecretiſque ſuffragijs puellarum receptioni conſentiant.

Quòd Monaſterium ſit ſolitum tales recipere, illaſque in actu retineat.

Quòd in Monaſterio exiſtat peculiaris habitatio ſeorſum à dormitorio & habitatione Monialium Profeſſarum, ac Nouitiarum, vbi interdiù opus facere, & noctu quieſcere poſſint.

Quòd puella excedat ſeptimum annum, & ſit infra vigeſimum quintum ſuæ ætatis.

Quòd non admittatur aliqua ſuper numerum præfixum.

Quòd ingrediantur ſolæ: modeſtò vtantur veſtitu: Clauſuræ legibus ad inſtar Monialium ſint obſtrictæ: ſi vnquam à Monaſterio egrediantur ad illud, vel aliud redire non permittantur abſque licentia Sac. Congregat. cum expreſſione huiuſmodi ingreſſus, niſi reuertantur animo recipiendi habitum regularem.

Quòd detur fideiuſſor idoneus de ſoluenda pecunia pro alimentis puellæ in ſingulis ſemeſtribus anticipatis.

Quòd licentia conceſſa regiſtretur in actis Cancellariæ Epiſcopalis, aliàs ſit nulla.

Quòd ſi egrediatur ob ægritudinem de conſenſu Abbatiſſæ, & Monialium, cum conſenſu earundem redire poſſit.

43 Super quibus conditionibus hæc ſunt aduertenda. Quòd non recipiantur minores ſeptennio, nec maiores vigeſimo quinto anno. Quòd expleto 25. dimittantur à Monaſterio, niſi habitum ſuſcipere velint, vt decreuit *Sac. Congreg. Epiſc.* 27. *Maij* 1603. & in hac deliberando poterit aſsignari terminus. Quòd victus earum non detur dietim in victualibus, ſed in pecunia pro ſemeſtribus, vt ſuprà. Quòd in receptione adſit conſenſus vniuſcuiuſq; Monialis, neque ſtandum erit relationi, & atteſtationi Abbatiſſæ, *vt Congregat. Epiſc. die* 4. *Ianuarij* 1608. Quòd pro illarum ſeruitio non introducantur famulæ, *nam de anno* 1619. *die* 12. *Martij Sac. Congregat. Epiſc.* non dari ancillam pro educandis, reſpondit petitioni Chryſoſtomæ Caracciolæ.

44 Pluſquam duæ ſorores non poſſunt recipi in educatione, *ex Decreto Congregat. anni* 1603. *ſuprà relato.*

45 Receptà licentia *Sac. Congregat.* pro recipienda puella educanda, requiritur licentia, ſiue aſſenſus Curiæ Epiſcopalis, ad quam obtinendam hæc ſeruabuntur.

buntur. Producatur fides Parochi de ſeptennio expleto per puellam, nam citra ſeptennium non admittetur ſine ſpeciali licentia, & diſpenſatione Congregat. Afferatur atteſtatio Medici de bona valetudine, & conſtitutione puellæ; fides de confirmatione; ſoluatur pecunia ſemeſtris anticipati, & detur cautio per inſtrumentum publicum de ſoluendo pro alijs ſemeſtribus pro victualibus; conſignentur Abbatiſſæ ſupellectilia pro cubili, & veſtitu, & alia ſuprà ſtatuta in receptione puellæ ad habitum; afferatur atteſtatio Abbatiſſæ, & Monialium, quod conuocato Capitulo maior pars illarum conſentiat receptioni educandæ, quibus adimpletis præſtabitur aſſenſus.

46 Verùmtamen, quia in Monaſterijs noſtræ Diœceſis non ſunt loca ſeparata pro retinendis educandis ſeorſim à Monialibus, *iuxtà Decreta relata Sacr. Congreg.* quæ in ipſis licentijs dantur pro forma, & obindè recipiendas oporteret in confuſum cum profeſſis permanere. Et prætereà fabrica, & ædificia eorumdem Monaſteriorum, vt vidimus in viſitationibus clauſuræ, non ſunt capacia in ſitu, & in cellarum numero ad dictum locum educandarum conſtituendum, neque ob eandem anguſtiam loci poteſt præfigi numerus recipiendarum, *iuxtà citatum Decretum Congreg. anni* 1603. Et quamuis interdum apud noſtros prædeceſſores in eiſdem Monaſterijs fint receptæ educandæ; hoc tamen contra decreta, & præter inſtructiones *Sac. Congreg.* factum fuit; ideò hàc noſtrâ Conſtitutione præcipimus nullam admitti, neque aſſenſum præſtari, donec Monaſteria ipſa ita capacia, & conſtructa diſponantur in clauſura, vt omnes conditiones requiſitæ in *Decretis Sac. Congreg.* concurrant, & ſignanter in *relato Decreto* 1615. *die* 16. *Ianuarij*.

47 In electione Abbatiſſæ, ſiuè Præfectæ Monaſterij multa concurrere debent: eligenda primum ſit legitimis orta natalibus: nam licet illegitima poſſit recipi in Monialem, quia per ingreſſum Religionis tollitur defectus; ad Præfecturam verò non item ſine diſpenſatione Apoſtolica, *vt declarauit Sac. Congreg. Concil.* 27. *Aprilis* 1630. niſi in illa Religione adſint priuilegia particularia, quòd Moniales ipſius Religionis intelligantur etiam habilitatæ ad officia, & gradus, *vt eadem Congreg. de anno* 1594. *die* 4. *Octobris, & anteà in anno* 1582. *in vna Corduben.* quæ declarauit in tali caſu non obſtare *Conſtit. Sixti V. de Illegitimis.*

48 Officium Abbatiſſæ durabit per triennium, *iuxtà Conſtit. Gregor. XIII. de anno* 1583. *die* 1. *Ianuarij incip. Expoſcit &c.* quæ Conſtit. per Decretum *Sac. Congreg. Epiſc. die* 22. *Maij* 1604. *editum iuſſu Clement. PP. VIII.* viuæ vocis oraculo ſeruanda erit in quibuſcumque Monaſterijs Monialium, cuiuſui Religionis, & militiarum, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani.

49 Prorogatio triennij ſpectat ad Sacram Congregationem, vt declarauit *eadem de anno* 1615. *die* 20. *Febr. & etiam de anno* 1613.

50 Vidua, quamuis fuerit legitimè recepta in Monialem, non idcircò aſſumatur ad officium Abbatiſſæ ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, *vt Congreg. Epiſc.* 15. *Iulij* 1616.

51 Soror, vel conſanguinea Abbatiſſæ poteſt ſuccedere immediatè in eodem

officio,

officio, & dignitate, ſi nihil aliud Canonicum obſtet; nam hoc prohibitum non eſſe in iure reſpondit conſulta *Sac.Congregat.Epiſc.19.Aprilis 1619.Monialibus de Oliuellà Vliſſipponen.Diœc.*

52 Aetatis ſit annorum quadraginta,& in profeſſione ſit per annos octo, & ſi in huiuſmodi ætate nulla inueniatur,ſaltem ſit annorum triginta ætatis, & quinque profeſsionis,præuio noſtro aſſenſu,*iuxtà Decr.Trident.ſeſſ.25.cap.7.de Regul.* & annos prædictos quadraginta ætatis, & 8. profeſſionis, ſufficit eſſe inceptos,trigeſimum verò,& quintum debent eſſe completi, *vt ibi Tridènt.*

53 Huiuſmodi ætas datur pro forma; vndè ſi in Monaſterio adſint Moniales perfectæ ætatis,non tamen idoneæ ad gubernium, & proindè conſultiùs videretur eligere minorem ætate,ſed magis idoneam ad regimen, electio eſſet nulla, *vt declarauit Sac.Congreg.Concil. 16. Maij 1623.*

54 In ſuffragijs electionis Abbatiſſæ concurrere oportet duas partes numeri Monialium,niſi in Monaſterio adſit alia conſuetudo eligendi, quàm ad nos referant in facti contingentia. Et ſi Moniales in electione fuerint diſcordes, ad nos ſpectat præfigere terminum ad inter ſe concordandum de electione facienda,quo elapſo,& electione non facta,ad nos deuoluet electio,ſiuè nominatio Abbatiſſæ, *vt declarauit Sac.Congreg.Epiſc.20.Nouembris 1585. & 12. Octobris 1592. in Cremonen.*

55 In electione Abbatiſſæ, dùm recipiuntur ſuffragia Monialium,non impediendum eſt intrà clauſuram, ſed vota ſingularum audienda ſunt ante feneſtrellam cancellorum,ſeù ante crates, *iuxtà Decretum Trident.ſeſſ.25.cap.7.*& hoc ſeruandum eſt,etiam ſi qua Monialis ſit ægrota, vt ad crates non poſſit accedere. Et qui vota recipit nullo modo partes ſuas in perſuadendo, vel conſulendo adhibeat in fauorem, aut excluſionem alicuius, ſed ſimpliciter vota recipiat, quamuis Moniales ſint diſcordes, & deindè calculo facto publicet habentem duas partes votorum, & requiſita *Concil.Trid. iuxtà Decret.Sac. Congreg. Concil 24.Maij 1621.*

56 Si electio Abbatiſſæ ſit facienda in Monaſterijs ſubiectis Regularibus,tunc nobiſcum, vel cum noſtro Officiali, aut alia perſona deputata ad recipiendum ſuffragia,interueniat Superior Regularis;*ex Conſtit.Gregor.XV.de priuileg.exèpt. quæ incipit. Inſcrutabili, &c.* vndè contingente caſu vocationis ille Superior Regularis tenetur ad nos per litteras ſignificare, & expectare terminum competentem præfigendum à nobis ad intereſſendum, vel deputandum aliquem nomine noſtro intereſſe. Quòd ſi nobis non vocatis, vel termino non expectato, ille Superior ſuper tali electione facienda ad aliquid faciendum procedere præſumpſerit,à nobis erit opportunis modis puniendus facultate nobis attributa *à Sac. Congreg.ſuper declaratione eiuſdem Conſtitut. Gregorij in reſolut. dub.15. de anno 1626.*

57 Si electio Abbatiſſæ fiat non per vota ſecreta,ſed publica,etiam ignoranter,nulla erit, nec Epiſcopus poteſt diſpenſare,aut illam conualidare, *vt decreuit Sac.Congreg.*

58 Epiſco-

58 Epiſcopus in recipiendis votis, ſeù ſuffragijs Monialium pro electione Abbatiſſæ, poteſt ſecum aſſumere aliam perſonam ſibi benè viſam, & vota oretenus expreſſa audire.

59 In deputatione Cōfeſſariorū pro Monialibus ſequentia ſtatuimus. In Monaſterijs ſubiectis Regularibus, ſi Regulares ipſi negligentes fuerint in deputatione Confeſſarij: nos deſtinabimus Confeſſarium extraordinarium ſecularem, vel Regularem vigore Decreti *Sac. Congreg. Epiſc.* 30. *Decembris* 1631.

60 Confeſſarij ordinarij per triennium tantummodo deputentur etiam in Monaſterijs ſubiectis Regularibus, neque vltra prorogari poteſt eorum Officiū ſine licentia *Sac. Congregat. vt declarauit ead. de anno* 1593. *die* 15. *Februarij.*

61 Parochi, & alij curam animarum habentes, ne eorum cura impediatur, non deputentur nam prohibuit *Sac. Congreg. Epiſ.* 10. *Aprilis* 1615. neque aſſumantur Regulares, niſi in caſu neceſſitatis Sacerdotum ſecularium, *vt ead. Congreg.* 1. *Octobris* 1602.

62 Extraordinarij deputentur bis, aut ter in anno pro toto Monaſterio, non autem pro determinatis perſonis, *vt eadem Congreg.* 15. *Februarij* 1593.

63 Confeſſarij omnes, tàm ordinarij, quàm extraordinarij deputandi in Monaſterijs, etiam exemptis, erunt approbandi à nobis per examen, *ex Conſtit. Greg. XV. ſupra relata*, & ſi aliter ab alijs deputati fuerint, à nobis in vim eiuſdem Conſtitut. amouebuntur.

64 Quando à nobis deſtinatur Confeſſarius extraordinarius, & ille fungitur Officio ſuo: non accedat ordinarius ad audiendas confeſſiones Monialium, ſub pœna ſuſpenſionis; ſed Moniales omnes eidem extraordinario confiteantur.

65 In caſu neceſſitatis Confeſſarius, etiam de ſero, & dato ſigno pro *Aue Maria*, poteſt ingredi ſepta ad Sacramenta miniſtranda, *vt decreuit Sac. Congreg. de anno* 1593. tamen non debet ingredi ad audiendam confeſſionem illius infirmæ, quæ aliquo modo poteſt accedere ad locum communem confeſſionis, *vt eadem Congreg.* 13. *Septembris* 1583. neque idem Confeſſarius poteſt ingredi, vt concitetur Medicos, & Operarios; neque prætextu ſepeliendæ Monialis mortuæ, vel Officium ſuper illam agendi intra clauſuram, quod Officiū extra ſepta eſt agendum, & illi præeſſe debet Confeſſarius, non Parochus, *vt declarauit Sac. Congregat.* 7. *Ianuar.* 1603. neque poteſt ingredi pro aſpergendis cellis in *Sabbato Sancto*, *vt ead.* 7. *Septembris* 1596. Idem poſt confeſſionem auditam, vel collatam Euchariſtiam, aut extremam vnctionem ægrotæ, & anima eius Deo commendata, & hortata ad benè moriendum, de clauſura egrediatur, & alijs Monialibus curam aſſiſtendi ægrotæ demandet, *vt iuſſit Sac. Congreg. Epiſ. de anno* 1583. *die* 13. *Septembris*, & in his ſemper adſit licentia.

66 Moniales ſaltem ſemel in menſe, & in omnibus feſtis ſolemnibus confiteantur, & ſacrā ſumant Euchariſtiam, quod facient frequentiùs, ſi præcipiatur in Conſtitutionibus, & regulis ſui Monaſterij, aut laudabilis conſuetudo vigeat.

67 Pro labore Confeſſarij non detur victus quotidianus, ſed potiùs aliqua

detur.

determinata ſumma pecuniæ ex prouentibus ipſius Monaſterij, vt præcipit *Sac. Cong. Epiſc. die 22. Auguſti 1605.* neque ad hanc mercedem contribuatur aliquid à particularibus Monialibus, nec ab ipſo Confeſſario recipiatur, etiam ſponte datum, ſub pœna reſtitutionis dupli, & alijs reſeruatis, nam hoc prohibuit *eadem Congregat. 29. Nouembris 1605.*

68 Confeſſarius approbatus pro vno Monaſterio, non poteſt confeſſiones audire in alio. Item, qui eſt approbatus pro vna vice, non poteſt deinde audire ſine noua licentia confeſſiones earumdem Monialium, *vt declarauit Sac. Congreg. ſuper allegata Conſtit. Gregor. XV. ſuper dubio 10. & 11. de anno 1623.*

69 Regulares approbati à nobis ad confeſſiones, non poſſunt audire Moniales, etiam ſibi ſubiectas, ſed egent ſpeciali approbatione ad hoc, *vt eadem Congreg. in citata Conſtit. ſuper dub. 6. 7. & 8. nam confeſſiones eſſent nullæ, vt eodem dub. 8.*

70 Quando ex rationabili cauſa nobis bene viſa amouebimus aliquem Cõfeſſarium, vel adminiſtratorem in Monaſterijs Monialium Regularibus ſubiectis, quoties opus eſſe iudicauerimus, monitis anteà Superioribus eiuſdem Monaſterij, vt tales amoueant, non opus erit declarare cauſam, cur talem aſſumptionẽ procuremus, cùm illam noſtro Iudicio, & conſcientiæ omninò remittat *Sac. Congreg. in eadem Conſtit. ſuper dub. 12.*

71 Et ſi ipſi Regulares delinquant circa perſonas degẽtes intra ſepta Monaſterij, vel in alijs ſpectantibus ad clauſuram, noſtræ iuriſdictioni in punitione illos remittit *ibidem Congreg. in dub. 13.*

72 Si qua Monialis energumena ſit exorcizanda à Confeſſario, requirenda erit licentia Sedis Apoſtolicæ, vt exorcizetur in Eccleſia exteriori, clauſis Ianuis, & præſentibus honeſtis mulieribus conſanguineis, *vt decreuit Sac. Congreg. Epiſc. 1. Iulij 1606.*

73 Si Monialis defuncta ſit ſepelienda intra clauſuram, ſepeliatur ab ipſiſmet Monialibus; ſin autem humanda erit in Eccleſia exteriori, afferatur cadauer ad portam clauſuræ, & indè deportetur ad Eccleſiam, *vt mandauit Sac. Congreg. 13. Septembris 1583.* & reliquiæ alicuius Monialis beatificatæ, ſeu alias venerandæ non intra ſepta, ſed in exteriori Eccleſia aſſeruari debent, *vt decreuit Sac. Congreg. in Fauentin. 7. Martij 1617.*

74 Nullus cuiuſuis ſtatus, conditionis, & dignitatis exiſtat vtriuſque ſexus poteſt ingredi Monaſteria Monialium ſine debita licentia, alioquin excommunicationem eo ipſo incurret; *vt in Decreto Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regul. & Conſtit. Greg. XIII. incip. Dubijs de anno 1575. die 24. Iunij,* in qua reuocantur omnes licentiæ: *& ex alia Conſtit. eiuſdem, incip. Vbi gratiæ. eod. anno,* in qua ampliatur prohibitio, & extenduntur pœnæ, etiam ad habentes licentias, niſi in caſibus neceſſarijs illis vtantur. Inſuper *Paulus V. in Conſtit. Monialium. de anno 1612. die 10. Iulij, & Vrbanus VIII. in Conſtit. Sacroſanctum; de anno 1624. die 27. Octobris,* licentias nullas eſſe, etiam concedendas.

das, non accedente conſenſu Monialium capitulariter per vota ſecreta habito: quod intelligendum eſt de licentijs ſimpliciter concedendis alicui ad ingrediendum pro libito, non autem pro ingreſſuris in caſibus neceſſarijs.

75 Neque hoc permiſſum eſt ipſis fundatoribus, vel dotatoribus ex quocumque capite, & Indulto, ac Priuilegio per generalem reuocationem Pauli V. Quinimmò *Sac.Congregat.in Bononien.die* 31.*Ianuar.*1617.declarauit in nullo caſu quantumuis neceſſariò permitti poſſe mulieribus ingredi, cùm ſit ſpecialiter prohibitum.

76 Vndè non poſſunt intra clauſuram immitti etiam infantes pueri, & puellæ per Rotam Monaſterij,etiam ad breue tempus ad inſtantiam Monialium conſanguinearum, nam prohibuit *Sacr. Congregat. Epiſc.de anno* 1583. *die* 12.*Februarij.*

77 Imò neque Superiores ipſi ordinarij poſſunt ingredi extrà caſus viſitandi clauſuram, veluti in electione Abbatiſſæ velleat ingredi ad recipienda vota, vel pro examine Monialium faciendo,nam hęc exequenda ſunt ad crates,ſub pœnis,& cenſuris Sacrorum Canonum,& ſignanter *Conſtit.Gregor.XIII.& ita declarauit Sac.Congregat.in vna Syracuſana* 16.*Octobris* 1600.

78 Vbi eſſet conſuetudo introducendi puellas habitum ſuſcepturas per biduum,aut triduum ante ſuſceptionem, tolerari poſſe decreuit *Congregat. Epiſc.* 12. *Iunij* 1594.

79 Medici, & Chirurgi in caſibus neceſſarijs poſſunt ingredi cum licentia, etiam de ſerò,vt declarauit eadem *Congregat. de anno* 1593.

80 Qui curam habent ipſius Monaſterij neque ingredi poſſunt extra caſus neceſſitatis, *iuxtà diſpoſitionem eiuſdem Conſtit. Gregor. XIII.*

81 Licentias concedere in caſibus neceſſarijs ingredi clauſuram, & alloqui cum Monialibus,ad nos ſpectat,etiam in Monaſterijs ſubiectis Regularibus; & quamuis *Sac.Congreg.Epiſc.& Regul.de anno* 1610.*die* 13.*Nouembris.* ſtatuiſſet tales licentias concedendas eſſe inſimul ab Ordinarijs locorum, & à Superioribus Regularium. Attamen ob plures difficultates ſubortas, negotio iterum relato in *Sac.Congregat. & delato ad Sanctiſſimum Dominum Vrbanum VIII. viuæ vocis oraculo* ab ipſo habito, *eadem Sac. Congregat. de anno* 1630. *die* 21. *Maij* declarauit, licentias huiuſmodi non eſſe petendas à Superioribus Regularibus in locis, vbi eſt conſuetudo illas petendi ab Epiſcopis, & tales licentias Ordinariorum ſufficere, priuatiuè quoad Regulares; quam conſuetudinem ſemper obtinuerunt, & obtinent Epiſcopi huius Diœceſis in Monaſterio Monialium Sancti Iacobi terræ Iohæ.

82 Licentiæ conceſſæ ſuffragantur in caſibus neceſſarijs in illis expreſsis, & non vltra; alioquin ingredientes incurrent in cenſuras,& pœnas ſupradictæ *Conſtit. Gregor. XIII.*

83 Concedendæ erunt pro caſu ſpeciali, non generales, & in ſcriptis, non oretenus, alias nullæ ſunt, & incurrunt in pœnas illis vtentes.

84 Niſi caſus ſit valdè vrgens, vt dictum eſt de Confeſſario, Medico, Chi-

rurgo,& ſimilibus; nam huiuſmodi caſus per epicheiam excipiuntur.

85 His præcipuè perſonis regulariter concedendæ ſunt licentiæ. Medico in caſu neceſſitatis,nec ſine duobus ſocijs de familia, & idem de Chirurgo,& Tonſore. Baiulis, Geruli, Agaſonibus,fabricentibus, lignatoribus,& alijs operarijs, quibus licentiæ ſunt renouandæ ſingulis trimeſtribus, *vt decreuit Sac. Congregat. de anno* 1588. *die* 28. *Maij.*

86 Monialis quæcumque profeſſa non poteſt egredi de clauſura,quouis prætextu,etiam ad breue tempus,niſi ex legitima cauſa à nobis approbanda,ſub pœna excommunicationis ipſo facto, vt ſtatuit *Concil.Trident ſeſſ.*25.*cap.*5.*de Regul.* abſolutio reſeruatur Papæ *per Conſtit. Pij V. de anno* 1569 *incip Decori,& honeſtati*; in qua declarantur cauſæ legitimæ concedendi nempè magna incendia,lepræ,epidemiæ,& morbi contagioſi,quæ etiam cauſæ non paſſim, niſi vrgentes,non ſunt admittendæ, & hoc intelligendum erit, etiam in Monaſterijs exemptis; & ſi licentiæ concedantur ſine cauſa concurrente, tunc tam dantes, quàm recipientes, & vtentes, ac receptantes egreſſas ſunt excommunicati in eadem *Conſtit. Pij V.*

87 Monialis profeſſa non eſt transferenda de vno ad aliud Monaſterium nouiter erectum,pro inſtructione,& norma, ſiuè regulari diſciplina, ſine licentia, & aſſenſu Sedis Apoſtolicæ, *vt decl. Sac. Congregat.Conc.*27. *Maij* 1603.*&* 10. *Aprilis* 1615.& tunc Monialis tranſlata ad aliud Monaſterium de licentia Papæ, non poteſt illuc transferre fructus dotales, *vt decreuit Sac. Congregat.Epiſc.* 9. *Octobris* 1618.

88 Non erit iuſta cauſa egrediendi pro habenda cura nepotum pupillorum, *vt Sac.Congreg.*17. *Decembris* 1617. non etiam ad breue tempus pro viſendis parentibus, *ibidem Congregat.* non licet egredi portam clauſuræ pro claudenda porta exteriori, *vt in Conſtit.Gregorij XIII.incip.Deo Sacris, &c.* neque Conuerſæ poſſunt exire pro ornandis Altaribus Eccleſiæ exterioris, vt prohibuit *Sac. Congr.de anno* 1592.*die* 27. *Octobris*; & ſi qua Monialis egrediatur, etiam in caſibus permiſſis à Monaſterio regularibus ſubiecto cum licentia illorum, à nobis erunt punien di, tàm Monialis egreſſa,quàm Regulares licentiã concedẽtes.

89 Quo verò ad viſitationem clauſuræ, dicimus ad nos ſpectare viſitationem omnium,& quorumcumque Monaſteriorum Sanctimonialium in noſtra Diœceſi exiſtentium,tàm ſi ſint ſub clauſura, quàm ſine illa, & tàm ſi dicta Monaſteria ſint ſubiecta nobis tanquam Ordinario, quàm ſi ſubiaceant Regularibus; ea quæ in clauſura,& extrà viſitare poſſumus,& neceſſaria,ac opportuna ſtatuere,ſine aſſiſtentia,& irrequiſitis ipſis Regularibus,vt declarauit *Sacr. Congregat. Epiſc* 25. *Iunij* 1596.*& Congregat. Concil.*17 *Iulij* 1597. *& in Vercellen.* 22. *Aprilis* 1617. etiam ſi eadem Monaſterio nunquam anteà fuiſſet viſitata, vt eadem *Congregat. eodem anno* 1617. *die* 24. *Nouembris*; & hoc facere poſſumus toties,quoties expedire viſum erit,& interrogare Moniales ipſas exemptas de pertinentibus ad clauſuram, vt eadem *Congregat.* 25. *Febr.* 1583. & pro his exequendis in Monaſteriorum ingredi, *vt eadem* 28. *Aprilis* 1584. Et ſi fortè comperiamus

riamus ipſos Regulares in aliquo deliquiſſe circà clauſuram, à nobis erunt puniendi, vigore ſuprà citatæ *Conſtit. Greg. XV. Inſcrutabili &c.* Præterea ſi Moniales recuſauerint viſitari, & alij ad quos ſpectat renuant portas aperire, poſſumus iubere Ianuas effringendas, & recuſantes, tamquam turbantes in noſtra iuriſdictione exercenda, excommunicare, *vt eadem Congregat.*

90 Imò, ſi Monaſterium ſit ſubiectum Apoſtolicæ Sedi, viſitare poſſumus tāquam Sedis prædictæ Delegatus, *vt in Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 9.* & ſi ſit alteri Epiſcopo ſubiectum, non debet illud idem Epiſcopus tamquam Abbas viſitare, ſed ad nos ſpectat, *vt Sac. Cong. ſuper eodem Dec. Concil. declarauit.*

91 Nulli cuiuſuis ſtatus, & conditionis exiſtat vtriuſque ſexus liceat alloqui cum Monialibus etiam exemptis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda à tranſgreſſoribus, cuius abſolutionem nobis reſeruamus, vigore *Decreti Congregat: Concil. 26. Iunij* 1627. imò alloquentes cum Monialibus exemptis contra hanc noſtram Conſtitutionem à nobis etiam in foro exteriori puniendi erunt, *vt decreuit Sac. Congreg. Concil die 8. Auguſti* 1621.

92 Hanc ipſam pœnam extendimus ad mittentes litteras amatorias, & laſciuas, & etiam nuncia oretenus de rebus impudicis: nec non ad prædicta mediatores, nuncios, & litterarum delatores.

93 Has Conſtitutiones pœnales ſuper allocutione prohibenda in quolibet Monaſterio Monialium, etiam exempto, aut Regularibus ſubiecto, emanare, & trāſgreſſores punire ad nos ſpectare, priuatiſúe quoad alios Superiores, & Regulares, *declarauit Sac. Congreg in vna Camerinen.* 21 *Febr.* 1617.

94 Licentię concedantur in ſcriptis, aliàs nullæ erunt ſi oretenus dentur; & ſic ſcriptæ præſententur Abbatiſſæ, à qua ſeruentur, & in aliquo ſpeciali libro regiſtrentur, vt nobis in viſitatione exhiberi poſſint.

95 Patres, Matres, & fratres Monialium poſſunt alloqui ſine licentia, dummodò non ſit in diebus prohibitis, *vt decreuit Sac Congreg. Epiſ.* 15. *Ianuar* 1616. & tempora prohibita ſunt Ieiunia, Quadrageſima, & Aduentus, dies communionis, & quando diuina officia celebrantur, niſi neceſſitas vrgeat.

96 Regulares cuiuſuis Religionis, & Inſtituti prohibentur accedere ad quæuis Monaſteria Monialium pro allocutione ſine licentia *Sac. Congregat.* ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & Officiorū, *vt declarauit ead. Sac. Congreg. de mandato Sixti V. de anno* 1590. *die 7. Maij:* quod ipſum intelligendum eſt etiam in Monaſterijs exemptis, & ſubiectis eiſden Regularibus, vt non poſſint alloqui cum Monialibus eorumdem Monaſteriorum, niſi Prouinciales, & alij Superiores, qui etiam non indifferenter, ſed cum Monialibus ſibi ſubiectis duntaxat alloqui poſſunt, *vt declarauit Sacr. Congreg. in vna Mediolanen. de anno* 1593. *& eadem in Ripan. de anno* 1617. *die* 1. *Septembris* declarauit Vicarium Monaſterij Regularium alloquentem cum Monialibus, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, incidere in pœnas in decreto generali contentas, niſi ipſe Vicarius in abſentia Prioris, illius vices geſſerit.

97 Idem decretum *Sac. Congregat.* extendit ad Equites, & Religioſos Sancti Io-

& Ioannis Hieroſolymitani,*vt reſcripſit Vicario Generali Neapolitan.* 28. *Ianuarij* 1603.

98 Quinimmò ſi Regulares prædicent in Eccleſijs exterioribus Monialium, cum eiſdem colloqui prohibentur, *vt eadem Congregat. in decretis ſuprà citatis*.

99 A quibus pœnis non poſſunt Regulares ipſi ſolui, neque habilitari, niſi à Sede Apoſtolica, & *à Sac. Congreg. vt declarauit eadem die* 22. *Auguſti*, & 7. *Septembris de anno* 1603. & vltrà pœnas peccant mortaliter, *vt eadem die* 1. *Iulij* 1606.

100 Præterea vltrà pœnas fori interioris, ijdem Regulares accedentes ad loquendum cum Monialibus etiam exemptis, puniendi erunt à nobis etiam in foro externo tãquam Delegato Sedis Apoſtolicæ, quaſi delinquẽtes in rebus ſpectantibus ad clauſuram, *iuxtà declarationem Sac. Congreg. ſuper Conſtit. Gregorij XV. in reſponſ poſt dub.* 13. & ſic etiam ſi mittant ad eaſdem litteras ex identitate rationis, *& ex Decr. Cong. de anno* 1605. *die* 22. *Auguſti*.

101 Si quis autem Regularis cupiat alloqui cum Moniali ſua conſanguinea, debet recurrere ad nos pro licentia; nam iuxtà *Decr. Sac. Congreg. Epiſc. editum iuſſu Vrbani VIII. de anno* 1623. concedere poſſumus, vt ter, aut quater ad ſummum in anno, Regulares alloqui poſſint cum Monialibus ſibi coniunctis in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis duntaxat: & ſub his conditionibus, puta, quòd non ſit in feſtis de præcepto, neque in Aduentu, Quadrageſima, Ferijs ſextis, Sabbatis, Vigilijs, & tempore cõmunionis; cum aſſiſtentia Confeſſarij illarum, & Moniali auſcultatrice,& cum aſſignatione diei, & horæ. Quæ licentiæ erunt concedendæ in ſcriptis, & regiſtrandæ in libro, nec illas concedere poſſunt Vicarij Monialium.

102 Confeſſarij ordinarij, & extraordinarij tempore ſui Officij, quamuis in Decreto *Sac. Cong. emanato de anno* 1590. comprehendantur inter perſonas priuilegiatas alloquendi, etiam ſi ſint Regulares; attamen ex alio Decreto *de* 1617. *die* 21. *Febr. eadem Congregat.* reſcripſit Epiſcopo Nolano fuiſſe reſolutum, quòd tàm Confeſſarius, quàm eius ſocius non poſſit alloqui, ſine licentia extra confeſſiones, & occaſiones miniſtrandi Sacramenta.

103 Epiſcopi etiam, extra ſuam Diœceſim, non poſſunt alloqui cum Monialibus, ſine licentia Superiorum eorumdem Monaſteriorum, *vt decr. Cong. de anno* 1631. *die* 10. *Maij*.

104 Neque Subcollectores ſine licentia, aliàs declarentur excommunicati, *vt ead. de anno* 1628. *die* 13. *Maij*.

105 Nullus ſub eadem pœna excommunicationis accedat ad Monaſterium pro edocendis Monialibus cantum, vel ſonum cimbali, &c.nam prohibuit *Sac. Congreg. die* 13. *Septembris* 1603. *etiam ſi ſit ad crates*.

106 Prohibemus in eiſdem Eccleſijs Monialium cantum, etiam ſimplicem, perſonarum ſecularium, vt prohibuit *Sac. Congreg. de anno* 1584. *& in* 1593. ipſę tamen Moniales non prohibeantur canere in Miſſis, & Diuinis Officijs, ſi

inſtituta

inſtituta ſuæ Religionis cantum admittat, *vt eadem Congreg. declarauit die 8. Febr. & 30. Martij de anno* 1594.

107 Quo demum ad leges communes inter Moniales ſeruandas, prætetpoſitas in prætetitis Synodis, ſequentes etiam adijcimus. In refectorio communi comedant, & in communi etiam loco laborent, non ſeparatim, *vt præcipit Sac. Congregat. de anno* 1603. *die* 5. *Auguſti*.

108 Recteationis cauſa, vt aiunt, præcipuè tempore Bacchanalium, & carniſpriuij, non incedant laruatæ, non mimos exerceant, & actus ſceticos, non deferant veſtes viriles, aut ſeculares, vel arma, ſub pœna ptiuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ per annum, *iuxtà Decr. Sac. Congreg. Epiſcop. de anno* 1604. *die* 17. *Aprilis*, & hoc etiam in Monaſterijs exemptis, *vt ead. eodem anno die* 27. *Aprilis Ferrarien.*

109 Cibos non coquant, neque parent, aut paſtillos, & quæuis alia exculenta exteris, ſub pœnis nobis teſeruatis: neque belcaria, & dulciaria mittant, ſeù vendant, niſi quædam parui momenti conſanguineis, & coniunctis officij cauſa nam hæc prohibuit *Sac. Congregat. Concil. die* 1. *Iulij* 1606.

110 Eleemoſynas per rotam non faciant, ſed alio modo pet perſonas exteriores; neque priuatim id efficiant, nihil enim proptij, vt ſingulæ poſsident.

111 Bona omnia retineant ſub tirulo communitatis, & ad diſpoſitionem ſuorum Superiorum, à quibus in illis ad tempus tantùm eiſdem concedetur vſus, ſicut expedire videbitur. Et ſi qua in hoc deliquerit, ceù ptoprletaria per bienniū voce actiua, & paſsiua priuata exiſtat, *ex Decreto Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regular.*

112 Victualia, & pecuniæ retineantut à Procutatotibus, & adminiſtratoribus, non ab ipſis Monialibus, nam plerumque ſolent ab eiſdem dilapidati, diſtrahi, & expendi in vſum non neceſſarium. Procuratores tamen de expenſis omnibus quamuis neceſſarijs conſilium Abbatiſſæ perquirant, & eidem de illis omnibus notam conſignent; quinimmò conficiantur duo libri conſimiles accepti, & expenſi, quorum vnum Procurator, altetum verò Abbatiſſa retineant.

113 Procuratores, Protectores, Adminiſtratores, Medici, Aduocati, Tonſores, & alij quicumque Officiales, & Miniſtri non admittantur ad exercitium ſui officij ſine noſtra approbatione, etiam in Monaſter js ſubiectis Regularibus, quemadmodum declatauit *Sac. Congreg. Epiſc.* 22. *Auguſti* 1605. & Procuratores quolibet triennio erunt mutandi, *vt eadem Congreg.* 31. *Iulij* 1615.

114 Debebunt teddere computa coram nobis, vel noſtris tationabilibus anno quolibet, vt prætet decreta alias allegata, *habetur in Conſtit. Gregor. XV. Inſcrutabili, &c.* ſæpè allegata. Et ſi ſint Monaſteria ſubiecta Regularibus, adhibendus erit quoque deputatus Regulatis.

115 Regulares ipſi non poſſunt eſſe Procutatotes Monialium, nam prohibuit *Sac. Congregat. Epiſc.* 22. *Auguſti* 1615.

116 Si Moniales alicuius Monaſterij, ob magnā penuriam, & chatitatem annonæ, ſiuè ob ingens æs alienum Monaſterij ipſius, poſitæ ſint in extrema ægeſta-

te

te etiam victus, & veſtitus. Tunc in ſubſidium cogendi erunt parentes, & conſanguinei vſque ad ſecundum gradum reſpectiuè, ad illis ſubueniendum, vt præcipitur *in Conſtit. Gregorij XIII. de anno* 1563. *die* 21. *Ianuarij incip. Deo Sacris, & in Decr. Sac. Congreg. Epiſc. in anno* 1592.

117 Quamuis ad ſubleuandas ægeſtates, & neceſsitates Monaſteriorum, & pro ſeruitijs illorum commodè ſupportandis *Pius V. de anno* 1566. *die* 29. *Maij* conceſſerit poſſe deſtinari aliquas honeſtæ vitæ mulieres, nuncupatæ Conuerſæ, ſiuè Tertiariæ non profeſſæ degentes in domibus contiguis Monaſterijs ad quæritandas eleemoſynas pro victu neceſſario Monialium, & hoc item conceſſerit *Sac. Congregat. Epiſc de anno* 1615. *die* 14. *Aprilis*, cum his tamen conditionibus, quòd non ſint minores ætate annorum 40. non nimis pulchro aſpectu, ad tollenda ſcandala; non pernoctent extra clauſuram, & quòd ceſsante neceſsitate, ceſsent quoque à quæſtu.

118 Nihilominùs tales Conuerſas vagantes non profeſſas ſuſtulit, & prohibuit deſtinari *Gregorius XIII. in ſupra relata Conſtit. Incip. Deo Sacris. verſ. cæterum*. in qua Conſtit. adducit *Conſtit. Pij V.* & præcipit in poſterum non deſtinari huiuſmodi Conuerſas non profeſſas, ſed pro neceſsarijs ſeruitijs Monaſterij, & Monialium poſse recipi Conuerſas intra clauſuta, quæ profeſsionem emittant, & in clauſura permaneant, ſicut cæteræ Moniales, dotem ſoluant, & viuant de fructibus, & prouentibus eorumdem Monaſteriorum; atque vt commodiùs ſuſtententur, præcipit Ordinarijs, vt in quolibet Monaſterio deſtinent numerum Conuerſarum, ſiuè Tertiariarum recipiendarum, ſicut dictum eſt de numero Monialium. Et ſi ſupra numerum deſtinatum recipiantur aliæ, dicendæ erunt ſupernumerariæ recipiendæ cum dote duplicata; & quòd in Monaſterijs exemptis huiuſmodi præfixio numeri fiat ab Epiſcopo, cum interuentu Superioris Monaſterij. Ea propter nos inhærendo præfatæ *Conſtit. Gregor. XIII.* per hoc præſens Decretum, prohibemus omnibus, & ſingulis Monaſterijs huius noſtræ Diœceſis, etiam ſubiectis Regularibus, & vbi non eſt adhuc firmata clauſura; de cætero recipere, aut retinere huiuſmodi Conuerſas, ſeù Tertiarias non profeſſas vagantes extra clauſtra pro colligendis eleemoſynis. Quo verò ad alias Conuerſas profeſſas, & perpetuò degentes intra clauſuram, concedimus in Monaſterijs, vbi reperitur introducta conſuetudo illas recipiendi, & retinendi, poſſe recipi pro ſeruitio Monaſterij ad habitum, & ad profeſſionem intra clauſuram, cum dote conſueta, vſque ad numerum præfinitum, vel præfiniendum à nobis, vbi non erit præfinitus, & hoc etiam in Monaſterijs exemptis.

119 Pro eleemoſynis verò quæritandis, quando grauis neceſsitas vrgeat nobis ſignificetur, nam deſtinabimus perſonas pias, & fideles ad illas colligendas, etiam in locis intra Diœceſim.

120 Habeatur in quolibet Monaſterio Secretaria eligenda ex numero Monialium, quæ ſit idonea non ſolùm ad litteras miſſiles pro Abbatiſſa, ſed ad ſcribenda alia neceſſaria in Monaſterio, & ſignanter habeat libros particulares, in quibus adnotet ſequentia, videlicet: Conſultationes Monialium in dies faciendas

das pro recipiendis puellis ad habitum; ſuſceptiones habitus; Profeſſiones; dotes receptas, & in quibus emptionibus implicentur; obitus quarumcumque Monialium, cum annotatione dierum, & annorum. Deputationes, & electiones Officialium Monaſterij, Confeſſariorum, & ſimilium. Inuentaria mobiliũ, & vtenſilium Monaſterij. Librum diurnalem Introitus prouentuum, & eleemoſynarum, & expenſarum quotidianarum, qui fit conſimilis cum alio faciendo à Procuratore Monaſterij, ad euitandas fraudes.

121 Et quia regimen Monialium laborioſum opus eſſe dignoſcitur: eligemus in vnoquoque loco, vbi ſunt Monaſteria, aliquot viros pios, & prudentes Eccleſiaſticos in ſuperintendentes ad regimen prædictum, vt aſſiduè ſcrutentur, num in illo Monaſterio ſint aliqua emendanda; & ſi Officiales, & Procuratores, maximèque Vicarius illius Monaſterij in ſuo Officio ſe benè gerant; ſi ad Moniales ſint ſuperflui concurſus alloquentium, negotiantium, &c. & vbi reperiant aliquod emendatione, & correctione dignum, ad nos fideliter deferant.

De Poteſtate Epiſcopi in Regulares, & exemptos.

Titulus XXIX.

EFfrenatam quorumdam Heteroclitorũ Regularium licentiam, qui præter ſui nominis analogiam viuentes, & à recto Religionis tramite deuiantes, cæteris offendiculo eſſe, & ſcandala præbere ſolent: Sacroſanctum *Concil. Trid. & Apoſtolicæ Conſtit. ac* Sac. *Congreg. Cardinal.* retundere volentes; necnon Abbatum illorum, qui ſe exemptos appellando, & ordinariam quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos iuriſdictionem habere iactantes; ea quoque ſibi vſurpant, quæ Epiſcopalis ordinis, & iuriſdictionis, (priuatiuè quoad alios) propria ſunt; & ſic diuina humanis miſcentes omnia confundunt, & in Eccleſia Dei, & Miniſtris multa inconuenientia afferunt: ad tales corruptelas ſubmouendas, & ad Eccleſiaſticam iuriſdictionem, & diſciplinam ad rectam iuſtitiæ normam reducendam, multa Epiſcopis, intra quorum Diœceſeos fines aut limites Abbates ipſi exiſtunt, & Regulares degunt, ſuper eos in prorogationem poteſtatis, & iuriſdictionis, detulere. Quæ cùm ſint apud multos ſparſim relata, hic in vnam ſaltem practicabiliora adnotanda, & omnibus inſinuanda operepretium eſſe duximus.

2 Nullum Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, Collegium, vel Societas Religioſorum, etiam Mendicantium ædificari, & fundari poteſt, non concurrentibus requiſitis expreſſis *in Conſtit. Gregorij XV. de anno 1622. die 12. Auguſti, incipiente, Cùm alias. Et Decretis Sac. Congreg. iuſſu Vrbani VIII. de anno 1625. die 21. Iunij ſub tit. de celebratione Miſſarum incip. Cùm*

ſæpè

ſepè contingat. verſ. Deinceps. & ſignanter requiritur præcedere neceſſariò cõſenſum Epiſcopi Diœceſani; quod in illa noua fundatione nullum alijs afferatur præiudicium, & quod inibi ſuſtentari poſſint duodecim fratres de familia, idemq; habetur *in Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. de Regular.*

3 Quòd ſi duodecim ſuſtentari nequeant ex fructibus, prouentibus, eleemoſynis conſuetis, cum qualitatibus expreſſis in *verſ. Poſtremò &c.* eorumdem Decretorum, Monaſteria, & loca ipſa ſic ædificata poſt dictam *Conſtit.* & decreta, ſi in actu duodecim non inhabitent; eo ipſo intelligantur ſubiecta pœnis in dicto *verſ. Deinceps. appoſitis.*

4 Et hoc decretum nullum inſtitutum Religioſorum excludit, & includit etiã Capuccinos, & Ieſuitas, vt declarauit *ead. Congregat. in dubijs ſuper eiſdem Decretis, ad dub. 19.*

5 Domus, & Congregationes Religioſorum gregatim viuentium, ſi non habent ſuos Superiores generales, & viſitatores, neque ſunt ſubiectæ Congregationibus, & Capitulis generalibus, ſubduntur viſitationi Epiſcopi Diœceſani, *ex Decr. Conſil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 8. de Regular.*

6 Regulares omnes in noſtra Diœceſi habentes curam animarum ſecularium præter illas, quæ ſunt de propria familia, in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, noſtræ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni immediatè ſubiacent, *ex Decret. Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 11. de Regular. & Congregat Epiſc. & Regul. 6. Febr. 1627.* & in eoſdem curam adminiſtrantes nos eadem auctoritate vti poſſumus, quã in Parochos ſeculares vtimur, vt declarauit *Congregat. Concil. 18. Septembris 1625.*

7 Vndè in Monaſterijs prædictis à Superioribus eorum deputãdæ erunt particulares perſonæ ad curam animarum, & nobis præſentandæ, vt præuio examine, ſi idoneæ ſint, poſſint approbari adminiſtrationem Sacramentorum, ex diſpoſitione *Concil. Trident. cap. 11.* ſuprà relato vbi etiam diſponitur, non poſſe deputari perſonas nutu amouibiles, niſi de noſtro conſenſu, & approbatione. Excipiuntur tantùm loca, vbi degunt Generales Ordinum, & vbi Abbates habent omnimodam iuriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochia nos, vt idem *Concil. in citato cap. 11.*

8 Et ſi talis deputatur ad curam, & miniſtrationem Sacramentorum non ſit idoneus, præcipimus ſubrogari alium habilem à nobis approbandum, vt ex *Decr. Congregat. Epiſc. 11. Decembris 1584.*

9 Eodem prorſus modo ſubiacent noſtræ approbationi per examen Sacerdotes ſeculares miniſtrantes Sacramenta perſonis ſecularibus in locis, & Eccleſijs ſubiectis Sacræ militari Religioni Sancti Ioannis Hieroſolymitani, in omnibus, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent; *per Conſtit. Pij V. de anno 1571. die 22. Septembris, incip. Expoſcit.* & per aliam *Gregor. XIII. die 7. Ianuar. 1584. incip. Conſueuit.* quæ per alios Succeſſores Pontifices ſemper fuerunt innouatæ in confirmatione priuilegiorum eiuſdem Religionis, vt à nobis fuſiùs dicetur infrà.

10 Por-

10 Petrò per *Conſtit. Inſcrutabili*, alias relatam *Gregor. XV.* omnes, & quæcumque perſonæ Eccleſiaſticæ, tàm Regulares, quàm ſeculares quomodocumque, & qualitercumque exemptę, habentes curam animarum ſecularium, vel ſecularibus perſonis miniſtrantes Sacramenta, maximèque Sacramentum pœnitentiæ, quouis exemptionis priuilegio ſuffulti; non poſſunt eadem Sacramenta, nec aliquod ipſorũ miniſtrare perſonis ſecularibus etiam ſubiectis in hac noſtra Diœceſi, & in locis intra fines, & in finibus ipſius, ſine noſtra approbatione prævio formali examine; & quo ad hanc miniſtrationem, omnimodæ noſtræ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni ſubduntur, vt plenè in dicta *Conſtit. Gregorij*, & in declarationibus in ea factis per *Sac. Congreg.* habetur.

11 Item *Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. de anno 1627. die 6. Februarij*, declarauit Regulares exercentes curam animarum ſecularium, in his quæ curam prædictam, & miniſtrationem reſpiciunt, ſubiacere iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi Diœceſani, non obſtante *Breue Pij V. de anno 1567. die 27. Martij.*

12 Vndè ſi tales exempti in adminiſtratione delinquanto à nobis punientur, vt declarauit *Sac. Congregat. ſuper dicta Conſtit. Greg. XV. in reſponſ. ad dub. 1.*

13 Prætereà, vt refertur in titulo de Monialibus, corrigentur, & punientur à nobis quæcumque perſonæ exemptæ, & Regulares delinquentes circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa miniſtrationem bonorum Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, toties, & quando opus fuerit, neque ab hoc vllis priuilegijs, & exemptionibus ſe tueri poſſunt, *vt in eadem Conſtit. Inſcrutabili. Gregor. XV.* & hoc intelligendum eſſe in omnibus delictis, etiam non notorijs, habentur *in reſponſ. Sac. Cong. ad 13. dub. ſuper eadem Conſtit.*

14 Confeſſarij itidem ordinarij, & extraordinarij Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, vt dicitur in proprio titulo, ſiuè illi ſeculares, ſiuè Regulares fuerint, erunt à nobis approbandi, ſi per examen idonei reperiantur, & ſi ex rationabili cauſa noſtro iudiciò benè viſa, eoſdem indignos comperiamus, in Monaſterijs ſubiectis Regularibus poſſumus illos monere, vt remoueant, & ſi hoc facere detractauerint, nos eoſdem amouere poſſe, ſtatuit eadem *Conſtit. Gregor. XV. & in reſponſ. ad dub. 12.*

15 Eodem modo *in dicta Conſtit.* habetur de adminiſtratoribus bonorum Monaſteriorum Monialium, ſiuè ſeculares, ſiuè Regulares fuerint quomodolibet exempti, & Monaſteria ipſa etiam ſint Regularibus ſubiecta, vt ſingulis annis teneantur coram nobis cum interuentu Superioris Regularis de adminiſtratione rationem reddere, ad idque nos poſſe illos iuris remedijs cogere, & compellere, & ſi in adminiſtratione malè ſe geſſerint, admonere Superiores de illis remouendis, & ſi facere renuant, nos amouere poſſe, neq; teneri reddere cauſã, quare ad hoc moneamur, *vt in dicta Conſtit. & in reſponſ. dub. 12.*

16 Inſuper diximus in *tit. de Concionator.* nullum tàm ſecularem, quàm Regularem quantumuis exemptum poſſe prædicare ſine noſtra authoritate, nempè in Eccleſijs ſecularibus, vel Regularibus, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ſine noſtrà licentia, & deputatione eorum: Eccleſijs ſuis, vel ſuorum Ordinum ſine noſtra benedictione, vel nobis contradicentibus, & transgreſſores à nobis puniendos, vt in eadem *Conſtit. Gregor. XV.*

17 In quibus caſibus omnibus ſupradictis, & in vnoquoque illorum tranſgreſſores quantumuis exemptos, & perſonas quomodolibet delinquentes, quoties, & quando opus fuerit etiam extra viſitationem punire poſſumus, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, omnemque iuriſdictionem liberè exercere valemus, ex eadē *Conſt t. Greg. XV.*

18 Quinimmò hic pro regula generali notandum ponimus, quod vbicumq; Sacri Canones, Conſtit. Pontificiæ, & ſignanter *Concil. Trident.* in multis Decretis, maximè in *ſeſſ.* 25. *de Regular.* dat facultatem Epiſcopis ſuper Regulares, & exemptos: in caſibus expreſſis, poſſunt ipſi Epiſcopi tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati compellere eoſdem Regulares, & exemptos ad exequendum mandata, & decreta ab ipſiſmet Epiſcopis facta per iuris remedia, vt declarauit *Sac. Congreg. Concil. in vna Liman.* 19. *Septembris* 1625. *Item eadem Congreg. in Nebien. de anno* 1632. *die* 7. *Februar.* declarauit Epiſcopum poſſe per cenſuras Eccleſiaſticas compellere Regulares in omnibus caſibus, in quibus ſibi tribuitur iuriſdictio in Regulares à iure communi, *Concil. Trident. &c. Conſtit. Apoſtolicis.*

19 Epiſcopus Diœceſanus denunciat excommunicatum publicum, vt ab alijs euitetur Regularem exemptum, qui ob delictum notorium in cenſuras incidit, *vt declar. eadem Congregat. Concil.* 29. *Ianuarij* 1633. *in Liman. & antea de anno* 1621. *die* 24. *Maij.*

20 Præter eā, vt abundè dictum eſt in titulo de Sacram. Pœnitentiæ, nullus Sacerdos Regularis ſine Ordinarij Diœceſani approbatione per examen poteſt audire confeſſiones perſonarum ſecularium, etiam Sacerdotum *ex Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. & quoad hoc reuocata ſunt omnia priuilegia ante Concilū, vt declarauit *Sacr. Congregat. ſuper eodem cap.* 15. vndè ad nos in noſtra Diœceſi ſpectat approbatio etiam in locis exemptis, quia facultas approbandi tales Regulares ad confeſſiones non ſpectat ad alios inferiores Prælatos, quantumuis exemptos, *vt declarauit Sac. Congreg. ſuper Conſtit. Greg. XV. in* 4. *dub.* quamquam ipſi Prælati habeant territorium proprium, & iuriſdictionem quaſi Epiſcopalē. & in his comprehenduntur etiam Ieſuitæ, *vt Congregat. Conc.* 20. *Iulij* 1619.

21 Item *per Conſtit. Vrbani VIII. quæ incipit. Cùm ſicut, &c. de an.* 1628. *die* 12. *Septembris*, ſublata ſunt omnia priuilegia audiendi confeſſiones ſine tali examine, & approbatione; vndè approbati ſine examine poſſunt ſuſpendi, & examinari, vt quoque *declarauit Congregat. Epiſc.* 31. *Iulij* 1615. *in Vercellen.*

22 Quamuis Confeſſarij Regulares ſemel approbati, non debebant iterum ab eodem Epiſcopo examinari, niſi à ſucceſſore, ſi vellet, vigore *Conſtit. Pij V. de*

anno

anno 1571. *die* 22. *Auguſti, incip. Romani Pontificis, &c.* Tamen ſuper hoc *Sac. Congreg. Epiſc. & Regular. de anno* 1630. *die* 30. *Auguſti* multa decreuit, & ſignanter; quòd ſi Epiſcopus ſimpliciter, & abſque aliqua temporis præfinitione approbauerit Regulares ad Confeſſiones perſonarum ſecularium; poterit eoſdem approbatos, ſuperueniente cauſa concernente materiam confeſſionis illos ſuſpendere, & licentias reuocare. Item ſi Regulares ipſi ſcandaloſè viuant, vnde Epiſcopo videatur expediens illos à confeſſionibus ſuſpendere, poterit à tali exercitio illos repellere. Eademq; *Congregat. in anno* 1629. *die* 3. *Ianuarij* declarauit, quòd ſi Epiſcopus approbauit ad tempus præfinitum, eo elapſo indigent nouâ approbatione per nouum examen ſi eidem placuerit, ſin autem ſint approbati ſimpliciter, non poſſunt ab eodem reprobari, ſine noua cauſa confeſſiones concernente: quam tamen cauſam non tenetur Epiſcopus declarare ipſis Regularibus, ſed Sedi Apoſtolicæ, quando de ipſa interrogetur, *vt declarauit Vrbanus VIII. Epiſcopo Giennen. per Breue* 30. *Ianuar.* 1629.

23 Approbatio, & licentia data ad libitum, & beneplacitum concedentis, poteſt ab eodem quando placuerit, reuocari, ſi detur noua cauſa ad Confeſſiones pertinens, *vt declarauit Sac. Congregat. Epiſc.* 12. *Martij* 1619. eaque non reuocata expirat per mortem, vel amotionem concedentis. Quapropter in hac noſtra Diœceſi conſuetum eſt approbare eoſdem Regulares ad ſex menſes ad præſcriptum Decreti *Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. de an.* 1587. *die* 2. *Iulij*, & 1594. *die* 7. *Iunij.*

24 Approbati ab vno Epiſcopo, vel eius Vicario, erunt à Succeſſore iterum examinandi, & ſi videatur approbandi *ex Decr. Sac. Congregat. Concil. die* 5. *Februar.* 1618. *&* 30. *Ianuarij* 1629. *per Vrbanum VIII. in ſuprà relato Breui.*

25 Regulares ipſi, quamuis ſint Doctores, & graduati in Sac. Theologia, tenentur tamen ſe ſubijcere examini, vt approbari poſſint, tàm vigore *Conſtit. Pij V. incip. Romani, de anno* 1571. quàm *Clement. VIII. incip. Quæcumque, &c. de anno* 1604 *die* 7. *Decembris.*

26 Rurſus in eodem tit. de Pœnit. narratum eſt non poſſe Regulares vigore ſuorum Priuilegiorum abſoluere à caſibus reſeruatis Papæ, & Ordinarijs *ex Breui Clement. VIII.* & declarat *Sac. Congreg. de anno* 1601. *die* 9. *Ianuar. &* 1602. *die* 26. *Nouembris*, quæ decreta omninò ſeruanda præcepit *Congregat. Concil. de anno* 1617. *die* 4. *Decembris, & de anno* 1628. *die* 17. *Nouembris Congregat. Epiſc.* declarando in conceſſione caſuum Papalium, non comprehendi facultatem ad caſus Epiſcopales, niſi exprimatur.

27 Regulares approbati ad confeſsiones à ſuis Superioribus, non tamen ab Epiſcopo, quamuis poſsint audire confeſsiones Regularium ſui Ordinis, non obindè poſſunt audire ſeculares etiam Presbyter, & quamuis ſint inſeruientes ſuis Monaſterijs, niſi ſint de propria familia, & continui commenſales, *vt declarauit Leo X. in Concil. Lateranen. & Congreg. Concil.* 18. *Martij* 1594. neque poſſunt audire confeſsiones Tertiariorum vtriuſque ſexus, oblatorum, Conuerſorum, & ſimilium, qui non in Clauſtro, ſed domui ſuæ degunt, *vt Congreg. Epiſc.*

die 20. *Decembris* 1616. neque eiſdem in Paſchate poſſunt Euchariſtiam miniſtrare, vt eadem. Pari modò Sacerdotes ſeculares approbati non poſſunt audire confeſsiones Regularium, niſi tempore Iubilei, *ex Decreto Clementis VIII. de anno* 1599. *innouato ab Vrbano VIII. anno* 1630.

28 Iidem approbati non ſunt impediendi audire confeſsiones ægrotorum in proprijs illorum domibus, quando ad hoc vocantur; dummodò ipſa die confeſsionis factæ Parochus de illa certiores faciant, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſsionibus; *iux. Decr. Sac. Congreg. Epiſc.* 1. *Iulij* 1606. *& in vna Sinogallien.* 22. *Ianuar.* 1616.

29 Approbati ſimpliciter non poſſunt audire confeſsiones Monialium, vt in ſuo tit. ſtatutũ eſt, neque approbati pro vno Monaſterio, poſſunt audire Moniales alterius Monaſterij, *vt Sac. Congregat. ſuper Conſtit. Gregorij XV. in reſponſ. ad dub.* 9. *&* 10. imò neque ipſi Superiores Regularium poſſunt audire confeſsiones Monialium ſubiectarum, ſine deputatione Epiſcopi Diœceſani, *vt decreuit Congreg. Concil.* 13. *Nouembris* 1627.

30 Non approbentur pro certis tantùm perſonis, vel pro determinatis diebus, temporibus, & locis, *iuxtà Decretum Sac. Congreg. in reſponſ. ad dub.* 2. *Conſtit. Gregor. XV.* ſi namq; tamen in examine non reperiantur ſatis idonei, poterit eiſdem concedi facultas limitata, vt declarauit *Sac. Congreg. Concil.* 2. *Iulij* 1587.

31 Regulares præſumentes miniſtrare ſecularibus etiam Clericis Sacramenta extremæ Vnctionis, & Matrimonij, ac etiam Euchariſtiæ in die Paſchatis, ſine licentia Parochi, vel noſtra, incurrunt in excommunicationem *Clement. Religioſi, de Priuileg.* & ſic incurſi, à nobis ſunt declarandi publici excommunicati, vt habetur ibidem. Quam licentiã extra caſus neceſsitatis non concedant Parochi; nam prohibuit *Sac. Congr. gen. Conc. de anno* 1619. *die* 2. *Martij.*

32 Prohibetur per ſacros Canones Regularibus eſſe patrinos, tàm in baptiſmate, quàm in confirmatione, *vt Can. Non licet. de conſec. diſt.* 4. *& Can. Peruenit.* 18. *q.* 2 neque poſſunt baptizare, ſine noſtra licentia, *vt Can. Placuit communi,* 16. *q.* 1. & quamuis *Can. Doctos, & Can. Ex auctoritate* ibidem permittãt, hoc tamen intelligendum eſt, cum licentia.

33 Non poſſunt Regulares, vt alibi diximus, exponere Sanctiſsimum pro oratione quadraginta horarum abſque noſtra licentia, & cauſa cognita, quæ debet eſſe publica, vt declarauit *Sac. Congregat. Epiſc.* 27. *Maij* 1603. *&* 17. *Auguſti* 1630. aliàs ſi cauſa non ſit publica, tunc Euchariſtia non extrahatur à Tabernaculo ſuper Altare, & hoſtia ſit velata, ne videatur, *vt Sac. Congreg. in citato Decreto, & etiam de anno* 1615. *die* 14. *Aprilis.*

34 Non poſſunt iidem Regulares proceſsionaliter eandem Sacram Euchariſtiam geſtare extra ambitum ſuarum Eccleſiarum, præcipuè in Feſto Corporis Chriſti, & in feria quinta in Cœna Domini; & tantò minùs per limites, & iuriſdictiones Parochiarum, quam hoc expreſsè prohibet *Sac. Congregat. Rit. in Aretin.* 12. *Decembris* 1613. item 28. *Auguſti* 1615. *&* 17. *Februar.* 1617. Fratres tamen Dominicani id efficere poſſunt per *Breue Clement. VIII.* per vicos, & pla-

teas eligendas, quæ ſemel electæ mutari non poſſunt, *vt Congreg. Rit. 14. Nouembris 1615. & 10. Iulij 1619.*

35 Imò neque ſine Sacramento poſſunt facere Proceſſiones abſq; noſtra licentia extra Clauſtra, vel ad ſummum extra ambitum ſuarum Eccleſiarum, quod prohibuit *Congreg. Rit. 19. Maij 1614. & 12. Iulij 1620. & plenè in Limaur. 15. Decembris 1632.*

36 Porrò tenētur ipſi Regulares (niſi ſpeciale priuilegiū exēptionis habeant) conuenire ad aſſociandum publicas Proceſſiones Cleri ſecularis *iuxtà Decretū Concil. Trident ſeſſ. 25. cap. 13 de Regular.* & ſi vocati renuant, poſſunt à nōbis compelli per cenſuras, *vt declarauit Sac. Congregat. Rit. 24. Septembris 1605. item 27. Iulij 1609 & 15. Maij 1610. item 14. Iulij 1615.* & tenentur accedere cum numero decenti reſpectiuè ad familiam cuiuſq; Monaſterij, *vt eadem Congreg. 30 Auguſti 1602.* & qui poteſtatem habent erigendi Crucem Proceſſionalem, illam deferre tenentur cum panno ſericeo appenſo, *vt eadem Congregat. Rit. in Neapolitan. 14. Ianuarij 1617.* ſi tamen Monaſterium ſit diſtans à loco habitato per dimidium milliare, non teneri conuenire, *declarauit Sac. Congreg. Conc. ſuper eodem cap. 13.*

37 Imò ſi ex conſuetudine, vel alia de cauſa, Proceſſio ſit inchoanda ab Eccleſia ipſorum Regularium, non poſſunt Regulares ipſi illam incipere, antequā adueniat Parochus, ad quem ſpectat illam dirigere, *vt declarauit Sac. Congreg. in vna Spoletan.*

38 In Proceſſionibus debent Regulares anteire Clerum ſecularem, non autem mixtim, aut pari paſſu cum Clero ipſo, *vt decreuit Sac. Congregat. Rit. 30. Auguſti 1602. & 24. Septembris 1605. & 7. Iulij 1612.*

39 Quo verò ad præcedentiam inter ipſos Regulares, ſeruanda erit *Conſtit. Gregor. XIII. de anno 1585. die 17. Iunij, incip. Expoſcit. vt pluries declarauit Sac. Congreg. Rit. & Epiſc. 26. Auguſti 1595.*

40 Ante Regulares progredientur Confraternitates laicorum ſecundùm antiquitatem fundationis, & vſus ſaccorum cum Crucifixis, non autem Cruce Proceſſionali cum haſta, & cum ſuis labaris, ſeù vexillis; deindè procedent Regulares, & vltimo loco Clerus ſecularis, etiam in minoribus, *vt Congregat. Rit. in Meſſanen. 7. Aug. 1621.* quo verò ad Confraternitates ſeruetur *Conſtit. Expoſcit. Gregor. XIII. 17. Iunij 1585.* in præcedentia.

41 Et ſi Proceſſio terminetur in Eccleſia Regulari, & adſit Epiſcopus, poteſt ibi iubere Miſſam cantandam à Canonicis, nec Regulares poſſunt impedire, *vt eadem Congreg. Rit. 25. Ianuar. 1603.*

42 Proceſſiones duæ eadem die in eodem loco non ſunt permittendæ, & qui vltimo ſuam facere intendunt, in alium diem protrahere debeat, *vt Sac. Cong. Rit. in Taurinen. 5. Martij 1633.* & ſunt manutenendi antiquiores in Proceſſione facienda, itaut non liceat alijs eodem die facere ſimilem Proceſſionem, *vt eadem Congr. Rit. ſuper eadem cauſa 9. Aprilis 1633.*

43 Præcedentia non modò in his actibus danda eſt Clero à Regularibus, ſed

ſem-

uis Religionis, Ordinis, Societatis, & Inſtituti; necnon exempti, quouis titulo, & Milites cuiuſcumque Religionis, etiàm Sancti Ioannis Hieroſolymitani, præſumentes quaſcumque monetas aureas, vel argenteas tondere, fabricare, colorare, adulterare, & eaſdem ſic adulteratas erogare, ſi in locis vbi ipſi exiſtunt, non reſidet Legatus, vel Prolegatus Papæ: erunt ab Epiſcopo loci Ordinario, priuatiuè, quoad alios eorum Superiores, præuiâ degradatione, ſi legitimè de crimine conuicti fuerint, Curiæ ſeculari tradendi vltimo ſupplicio plectendi. Detinentes verò, transferentes, & opem, inſtrumenta, ac materiā præſtantes, erunt ad triremes per decenninm mancipandi. Et ſi ſuper his eorum Superiores aliquos proceſſus, & informationes formauerint, illas protinus ad eumdem Epiſcopum requiſiti tranſmittere tenentur, nec in cauſa ampliùs ſe intromittere poſſunt: & ſi qui impedire præſumant, ne procedatur per Epiſcopum, & ipſo incurrent in excommunicationem, & priuationem beneficiorum, & officiorum, cum inhabilitate ad illa, & ad alia, nec non amiſſione vocis actiuæ, & paſſiuæ; & hæc facultas iudicandi competit Epiſcopo Diœceſano, tàm ſuper perſonas præfatas exiſtentes in locis Diœceſis, quàm intra fines, & ambitum illius, & ſuper his primum emanauit *Conſtit. à Pio V. de anno* 1570. *incip. Cùm nihil*, quam deindè innouauit *Vrbanus PP. VIII. de anno* 1627. *die* 13. *Nouembris per aliam Conſtit. incipientem. In ſuprema, &c.*

53 Mulieres non poſſunt ingredi ſepta, & Clauſtra Regulariū, & prohibitū fuit *à Pio V. de anno* 1566. *die* 24. *Octobris*, de motu proprio innouato, & confirmato *à Gregorio XIII. in Conſtit. Vbi gratiæ, de anno* 1572. 24. *Iunij*; & quamuis idem *Pius V. de anno* 1568. *die* 27. *Ianuarij*, vt teſtatur per litteras patentes Alexander Cardinalis Cribellus, viuæ vocis oraculo dicatur moderaſſe dictam prohibitionem non habere locum in quatuor caſibus, nempè: Si in Clauſtro celebratur Miſſa; ſi ibidem fiat Proceſsio; ſi in Clauſtro aliquis ſepeliatur; & tempore magni concurſus ad Eccleſiam ad feſtum celebrandum, vel concionem audiendam, itaut ob frequentiam non detur facilis ingreſſus; & egreſſus per Eccleſiam; & tunc poſſe mulieres cum viris ingredi, & egredi per Clauſtra, dummodò recto tramite ingrediantur, & egrediantur. Attamen hodiè attendenda eſt declaratio Sac Congreg. Rit. de anno 1628. die 13. *Septembris* in vna *Oriolanen.* in hæc verba: *Sacra Rit Congregat. reſpondit non licere mulieribus comitari Proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regulariū, niſi adſit in hoc expreſſa licentiā Sedis Apoſtolicæ.* Pœna tranſgreſſorum eſt excommunicatio Papæ reſeruatā, & pro Regularibus id permittentibus ſuſpenſionis à Diuinis, priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſsiuæ ipſo facto, prout habetur in citato motu proprio *Pij V. incipiente. Regularium perſonarum, &c* innouato *à Gregorio XIII.*

54 Perſonæ Eccleſiaſticæ quantumuis exemptæ geſtantes arma, aut delinquentes in hac noſtra Diœceſi, à nobis, & noſtra Curia erunt puniendæ, vt de Clericis quibuſdam ſubditis Religioni Sancti Ioannis Hieroſolymitani declarauit *Sac. Congregat. Epiſc.* 22. *Auguſti* 1636. per litteras directas noſtro Prædeceſſori, ſupra relatas *in tit. de vit. & honeſt. Cler.*

55 Renun-

55 Renunciationes, donationes, obligationes, alienationes, & alij contractus facti à Nouitijs Regularium, nulli erunt, niſi fiant cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij Generalis loci, vbi Nouitius degit, & intra duos menſes ante profeſſionem, *vt decreuit Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* nec tenent facta in ſeculo ante ſuſceptionem habitus, *vt decl. Congregat. ſuper eod. Decr. Conc.*

56 Si quis Regularis prætenderet ſuam profeſſionem eſſe nullam, vtpotè factam ante annum decimum ſextum, aut aſſumpſiſſe habitum per vim, & metum, aut ex alio quouis capite. Debet exponere cauſas inualiditatis coram ſuo Superiore, & corã Ordinario Epiſcopo Diœceſano, vbi degit, qui coniunctim declarabunt, & pronunciabunt de validitate, aut inualiditate profeſſionis, & expoſitorũ per illum, & talis reclamatio erit admittenda, dummodo fiat infra quinquennium à die profeſſionis, & non vltra, *vt decreuit Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. de Regul.* & ſi talis reclamans ante declarationem habitum dimiſerit; nullatenus erit audiendus; nec cauſa allegata admittenda, & ad Monaſterium redire cogendus eſt: imò tamquam apoſtata puniendus, & nullo ſuæ Religionis priuilegio iuuabitur, vt ibidem Concilium; neque Superior Regularis ſolus ſine Ordinario loci poteſt iudicare, *vt decreuit Congregat. Concil. de anno* 1618.

57 Ad Epiſcopum Diœceſanum ſpectat compellere Regulares ad reſtituendum Nouitio, ſiuè Nouitiæ egredientibus de Monaſterio non factâ profeſſione, vel ſi ante eam moriantur, omnia mobilia, & ſupellectilia aſportata; per cenſuras Eccleſiaſticas, *vt idem Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. in fine.*

58 Regulares tenentur ad obſeruantiam faſtorum de præcepto publicatorũ ab Epiſcopo in ſua Diœceſi. Nec non cenſuras, & interdicta ab eodem promulgata in ſuis Eccleſijs publicare, & ſeruare, mandante eodem Epiſcopo, *vt idem Trident. eadem ſeſſ. 25. cap. 12.*

59 Debent recitare Officium in ſuis Eccleſijs Patroni loci, vbi degunt, quemadmodum alij Presbyteri ſeculares, non tamen obligantur celebrare octauam, & vbi plures erunt Patroni, intelligendum erit de principali, *ex Decreto Congregat. Rit. 27. Martij* 1628.

60 Sacerdotes Regulares non debent celebrare Miſſas in Eccleſijs ſecularibus, non accedente conſenſu Rectoris illius Eccleſiæ, *vt Congregat. Epiſc.* 10. *Januar.* 1617.

61 Epiſcopus Diœceſanus poteſt cogere Regulares in ſua Diœceſi, vt in ſuis Monaſterijs habeant lectionem Sacræ Scripturæ *ex Trident. ſeſſ. 5. cap. 1. de reform.*

62 Controuerſias omnes de præcedentia ſubortas inter Eccleſiaſticos, tàm ſeculares, quàm Regulares in Proceſſionibus publicis, in tumulandis defunctis, deferenda vmbella, & ſimilibus: ad Epiſcopum Diœceſanum componere ſpectat, quacumque appellatione remotâ; *vt idem Trident. ead. ſeſſ. cap.* 13. & in componendo ſeruat *Conſtit. Gregor. XV. incip. Expoſcit.* 15. *Iulij* 1583.

63 Regulares in ſuis Eccleſijs non poſſunt publicare Indulgentias, ſine li-

uis Religionis, Ordinis, Societatis, & Inſtituti; necnon exempti, quouis titulo, & Milites cuiuſcumque Religionis, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, præſumentes quaſcumque monetas aureas, vel argenteas tondere, fabricare, colorare, adulterare, & eaſdem ſic adulteratas erogare, ſi in locis vbi ipſi exiſtunt, non reſidet Legatus, vel Prolegatus Papæ: erunt ab Epiſcopo loci Ordinario, priuatiuè, quoad alios eorum Superiores, præuiâ degradatione, ſi legitimè de crimine conuicti fuerint, Curiæ ſeculari tradendi vltimo ſupplicio plectendi. Detinentes verò, transferentes, & opem, inſtrumenta, ac materiã præſtantes, erunt ad triremes per decennium mancipandi. Et ſi ſuper his eorum Superiores aliquos proceſſus, & informationes formauerint, illas protinus ad eumdem Epiſcopum requiſiti tranſmittere tenentur, nec in cauſa ampliùs ſe intromittere poſſunt: & ſi qui impedire præſumant, ne procedatur per Epiſcopum, & ipſo incurrent in excommunicationem, & priuationem beneficiorum, & officiorum, cum inhabilitate ad illa, & ad alia, nec non amiſſione vocis actiuæ, & paſſiuæ; & hæc facultas iudicandi competit Epiſcopo Diœceſano, tàm ſuper perſonas præfatas exiſtentes in locis Diœceſis, quàm intra fines, & ambitum illius, & ſuper his primum emanauit *Conſtit. à Pio V. de anno* 1570. *incip. Cùm nihil*, quam deinde innouauit *Vrbanus PP. VIII. de anno* 1627. *die* 13. *Nouembris per aliam Conſtit. incipientem*: *In ſuprema, &c.*

53 Mulieres non poſſunt ingredi ſepta, & Clauſtra Regularium, & prohibitũ fuit *à Pio V. de anno* 1566. *die* 24. *Octobris*; de motu proprio innouato, & confirmato *à Gregorio XIII. in Conſtit. Vbi gratiæ, de anno* 1572. 24. *Iunij*; & quamuis idem *Pius V. de anno* 1568. *die* 27. *Ianuarij*, vt teſtatur per litteras patentes Alexander Cardinalis Cribellus, viuæ vocis oraculo dicatur moderaſſe dictam prohibitionem non habere locum in quatuor caſibus, nempè: Si in Clauſtro celebratur Miſſa; ſi ibidem fiat Proceſsio; ſi in Clauſtro aliquis ſepeliatur; & tempore magni concurſus ad Eccleſiam ad feſtum celebrandum, vel concionem audiendam, itaut ob frequentiam non detur facilis ingreſſus; & egreſſus per Eccleſiam; & tunc poſſe mulieres cum viris ingredi, & egredi per Clauſtra, dummodò recto tramite ingrediantur, & egrediantur: Attamen hodiè attendenda eſt declaratio *Sac. Congreg. Rit. de anno* 1628. *die* 13. *Septembris* in vna *Oriolanen.* in hæc verba: *Sacra Rit Congregat. reſpondit non licere mulieribus comitari Proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regulariũ, niſi adſit in hoc expreſſa licentiã Sedis Apoſtolicæ.* Pœna tranſgreſſorum eſt excommunicatio Papæ reſeruatã, & pro Regularibus id permittentibus ſuſpenſionis à Diuinis, priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſsiuæ ipſo facto, prout habetur in citato motu proprio *Pij V. incipiente. Regularium perſonarum, &c* innouato *à Gregorio XIII.*

54 Perſonæ Eccleſiaſticæ quantumuis exemptæ geſtantes arma, aut delinquentes in hac noſtra Diœceſi, à nobis, & noſtra Curia erunt puniendæ, vt de Clericis quibuſdam ſubditis Religioni Sancti Ioannis Hieroſolymitani declarauit *Sac. Congregat. Epiſc.* 22. *Auguſti* 1636. per litteras directas noſtro Prædeceſſori, ſupra relatas *in tit. de vit. & honeſt. Cler.*

55 Renun-

55 Renunciationes, donationes, obligationes, alienationes, & alij contr. tractas facti à Nouitijs Regularium, nulli erunt, niſi fiant cum licentia Epiſcopi vel eius Vicarij Generalis loci, vbi Nouitius degit, & intra duos menſes ante profeſſionem, *vt decreuit Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* nec tenent factæ in ſeculo ante ſuſceptionem habitus, *vt decl. Congregat. ſuper eod. Decr. Conc.*

56 Si quis Regularis prætenderet ſuam profeſſionem eſſe nullam, vtpotè factam ante annum decimum ſextum, aut aſſumpſiſſe habitum per vim, & metum, aut ex alio quouis capite. Debet exponere cauſas inualiditatis coram ſuo Superiore, & corā Ordinario Epiſcopo Diœceſano, vbi degit, qui coniunctim declarabunt, & pronunciabunt de validitate, aut inualiditate profeſſionis, & expoſitorū per illum, & talis reclamatio erit admittenda, dummodo fiat infra quinquennium à die profeſſionis, & non vltra, *vt decreuit Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. de Regul.* & ſi talis reclamans ante declarationem habitum dimiſerit; nullatenus erit audiendus; nec cauſa allegata admittenda, & ad Monaſterium redire cogendus eſt: imò tamquam apoſtata puniendus, & nullo ſuæ Religionis priuilegio iuuabitur, vt ibidem Concilium; neque Superior Regularis ſolus ſine Ordinario loci poteſt iudicare, *vt decreuit Congregat. Concil. de anno* 1618.

57 Ad Epiſcopum Diœceſanum ſpectat compellere Regulares ad reſtituendum Nouitio, ſiuè Nouitiæ egredientibus de Monaſterio non factā profeſſione, vel ſi ante eam moriantur, omnia mobilia, & ſupellectilia aſportata; per cenſuras Eccleſiaſticas, *vt idem Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. in fine.*

58 Regulares tenentur ad obſeruantiam faſtorum de præcepto publicatorū ab Epiſcopo in ſua Diœceſi. Nec non cenſuras, & interdicta ab eodem promulgata in ſuis Eccleſijs publicare, & ſeruare, mandante eodem Epiſcopo, *vt idem Trident. eadem ſeſſ. 25. cap. 12.*

59 Debent recitare Officium in ſuis Eccleſijs Patroni loci, vbi degunt, quemadmodum alij Presbyteri ſeculares, non tamen obligantur celebrare octauam, & vbi plures erunt Patroni, intelligendum erit de principali, *ex Decreto Congregat. Rit. 27. Martij* 1628.

60 Sacerdotes Regulares non debent celebrare Miſſas in Eccleſijs ſecularibus, non accedente conſenſu Rectoris illius Eccleſiæ, *vt Congregat. Epiſc.* 10. *Ianuar. 1617.*

61 Epiſcopus Diœceſanus poteſt cogere Regulares in ſua Diœceſi, vt in ſuis Monaſterijs habeant lectionem Sacræ Scripturæ *ex Trident. ſeſſ. 5. cap. 1. de reform.*

62 Controuerſias omnes de præcedentia ſubortas inter Eccleſiaſticos, tàm ſeculares, quàm Regulares in Proceſſionibus publicis, in tumulandis defunctis, deferenda vmbella, & ſimilibus: ad Epiſcopum Diœceſanum componere ſpectat, quacumque appellatione remotā, *vt idem Trident. ead. ſeſſ cap. 13.* & in componendo ſeruat *Conſtit. Gregor. XV. incip. Expoſcit. 15. Iulij* 1583.

63 Regulares in ſuis Eccleſijs non poſſunt publicare Indulgentias, ſine li-

 centia

centia Epiſcopi, ex eodem *Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 9. nec quæſtuarios deſtinare, & mittere, vt ibidem *Concil.* ſed debent mittere ſuos Tertiarios, ſiuè Conuerſos pro eleemoſynis ad victum, & veſtitum quæritandis, cum litteris patentibus deſtinationis, niſi Monaſteria ſint propinqua locis; nam hi non tenentur licentias petere, quoniam cùm ſint mẽdicantes, cenſetur licentia tacitè conceſſa ab Ordinario in erectione Monaſterij, *vt declarauit Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.* 6. *Octobris* 1597. *& Congregat. Concil. anno* 1621. ſi verò deſtinati ad tales eleemoſynas ſint ex Monaſterijs de longinquo, & excedunt limites ſuæ ordinariæ quæſtuationis, tenentur oſtendere litteras ſuæ deputationis, *vt declarauit eadem Congregat. de anno* 1625.

64 Epiſcopus in ſua Diœceſi in exemptis Eccleſijs poteſt ad libitum Miſſas, & diuina Officia celebrare, *vt declar. Congregat. Rit.* 20. *Iulij* 1600. *item* 7. *Februar.* 1604. *&* 1613. *die* 6. *Decembris*, ſtatuit Epiſcopum in omnibus Eccleſijs exemptis honorandum, & primum locum eidem deferendum, etiam præſente Superiore. Quinimmò ipſi Regulares, & Superiores exempti in eiſdẽ Eccleſijs debent illi Baldachinum erigere, vel erigendum permittere, alioquin ab eodem Epiſcopo cogi poſſunt per cenſuras, *vt decreuit Sacr. Congregat. Epiſc. iuſſu Clement. VIII. de anno* 1603. *die* 10. *Iunij per decretum incip. Decet Epiſcopos, &c.*

65 Regulares, & exempti omnes debent recipere oleum infirmorum, & alia Sacramentalia, vbi miniſtrantur Sacramenta, retinenda apud ſuas Eccleſias, ab Epiſcopo Diœceſano, *vt Congregat. Epiſ.* 20. *Febr.* 1601.

66 Ab eodem Epiſcopo Diœceſano, vbi degunt, tenentur recipere Ordines, vel ipſo impedito, & ordinationes non habente, ſunt dimittendi ab eodem ad alium Epiſcopum, cum litteris teſtimonialibus, quòd ipſe Ordinationes non celebret, vt dictum eſt ſuprà *in tit. de Sac. Ordin.*

67 Epiſcopus Diœceſanus poteſt compellere Regulares ad reddendam rationem, num adimpleuerint legata pia, & teſtamenta ſibi adimplenda demandata, & hoc tamquam Delegatus Sedis Apoſtolicæ, ex Sacris Canonibus, & *Concil. Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de ref.*

68 Poteſt item Epiſcopus carcerare Regularem inquiſitum, & remittere ad ſuum Superiorem, ſi adſit periculum fugæ.

69 In cauſis hæreſis, & delictis ſpectantibus ad Tribunal Sancti Officij in Diœceſi, vbi non ſunt Inquiſitores Apoſtolici, Regulares, & exempti omnes ſubduntur Epiſcopo, qui in Diœceſi eſt Inquiſitor ordinarius, *vt declarauit Paulus V. de anno* 1606. *die* 26. *Septembris*.

70 Item ſubduntur pœnis appoſitis *in Conſtit. Gregor. XV. incip. Sanctiſſimus de anno* 1622. *die* 2. *Iunij*. contra diſputantes, prædicantes, &c. quòd Beata Maria Virgo ſit concepta in peccato originali; in qua Epiſcopi locorum deſtinantur exequutores, & declaratores pœnarum; & de hac quęſtione nemo poteſt diſſerere pro affirmatiua, neque pro negatiua opinione, etiam in colloquijs, & ſermonibus priuatis; exceptis fratribus Prædicatoribus, qui inter ſe tantùm,

tantùm, non cum alijs, nec publicè de illa poſſunt colloqui, tractare, & diſſerere, *vt per aliam Conſtit. incip. Eximij. eodem anno die 28. Iulij, idem Greg. indulſit.*

71 Itidem in cauſâ ſollicitationis factæ in confeſſionibus ad terminos *Conſtitut. eiuſdem Gregorij XV. incip. Vniuerſi. de anno 1622 die 30. Auguſti.*

72 Regulares eligentes conſeruatores ſuorum priuilegiorum, tenentur illos notificare Epiſcopo loci, *vt declarauit Sacr. Congreg. Conc. 11. Iulij 1620.* ſuper qua electione facienda, & modo in ea ſeruando, *extant Conſtit. Clement. VIII. de anno 1592. incip. Sanctiſſimus, & Gregorij. XV. de anno 1621. die 20. Septembris, quæ item incipit. Sanctiſſimus &c.*

73 In cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, Epiſcopus tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, poteſt cogere Regulares degentes extra Monaſteria ad ſoluendum debita; quãuis ijdem habent in partibus Iudicem deputatum à Sede Apoſtolica, *iuxta Decretum Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 14.*

74 Regulares Parochi tenentur conuenire ad collationes caſuum conſcientiæ præſcriptas ab Epiſcopo, ſicut alij Parochi ſeculares *iuxtà Decretum Sac. Congregat. Epiſc. 13. Nouembris 1592.*

75 In Eccleſijs Regularium Epiſcopus poteſt pro ſuo libito concionari, *vt eadem Congreg. 17. Ianuar. 1584.*

76 Regulares in ſuis Eccleſijs non poſſunt inſtituere Confraternitates cum ſaccis, ſine licentia, & auctoritate ordinarij Epiſcopi, *vt decreuit Sac. Cong. Epiſ. 6. Decembris 1616.* ideò vbi erectæ ſunt cum vſu ſaccorum, poteſt Epiſcopus cogere Confratres ad probandũ de licentia, quam concedere ad Epiſcopum Diœceſanum tantummodo ſpectare, priuatiuè quoad alios Ordinarios, *declarauit Sac. Congregat. Rit. 7. Octobris 1617.*

77 In vno eodemq; loco vnica tantùm Confraternitas eiuſdem nominis, & non plures ſunt erigendæ *ex Decreto Clement. VIII. de anno 1604. & Conſtit. eiuſdem incip. Quæcumq;. de anno 1605. die 24. Decembris*, & hoc intelligendum erit circa aggregationem ad participationem cum aliqua Archiconfraternitate, prout in citata *Conſtitutione*.

78 Notandum in his erit, quòd licet *in ſuprad. Conſtit. Clementis*, detur facultas Archiconfraternitatibus Vrbis aggregandi ad communicationem priuilegiorũ, & Indulgentiarũ ſuarũ alias Cõfraternitates locorũ. Tamen Paulus PP. V. ſpeciali fauore indulſit, vt Confraternitates Sanctiſs. Corporis Chriſti vbiq; terrarũ erectæ, & fundatæ auctoritate Ordinarij, abſq; noua aggregatione ad Vrbẽ, potiantur priuilegijs, & Confratres illarũ lucrentur Indulgentias conceſſas, & cõcedendas, non ſecùs ac ſi fuiſſent aggregatæ *& extat Decretum Sac. Congr. Indulgent. 15. Febr. 1608. iuſſu eiuſdem Pauli V.*

79 Confirmationem Officialium, & adminiſtratorum Confraternitatum, ad Epiſcopum ſpectare dixit *Sac Congreg. Epiſc. 11. Auguſti. 1617.*

80 Epiſcopo ingredienti ad Eccleſiã erit porrigendũ apertoriũ à digniore illius Eccleſiæ, etiã ſi præſẽtes ſint Canonici Cathedralis, *vt Cõg. Rit. 5 Iunij 1601.*

81 Si Epiſcopus Diœceſanus reperiatur in aliqua Eccleſia exempta, quocumque titulo exiſtente intra fines ſuæ Diœceſis, & aſsiſtat Miſſæ, ibidem celebrandæ, & inibi adſit Abbas, ſeù aliter Prælatus ordinarius illius Eccleſiæ exemptæ, tunc Epiſcopus, non Abbas, vel Prælatus, debet facere confeſsionem cum celebrante, benedicere miniſtros, & incenſum, & in fine Miſſæ dare ſolemnem benedictionem populo, vt decreuit *Congreg. Rit. 7. Febr.* 1604.

82 Poteſt Epiſcopus prohibere Regularibus exiſtentibus in ſua Diœceſi admittere ad celebrandum in ſuis Eccleſijs Sacerdotes exteros, ab ipſo non admiſſos poſt recognitionem litterarum commendatitiarum à ſuis Ordinarijs, vt decreuit *Sac. Congreg. Concil.* 12. *Nouembris* 1594.

83 Oblati omnes cuiuſcumque Religionis, & Eccleſiæ, qui ſe, & bona ſua obtulerunt ad præſcriptum *Decreti Sac. Congreg. relati in præcedenti Synodo ſeſſ.* 3. *cap.* 7. ſubiacent in omnibus Epiſcopo, quia inter poſseſsiones Eccleſiaſticas annumerantur.

84 Similiter ſubduntur Epiſcopo Diœceſano habentes titulos honorarios, puta Prothonotariatus Apoſtolici, Comitis Palatini, Capellani Regij, & ſimilium, qui non actualiter aſsiſtunt, & inſeruiunt; & ita quoque alij addicti militijs, Monaſterijs, hoſpitalibus, &c. relati in *Decreto Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 11. niſi actu inſeruiant, de quo conſtare debet eidem Epiſcopo, vt ibi *Trident.*

85 Inſuper Tertiarij, & Tertiariæ habentes requiſita *Decreti Sac. Congreg. Epiſc. de anno* 1616 *die* 20. *Decembris, & Congreg. Conc. de anno* 1608. ſunt de foro Epiſcopali.

86 Poſtremò pro Regula generali notandum eſt, iuxtà ea, quæ ſuprà diximus, quòd quotieſcumque Epiſcopus cognoſcere, corrigere, & punire poteſt vigore poteſtatis ſibi attributæ à Sacris Canonibus, & Concilijs, præcipuè quando procedit vti delegatus Sedis Apoſtolicæ, id efficere, & exequi valet etiam extra actum viſitationis, & quandocumque opus fuerit, dummodo ipſe Epiſcopus reſideat in Diœceſi, *vt decreuit Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *de reformat.*

87 Quoad viſitationem locorum exemptorum, in quibus Epiſcopus tanquã delegatus Sedis Apoſtolicæ viſitat, ſequentia notanda ſtatuimus.

Primò, Epiſcopus viſitare poteſt quaſcumque Eccleſias exemptas exiſtentes in ſua Diœceſi, vigore *Concil. Trident. ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *de Refor. item ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 9. vt dicetur. Pro viſitatione verò Eccleſiarum ſubiectarum Religioni Sancti Ioannis Hieroſolymitani, ſeruanda erit *Conſtit. Pij V. emanata in anno* 1571 *die* 22. *Septembris incip. Expoſcit.* quæ ſemper à Summis Pontificibus Succeſſoribus in confirmatione Priuilegiorum eiuſdem Religionis fuit innouata, & ſignanter *ab Vrbano VIII. de anno* 1624. *die* 29. *Martij*, in qua Conſtit. datur forma procedendi, & enumerantur caſus, in quibus Epiſcopus tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ procedit; Inter quos expreſsè ſtatuitur, quòd Epiſcopus Diœceſanus poteſt viſitare Eccleſias Parochiales, & alias, quibus imminet cura animarum ſecularium, quomodocumque ſubiectas, & pertinentes ad Religionem, & exiſtentes in ſua Diœceſi; quamuis in eiſdem Eccleſijs,

& in miniſtros, & Parochianos eadem Religio habeat iuriſdictionem temporalem, & ſpiritualem, quaſi Epiſcopalem: & ipſe Epiſcopus poteſt viſitare miniſtros, nempè Parochos, & miniſtrantes Sacramenta, in his, quæ miniſtrationem ipſam concernunt, in quibus poteſt omnes actus liberæ viſitationis exercere; & ſi miniſtros per examen minus idoneos reperiat, illos poterit amouere, & Superiores eorum monere ſuper electione idoneorum, ſi illi amouibiles ſint; ſin autem fuerint perpetui, poterit illos ſuſpendere, & Superiores monere, vt ſuprà, & interim alios in coadiutores deſtinare; & ſi Superiores infra terminum præfixum non elegerint, & præſentauerint eidem Epiſcopo pro examine, & approbatione, tunc ipſemet Epiſcopus deputabit alios à ſe approbatos, qui deputati poteſtatem miniſtrandi habeant, non ſecùs, ac ſi fuiſſent à ſuis Superioribus deputati, vt plenè in dicta Conſtit. poſt hunc titulum annectendam, habetur.

88 Poteſt quoque Epiſcopus, & ad ipſum ſpectat vigore eiuſdem Conſtit. in eiſdem Eccleſijs, inſtituere præſentatos ad beneficia quæcumque, tàm ab ipſiſmet militibus Religioſis, quàm ab alijs, etiam ſi ſint de Iurepatronatus laicorum, & præſentatos præuio examine approbare.

89 Conferre Ordines ſubditis, conſecrare, & benedicere Eccleſias, & ſimilia, quæ ſunt ad vſum Pontificalium pertinentia exercere, ad ipſum Epiſcopum ſpectat, & habetur ibidem, & in *Decreto Sac. Congregat. in Auguſtana 26. Iunij 1627.*

90 In viſitatione, circa pertinentia ad miniſtrationem Sacramentorum, poterit Epiſcopus exequi omnia ſibi competentia in Eccleſijs ſubiectis; nempè viſitare, & recognoſcere Sacramenta, & ſacramentalia; num debitè, & decenter retineantur, quomodo miniſtrantur; quæ, & qualia ornamenta, & paramenta adhibeantur, & ſi Eccleſiæ reparatione indigeāt, reparandas iubere, vt in illis Sacramenta decenter aſſeruantur: & pro adimplemento decretorum viſitationis poteſt pœnas adijcere, & cogere, etiam per cenſuras.

91 Vacante in eiſdem Eccleſijs Rectore; milites, ſeù commendatarij, & alij maiores Superiores debent præſentare Epiſcopo Diœceſano Sacerdotem idoneum deputandum ad curam animarum, & ab illo examinetur, & approbetur ad formam *Decreti Concil. Trident.* & interim idem Epiſcopus deputabit Oeconomum, ſeù Vicarium ad curam animarum; & ſi milites, & alij Superiores, infra terminum præfigendum, non deputauerint, & præſentauerint inſtituendum, ipſemet Epiſcopus poterit Curatum ſeruatis ſeruandis præficere, & creare, vt declarauit *Sac. Congregat. Epiſc. in Peruſina* 11. *Ianuar.* 1585. & vbi in deputatione Parochi præcedere debebit concurſus, ab ipſomet Epiſcopo fieri debet.

92 Poſt hanc *Conſtit. Pij V.* fuerunt ſubortæ multæ controuerſiæ ſuper illius exequutione, & propoſita quædā dubia per Religionē S. Ioannis Hieroſolymitani apud *Sac. Congr.* & fuerunt ſequentia: Primò, an Epiſcopi poſſint delegare alijs perſonis viſitationem Eccleſiarum in locis Religionis. Secundò, ſi tales delegati debeant eſſe ſaltem in dignitate conſtituti. Tertiò, ſi delegatio facienda ab Epiſcopo debeat habere expreſſionem quod illam faciat vti delegatus

Sedis Apoſtolicæ. Quartò, an extra viſitationem poſſet Epiſcopus punire, & corrigere miniſtros culpabiles,& pœnas exequi. Quintò, an ſi Epiſcopus, & alij viſitatores exceſſerint in viſitando modum facultatis ſibi attributæ,liceat illis reſiſtere. Sextò, quòd Epiſcopus non debeat in viſitatione præcipere Curatis, vt moneant populos ſuper obſeruatione feſtorum, & quòd publicent decreta viſitationis ſub pœna excommunicationis, & quòd non ſoluentes legata pia, & debita Eccleſiaſtica prohibeantur ab ingreſſu Eccleſiæ. Septimò, quòd Epiſcopus non debeat præcipere aliquid ſuper prouiſione paramentorum Eccleſiæ, & Altarium, tamquam non concernentia miniſtratione Sacramentorum. Quæ dubia fuerunt per Sacram Congregat. reſoluta,vt ſequitur. Ad primum reſpondit Epiſcopum poſſe alijs delegare. Ad ſecundum,poſſe delegare perſonæ Eccleſiaſticæ, etiam non conſtitutæ in dignitate. Ad tertium,ſufficere delegationem generalem, & quòd viſitans declarat ſe viſitare tanquam delegatum Sedis Apoſtolicæ, Ad quartum intelligi in viſitatione pœnas apponi. Ad quartum, ſi viſitatores exceſſerint facultatem attributam in *Conſtit. Pii V.* recurrendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam. Ad ſextum, poſſe Epiſcopos viſitantes talia monere, & præcipere facienda,cum concernant materiam peccati. Ad ſeptimum, poſſe Epiſcopum præcipere,& ordinare paramenta Altaris, vbi retinetur Sacramentum, & alia, quæ ad ipſam miniſtrationem requiruntur.

93 Porrò,cùm in ſupradicta *Conſt t.Pij V.* ſit conceſſa facultas viſitandi tantummodo Eccleſias Parochiales, & in quibus miniſtrantur Sacramenta perſonis ſecularibus; & obindè non appareat aliquid eſſe eiſdem tributum in cæteris Eccleſijs, & Capellis ſubiectis eidem Religioni: hoc tamen non obſtante frequenter conſueuit *Sac. Congregat.* concedere facultate Epiſcopis viſitandi, & decernendi ſuper ſeparatione illarum,vt de hoc exſtant litteræ *Sac.Congreg.Conc.* Epiſcopo Policaſtren. in hæc verba:

Reuerendiſsimo Domino vti fratri Epiſcopo Policaſtren.

Intus verò:

Reuerendiſsime Domine vti frater.

QVando amplitudini tuæ, ſicut cœteris Epiſcopis adempta eſt facultas viſitandi Eccleſias Sancti Ioãnis Hieroſolymitani, in quibus nulla incumbit cura animarum, ampliſsimis Priuilegijs à Sanct.mem.Sixto V. eidem Religioni conceſsis. Sanctiſſimus Dominus noſter, audita relatione Sac. Congregat. Conc. Amplitudini tuæ facultatem tribuit, vt tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatus

gatus, ad effectum, vt infrà: valeat omnes Eccleſias, ſeù Capellas Religionis Hieroſolymitanæ, in ſua Diœceſi exiſtentes, viſitare; & commendatario dictæ Religionis, alijſque Hieroſolymitanis equitibus in iſta Diœceſi beneficia obtinentibus, terminum præfigere, intra quem Eccleſias ipſas reparatione indigentes, modis omnibus inſtaurent. Quo elapſo, & reparatione prætermiſſa, amplitudo tua ex fructibus ipſorum beneficiorum, & Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate mandet, efficiatquè, vt omninò reſarciantur; & Deus amplitudinem tuã ſeruet incolumem. Romæ die 21. Iunij 1631.

Amplitudinis tuæ Reuerendiſsimæ vti frater.
R. Cardinalis Vbaldinus.
Franciſcus Paulucius Secr. Sac. Congregat.

94 Et quamquam in eadem *Conſtit. Pij V.* diſponatur viſitationem ipſam, & acta omnia ad illam ſpectantia fieri gratis ab Epiſcopo, ſine impenſa aliqua Eccleſiarum, & perſonarum viſitandarum, & Religionis, tamen *Sac. Congregat. Concil. die 26. Iunij* 1627. limitauit in locis, vbi conſuetum ſit dari procurationem, & ſolui ſportulas.

95 Dimiſſoriæ ad Ordines recipiendos à ſubditis eorumdem militum, ab Epiſcopo, non à Superioribus eorumdem ſunt concedendæ, vt pluries *Sac. Congreg. decreuit ſuper ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *Concil. Trident.*

96 Vicarij, Capellani, Miniſtri, ſeruientes, coloni, Procuratores, & familiares ipſorum Militum de ſuis delictis, exceſſibus, & criminibus ab Epiſcopo Diœceſano, tamquam delegato Sedis Apoſtolicæ, ſunt puniendi: exceptis illis, qui actu deſeruiunt Eccleſiis, & locis eorundem, ac in eorum domibus, & obedientia reſident, vt habetur in *Conſtit. Gregor. XIII. incip. Circumſpecta, &c.*

97 Porrò, quemadmodum paulò ſuperiùs dictum eſt, Epiſcopus poteſt omnes alias Eccleſiæ ſuæ Diœceſis quomodocũque exemptas Parochiales viſitare facultate ſibi *à Concil. Trident.* attributa, etiam ſi prætendantur eſſe nullius, *vt ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *de Reform.* ibique omnia ad curam animarum, & Sacramentorum miniſtrationem pertinentia videre, decernere, & corrigere, & reparatione indigentia præcipere reparanda, *vt ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *de Refor.*

98 Prætereà ex noua *Conſtit. Gregor. XV.* poteſt Epiſcopus priuatiuè quoad alios Superiores, viſitare, examinare, & approbare Curatos, & alios miniſtros Sacramentorum, & in his ipſimet exempti omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi ſubiacent; & pro executione decretorum viſitationis poteſt Epiſcopus contra non exequentes procedere, & cogere per cenſuras,

ſuras, & alia iuris remedia, vt ſuprà relatum eſt, & etiam declarauit *Sac. Cong. Conc. in Camerinen. 10. Martij 1621. & in Caputaquen. eodem anno.*

99 Et ſicubi exempti prætenderent eſſe nullius; & obindè non comprehendi in *Conſtit. Gregor.* hoc tamen non obſtante ad Epiſcopum Diœceſanum ſpectare examen, & approbationem miniſtrantium Sacramenta, donec per prætendentes probetur qualitas nullius, & Epiſcopum cui ius commune, *& Concil. Trid.* aſſiſtit, eſſe manutenendum in poſſeſſione talia exequendi, *decreuit Sac. Congr. Concil. in Conuerſanen. 26. Iunij, & 20. Auguſti 1627.*

100 Nullius poſſet prætendi locus habens territorium ſeparatum, & per limites diſtinctum, & vbi Superiores habent ius congregandi Synodum, & iam conſtat legitimè congregaſſe, & elegiſſe examinatores Synodales, facere concurſum ad Parochiales, & beneficia Curata. Item viſitare Eccleſias, & Miniſtros priuatiuè, quoad alios, & demùm omnia facere, & exequi Statuta *in Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* & hæc omnia colligitur *à declarat. Sac. Cong. Conc. anno 1594. die 5. Decembris.*

101 Vndè ex adductis non dicetur locus eſſe nullius, vbi Epiſcopus exercet has iuriſdictiones: Viſitat Parochiales Sacramenta, & Sacramentalia; confert Sacramentum confirmationis iure ſuo, non aduocatus ab alijs, vel de licentia; confert Ordines, & concedit dimiſſorias pro ordinandis ab alienis Epiſcopis; exequitur Breuia Apoſtolica diſpenſationum matrimonialium per ſuum Vicarium, cui committuntur, & inſimul exequitur alia reſcripta tàm gratiæ, quàm iuſtitiæ commiſſa Ordinario, in eiſdem locis; diſtribuit Sacra Olea à ſe benedicta feria quinta in Cœna Domini; concedit monitoria pro rebus deperditis quæ in loco nullius non ab Epiſcopo, neque alio Superiore, ſed à Sede Apoſtolica ſunt concedenda, *vt declarauit Sac. Congreg. Conc. ſuper ſeſſ. 25. cap. 3. de refor.* vbi demùm Epiſcopus exercendo Pontificalia in viſitando, confirmando, & ordinando, &c. nullam ab Abbate, aut alio loci Superiore, etiam Ordinario, conſueuit petere licentiam, quæ expreſsè requiritur adhiberi in locis nullius, *vt declarauit Sac. Congreg. Conc. anno 1596. die 11. Iulij.*

102 Ad Epiſcopum ſpectant iudicia cauſarum matrimonialium, & non ad inferiores Prælatos, & Ordinarios, *vt decreuit Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 20. de reſor.*

103 Ad eumdem attinet facere concurſum in beneficijs, & Parochialibus, & concurrentes examinare, & approbare, *iuxta decretum Trident. ſeſſ. 24. cap. 8. de reſor. & declar. Congregat. de anno 1594. die 5. Decembris.*

104 Notandum inſuper erit, quòd ſi ex Decreto *Sac. Congregat. Conc. de anno 1596. die 11. Iulij* ſuprà relato, in loco nullius poteſt Epiſcopus vicinior viſitare Clericos ſeculares, & repertos culpabiles corrigere; nec non viſitare beneficia ſecularia: quantò magis dicendum erit competere ſupradicta omnia Epiſcopo in locis non declaratis eſſe nullius, ſed intra fines, vel limites Diœceſis.

105 Ad le Sac. Congreg. *Epiſc. in vna nullius Rutillianen. de anno 1616. die 9. Septem-*

9. *Septembris* declaraſſe Epiſcopum poſſe viſitare locum, etiam ſi ſit nullius, exiſtentem intra fines ſuæ Diœceſis, & ibidem Ordines conferre, & dimiſſorias concedere.

106 Poteſt item Epiſcopus viſitare Monaſteria commendata, & vnita perpetuò alijs Eccleſijs, etiam ſub poteſtate Regularium, *vt declarauit Congreg. Conc. ſuper ſeſſ.* 21. *cap.* 8.

107 Vlteriùs viſitat Confraternitates laicorum, erectas intus Eccleſias Regularium, non obſtante quacumq; contraria conſuetudine, & cogit adminiſtratores ſi fuerint laici, vel Eccleſiaſtici ſeculares ad reddendam rationem adminiſtrationis, *vt declarauit Congregat. Epiſc.* 17. *Iulij* 1615.

108 Viſitat quoque Capellas Regias, in quibus exercetur cura animarum, *vt decreuit ead Congregat.* 27. *Iulij* 1618.

109 Item Monaſteria, in quibus non degunt duodecim de familia, ſi fuerint erecta poſt Decretum *Congr. iuſſu Vrbani VIII. de anno* 1625. & Monaſteria, in quibus non adhuc viget Regularis obſeruantia, *ex Decr. Trident. ſeſſ.* 21. *c.* 8.

110 Inſuper viſitat hoſpitalia, & beneficia commendata, *vt Congreg. Conc. in Caputaquen.* 27. *Iunij* 1609.

111 In Monaſterijs, & Eccleſijs, vbi exercetur cura animarum, & Epiſcopus in eis habet ius viſitandi cumulatiuè cum Abbate, ſeù Superiore illarum ordinario. Si in viſitatione eorumdem contingat fieri decreta inter ſe repugnantia, præualebunt facta ab Epiſcopo, *vt declarauit Congreg. Concil. die* 29. *Iulij* 1628.

112 Abbates, & alij quicumque Superiores exempti, & in ſuis locis ordinarij, nullo iure poſſunt inſtituere præſentatos ad quæuis beneficia, etiam de iurepatronatus laicorum in Eccleſijs ſibi ſubiectis, niſi priùs præſentati examinentur, & approbentur ab Epiſcopo Diœceſano, quâcumq; conſuetudine non obſtante, alias facta inſtitutio nulla erit, vt habetur ex multis Decretis *Concil. Trident. & ſignanter ſeſſ.* 7. *cap.* 13. *ſeſſ.* 14. *cap.* 13. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *& ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de refor. & plenè Sac. Congreg. ſuper eiſdem Capitulis.*

113 Abbates exempti inſuper debent præſentare Epiſcopo Diœceſano approbandos ad confeſſiones, & mittendos ad prædicandum in Eccleſijs ſibi ſubiectis pro licentia, *vt eadem Congregat. Conc. ſuper cap.* 4. *ſeſſ.* 24. *verſ. Habet etiam &c.*

114 Abbas exemptus etiam in propria Eccleſia præſente Epiſcopo Diœceſano debet ſedere in ſede inferiori, ſine ornatu, vel à ſiniſtris, aut è conſpectu Epiſcopi, *vt decreuit Congreg. Rit.* 18. *Martij* 1618.

115 Abbates exempti benedicti, & vſum Baculi, & Mitræ habentes, cum exercitio Pontificalium, non poſſunt conferre primam tonſuram, & minores Ordines perſonis ſubiectis Epiſcopo, quamuis dimiſſorias illius habeant, *vt declarauit Congreg. Epiſc.* 27. *Iunij* 1631. quæ referente Eminentiſſimo Gipſio, declarauit quendam Subditum Diœc. Camplen. eſſe malè promotum ab Abbate de Corropoli, & indigere nouâ promotione.

116 Abbas Abbatiæ exemptæ, etiam ſi ſit Epiſcopus, non poteſt Ordines in ea Abbatia conferre, niſi ea ſit nullius, *vt Congreg. Concil.* 8. *Auguſti* 1621.

117 Abbas habens vſum Pontificalium, non poteſt vti extra Monaſterium, ſine licentia Ordinarij, *vt Congreg. Rit.* 6. *Decembris* 1631. neque poteſt deferre Mitram extra ſuam Eccleſiam per loca Diœceſis Epiſcopi, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, *vt ead. Congregat.* 2. *Auguſti* 1631.

118 Et quamuis poſſit ſolemniter benedicere, non tamen præſente Epiſcopo, nec per vias, *vt eadem Congregat.* 17. *Iulij* 1604. neque in Proceſſionibus deferrre, aut deferri facere ante ſe Mitram, & Baculum, *vt eadem Cong. ibidem*.

119 His quoque noſtris Conſtitutionibus annectere placuit ſequentes reſolutiones *Sac. Congregat. Conc.* ſuper controuerſia vertente multis ab hinc annis inter noſtros Prædeceſſores Epiſcopos Caputaquen. & R. Abbatem Sanctiſſimę Trinitatis Cauen. ſuper viſitatione infraſcriptorum locorum, & contributione Seminarij Diœceſani; loca ſubiecta eidem Abbati ſunt, videlicet, Caſtrum Abbatis, Perdifumus, Sanctus Magnus, Caputgraſſorum, Caſalichium, Caſtaneta, Graſſi, Sanctus Petrus propè Pollam, Sanctiſſima Trinitas iuxta Pollam, Serramezzana, Maronti, Sancta Lucia, Sancta Barbara; ſuper qua controuerſia diù agitata, tandem fuit à *Sac. Congreg.* reſolutum, & decretum per litteras directas Lælio Morello noſtro prædeceſſori Epiſcopo tenoris ſequentis:

Reuerendiſsime Domine, vti frater.

DVabus dubitationibus, quæ amplitudinis tuæ nomine, per libellum his litteris adiunctum, propoſitæ fuerunt: ſigillatim reſpondendum duxit Congreg. Illuſtriſſimorum P.P. Trid. Concil. interpretum. Et quoad primum, de quibuſdam beneficijs curam animarum habentibus, quorum collationem, & viſitationem Abbas Trinitatis Cauæ Ordinis Sancti Benedicti ad ſe priuatiuè ſpectare prætendit: cenſuit, ſi beneficia ipſa intra fines Diœceſis Caputaquen. fuerint; poſſe amplitudinem tuam abſolutè illa, etiáſi exempta fuerint tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatum viſitare; ſin autem extra fines fuerint; poſſe pariter illa vti eiuſdē Sedis delegatum viſitare: quando beneficia ſecularia exiſtant, & Cathedralis Caputaquen. illis, alia Cathedrali, vicinior ſit. Ad alte-

alterum, de contributione Seminario Caputaquen. facienda, reſpondit, vtique teneri beneficiatos dictorum beneficiorum ad contributionem dicti Seminarij, ſi intra fines iſtius Diœceſis beneficia prædicta fuerint. De quibus ſingulis cùm amplitudo tua teneat Congregat. ſententiam, eam pro ſuo munere obſeruandam curabit, & benè valeat in Domino, cuius gratiæ donis, eam cumulari optamus. Romæ Die 4. Februarij 1593.

Amplitudinis tuæ Reuerendiſſimæ vti frater.
Hieronymus Card. Matthæius.

120 Præterea adſunt aliæ præcedentes reſolutiones ſuper eadem viſitatione, & ſuper conceſſione litterarum dimiſſorialium ad Ordines pro eiſdem locis Sanctiſsimæ Trinitatis Cauen. & alijs locis exemptis intra Diœceſim; ſiquidem *in anno* 1584 dùm in hac Diœceſi reſideret quidam Vicarius Apoſtolicus nomine Franciſcus Teſta, ob abſentiâ Laurentij Beli Epiſcopi valetudinarij, Vicarius ipſe peractâ viſitatione Diœceſana, conſuluit Sac. Cong. & Sanctiſſimum Dominum ſuper nonnullis, & ſignanter ſuper his. *Nella detta Dioceſe di Capaccio ſono alcuni luoghi, che pretendono eſſere ſoggetti alla Trinità della Caua Monaci di San Benedetto, il cui Abbate indifferentemente concede licenza d'ordinarſi ad ogni Ordine contra la forma del Conc. Trident. ſi deſidera particolar riſolutione, poiche dopò di detto Concilio non moſtra l'Abbate facoltà alcuna. Il ſimile ancora pretende l'Abbate di Santo Angelo à Faſanella Prete ſecolare, quale da pure ſimili licenze à Preti, ne meno vuole riceuere la viſita, e già fù viſitata dall'Arciueſcouo Verallo. Il medeſmo pretende l'Abbate, ſeù Priore di San Lorenzo della Padula de Cartuſiani, e tutti vanno ricuſando la viſita.*
Huic conſultationi fuit reſponſum his verbis:

Il ſodetto Abbate, & altri inferiori non poſſono dare le dimiſſorie, e dandole, non giouano: & il Procuratore Generale quì di quella Religione hà detto, che non ſi daranno, mà ſi deue auuertire, che non ſi equiuochi dalle lettere dimiſſoriali, alle lettere teſtimoniali; imperoche ſincome quelle non ſi poſſono dare, coſi queſte ſi ſogliono concedere, per hauere teſtimonio delle qualità dell'ordinãdo. Quanto alla viſita il Vicario ſi mantenghi nella ſua poſſeſſione.
Ad aliam propoſitionem tenoris ſequentis:

Il detto Vicario hà viſitato pure alcuni di queſti luoghi, & hà ordinato molte buone, e ſante coſe, intorno alli Sacramenti ſpecialmente: mà li Preti non obediſcono allegando l'eſſentione; ſi deſidera darſi ordine di quello, che deue fare. Reſpondit ead. Congr. *Eſſequiſca l'ordinationi fatte, e proceda contro l'innobedienti in quanto alla viſita.*

Al piacer ſuo Il Cardinal Aleſſandrino.

121 *Conſtitutio Pij PP. V.* ſuprà citata ſuper citatione Eccleſiarum Religionis Sancti Ioannis Hieroſolymitani ab Epiſcopis Diœceſanis, edita *anno* 1571. *die* 22. *Septembris, Expoſcit, &c.* & infrà: *Decernimus, declaramus, & ſtatuimus omnes, & ſingulos locorum Epiſcopos, & alios Superiores, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, omnes, & quaſcumque Parochiales Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica ſuarum Ciuitatum, & Diœceſum, quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem Sancti Ioannis Hieroſolymitani, eiuſque Milites, Capellanos, Miniſtros, Rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis Epiſcopalem, & temporalem Iuriſdictionem Religio, & Milites prædicti haberent, eorumque Eccleſias, Rectores, Vicarios, & Miniſtros quoſcumque (in his tamen duntaxat, quæ animarum curam, illiuſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt) viſitare, omneſque actus viſitationem concernentes exercere poſſe, & debere: ac Rectores, cæteroſque huiuſmodi miniſtros curam animarum exercentes, minùs idoneos repertos, ſiquidem ad nutum amouibiles ſint, ſtatim amouere, ſin verò titulares ſint, illicò ſuſpendere, ac Superiores eorum monere, vt infra aliquem breuem terminum in locum amotorum ſubrogent alios idoneos, priùs tamen per ipſos Epiſcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos: Titularibus verò ſuſpenſis, deputent alios idoneos pariter examinatos, & approbatos, vt ſuprà in coadiutores, ſeù Vicarios iuxtà Decretum Concil. ſeſſ. 21. cap. 6. Interea verò dum hæc ſubrogatio, ſeù deputatio fiat, ipſi Epiſcopi, & alij Superiores, pro neceſſitate curæ animarum prouideant arbitrio ſuo: Quòd ſi Superiores dictorum Rectorum, & Miniſtrorum infra tempus præfixum non ſubrogauerint, aut deputauerint, vt ſuprà; tunc dicto termino elapſo ipſi Epiſcopi, & alij Superiores, alios præuio examine iuxtà eiuſdem Conc. formam, idoneos repertos, in locum amotorum ſubrogent. Titularibus verò ſuſpenſis coadiutores deputent iuxtà dictum cap. 6. ſeſſ. 21. qui tamen in dictis Parochialibus perindè inſeruiant, ac ſi ſubrogati, & deputati ab ipſis Superioribus Religionis, & Militum prædictorum fuiſſent. Volumus autem quòd Epiſcopi, & alij Superiores prædicti viſitationem huiuſmodi, & prædicta omnia, ſolùm tamquam delegati Apoſtolicæ Sedis, & gratis, & abſque vllis dictæ Religionis Rectorum, & Miniſtrorum impenſis, & onere faciant. In collatione item Ordinum, nec non conſecratione Eccleſiarum, & Sacrorum vaſorum, ac benedictionibus, & alijs actibus ſpiritualitatem concernentibus, ac inſtitutione præſentatorum ab eiſdem Militibus ad beneficia, aut approbationes, ſeù confirmationes, quas ab eiſdem fieri, harum præſentium vigore contigerit, gratis omnia faciant, & diligenter attendant, vt nullos admittant, qui qualitates à Concil. requiſitas non habeant, ac præuio examine iuxtà eiuſdem Concil. Decreta idonei exiſtant. & reliqua, &c.*

Conſtit. Gregor. XV. ſæpiùs in hiſce noſtris Conſtitutionibus citata *ſub tit. de Priuileg. exempt. publicata die* 8. *Februarij* 1622.

122. *Inſcrutabili Dei prouidentia, &c.* & infrà. *Hac generali, ac perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tàm Regulares, quàm ſeculares quomodolibet exempti, ſiuè animarum curam perſona-*

rum

rum ſecularium Monaſterijs, ſeù domibus Regularibus, aut quibuſuis aliis Eccleſijs, vel beneficijs, ſiuè Regularibus, ſiuè ſecularibus incumbentem exerceant; ſiuè alias Eccleſiaſtica Sacramenta, aut vnum ex illis miniſtrent, præuia Epiſcopi licentia, & approbatione ſiuè quoquomodo in dicta cura exercitio, aut in eorumdē Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto abſque vlla auctoritate ſe ingerant: in his quæ eiuſmodi curam, ſeù adminiſtrationem concernunt, omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubiiciantur. Ad hæc tàm Regulares quàm ſeculares huiuſmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominùs, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſurā, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter tamquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegatum, toties, & quando opus fuerit, puniri, & colligi valeant. Confeſſores verò ſiuè ſeculares, quomodocumque exempti tàm ordinarij, quàm extraordinarij ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & adminiſtrantes bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus ſubiectarū pertinentia, ſiuè Regulares extiterint, ſiuè ſeculares quomodolibet exempti: Epiſcopo loci adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſinguli's annis, rationes adminiſtrationis gratis tamen exigendas, reddere teneantur; ad idque iuris remedijs, cogi, & compelli queant; Liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, vt eiuſmodi Confeſſores, atque adminiſtratores amoueant: ijſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & adminiſtratores amouendi, quoties, & quando opus eſſe iudicauerit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, vnà cùm Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorumdem Monaſteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, abſque vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa. Ac demùm habeat Epiſcopus, tamquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coërcendi, ac puniendi quoſcumque exemptos, tàm ſeculares, quàm Regulares, qui in alienis Eccleſijs, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia; & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictionē, aut ipſo contradicente prædicare præſumpſerint. Ita vt Epiſcopi in ſupradictis caſibus in prænominatas perſonas, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quòquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit etiā extra viſitationem, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, & eiuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque iuriſdictionem exercere, liberè, & licitè valeant. Decernentes, &c.

Poſt quam Conſtitutionem fuerunt exortæ quædam dubitationes ſuper eius intelligentia, & per Sacram Congregationem reſolutæ, quæ hic ponentur in ſummarium.

Primò,

Primò, an liceat Epiſcopis viſitare altaria, confeſſionalia, & Tabernaculum Sanctiſſimi in Eccleſijs Regularium, quibus non incumbit cura animarum?

Secundò, an Epiſcopi poſſint limitare Regularibus facultatem audiendi confeſſiones perſonarum determinatarum, & in certis locis, & temporibus, & eorum priuilegia reſtringere in miniſtratione Sacramentorum?

Tertiò, an facultas conceſſa Epiſcopis in exemptos, intelligatur etiam in locis nullius Diœceſis?

Quartò, an hanc facultatem habeant Prælati inferiores habentes proprium territorium, & iuriſdictionem Epiſcopalem?

Quintò, an tributũ ſit ius Epiſcopis per hanc Conſtit. confirmandi Abbatiſſas?

Sextò, an Confeſſarij Monialium deputati ante Conſtit. debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari?

Septimò, an Superiores Regulares ante Conſtit. deputati, & electi, egeant approbatione Epiſcopi pro audiendis Confeſſionibus Monialium?

Octauò, an confeſſiones factæ Superioribus Regularibus poſt Conſtit. ſine Epiſcopi approbatione, ſint nullæ, & irritæ?

Nonò, an Regulares generaliter approbati ab Epiſcopo ad confeſſiones, poſſint audire Moniales ſubditas?

Decimò, an Regularis approbatus pro vno Monaſterio, poſſit audire Moniales alterius Monaſterij?

Vndecimò, an Regulares Confeſſores extraordinarij deputati pro vna vice ab Epiſcopo ad confeſſiones Monialium, poſſint pluries audire tamquam extraordinarij abſque noua Epiſcopi licentia?

Duodecimò, an ſuccedente cauſa obquam Epiſcopus moneat Superiores Regulares amouere Confeſſarios, & adminiſtratores Monialium, & Superioribus nõ amouentibus, poſſit Epiſcopus per ſe amouere, & teneatur Epiſcopus cauſam cùm illud faciat eiſdem Superioribus inſinuare?

Decimotertiò, an facultas tributa Epiſcopis in Regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monialium, aut circa clauſuram, & bonorum adminiſtrationem, habeat locum in omnibus delictis, aut in notorijs duntaxat, & cum ſcandalo populi?

Ad quæ dubia Sac. Cong. Conc. conſulta, reſpondit Conſtit. non comprehendere, nec tribuere facultatem Epiſcopis in Regulares, quibus non incumbit cura perſonarum ſecularium in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt. Et ideò.

Ad primum, reſpondit non licere.

Ad ſecundum, reſpondit in hac nihil noui Iuris additum eſſe Epiſcopis in Regulares.

Ad tertium, Reſpondit, negatiuè.

Ad quartum, non competere. Ad quintum, ſimiliter negatiuè.

Ad ſextum, extraordinarios egere noua approbatione; ordinarios non egere niſi finito triennio deputationis.

Ad

Ad ſeptimum, Superiores Regulares deputatos ante Conſtit. poſſe durante Officio pergere abſq; alia approbatione. Eligendos, & deputandos poſt Conſtit. egere approbatione Epiſcopi.

Ad octauum, tales confeſſiones eſſe irritas, & nullas.

Ad nonum, non ſufficere ſed egere ſpeciali approbatione pro Monialibus.

Ad decimum, approbatum pro vno Monaſterio, non poſſe alias Moniales alterius Monaſterij audire.

Ad vndecimum, approbatos, ſiuè deputatos in Confeſſarios extraordinarios pro illa vice, non poſſe vlteriùs id peragere, ſed egere alia deputatione.

Ad duodecimũ, nõ teneri cauſam ſignificare Superioribus Regularibus, ſed relinqui conſcientiæ, & prudentiæ Epiſcopi.

Ad decimumtertium, habere locum in omnibus delictis, nedum in notorijs.

Ant. Card. Caetanus.

Proſper Fagnanus S. Cong. Secr.

Has reſolutiones etiam Vrbanus P.P. VIII. approbauit.

Fuit inſuper dubitatum, an Epiſcopus poſſit punire Regularem accedentem ad colloquendum cum Monialibus, etiam ſubiectis Regularibus, ſine licentia. Ad quam dubitationem Sac. Congregat. reſpondit (iuſſu Vrbani VIII.) poſſe.

Item: an Epiſcopus poſſit punire Regulares procedentes ad electionem Abbatiſſæ ante tempus Epiſcopo ſignificato, vel electione nullatenus prænunciata. Sac. Cog. reſpondit: Regulares teneri ſignificare Epiſcopo diem electionis, & teneri expectare tempus præfinitum, ſi Epiſcopus declaret, velle intereſse per ſe, vel per alium, alioquin ſi non expectent, vel non denuncient, poſſe Epiſcopum in eoſdem Regulares animaduertere.

Coſ. Cardinal de Torres.

Fagnanus Secr.

De Seminario puerorum Diœceſano.

Titulus XXX.

INter præcipua noſtri Epiſcopalis Officij munera, Seminarij regendi, & moderandi curam, eſſe dignoſcitur: eaque in primis verſari debet in præficiendis in illo optimis, & idoneis miniſtris, qui alumnos ad liberales diſciplinas, Eccleſiaſtica dogmata,& ritus,promouere, ac in timore Dei,& caſtis moribus continere calleant. Namque adoleſcentium ætas cùm prona ſit ad mundi voluptates, & illecebras ſectandas, niſi optimè inſtituatur, & à teneris annis ad pietatem, religionem, & cultum informetur; antequam vitiorum habitus totum hominem poſſideat; difficilè poteſt in Dei timore, ſine eius ſpeciali auxilio perſeuerare. Porrò, vt iſtæ tandem nouellæ plantæ,& tenera genimina varijs ex noſtræ Diœceſis locis àllata, poſt optimam culturam,in patrium ſolum iterum replantata,vberes fructus in agro Dominico producere valeant;& alumni ex eodem Seminario prodeuntes,& per loca, quaſi in Colonias quaſdam commigrantes, ſparſim inter Cleros Diœceſis,ſint quaſi norma, & magiſtri cultus Diuini, muſices, & Sacrorum Rituum. Hæc nos inquam, ſolicitudo iam indè ab huius Diœceſis ſuſcepti regiminis initio apprimè anxit; quocirca omni conatu ad hoc aſſequendum enixi ſumus Præfectos, Magiſtros,& miniſtros ſatis idoneos in illo præficere; vtque ſinguli ſe in ſuo officio contineant, operepretium eſſe duximus,aliquas in hac noſtra Synodo Conſtitutiones ab omnibus in Seminario permanentibus ſeruandas edicere, & ſancire, præter illa omnia in ſuperioribus Synodis ſtatuta.

1 Nullus in Seminarium admittatur ſine noſtra licentia, in ſcriptis obtinenda, multis concurrentibus conditionibus: nempè quod recipiendi non minores duodecimo,nec maiores vigeſimo anno; ſint ex legitimis natalibus orti; ſciant ſaltem legere,& ſcribere,& talis appareant indolis, & voluntatis, vt ſpem Eccleſiæ perpetuò inſeruiendi præſeferant; ſint filij pauperum, quamuis non excludimus diuites,ſi proprijs ſumptibus inibi conuictores permanere velint; ſint confirmati,vel in ipſo ingreſſu confirmationem recipiant,vt mox prima Clericali tonſura initientur. Calleant rudimenta fidei, & atteſtationem deferant de frequentata Confeſſione,& Communione per aliquot ſaltem menſes; ſi ſint puberes afferant fidem Curiæ laicalis, quod non ſint inquiſiti, delinquentes, contumaces, &c.niſi ſint Clerici, & demùm afferant iudicium Medici non eſſe aliquo habituali morbo infectos, vel obnoxios.

2 Porrò cum præcipua *Sacri Concil. Trid.* ſuper inſtitutione Seminariorum

fuerit

fuerit ſententia deligendi, pariterque inſtituendi alumnos maturo ingenio, & docibili indole, qui ſuo tempore ad Sacerdotium ritè promoueri poſſint; ea propter ne conditio ſit eluſoria, & alumni ipſi poſt egreſſum à Seminario, poſtquam peruenerint ad ætatem legitimam recipiendi Sacros Ordines aliquam excuſationem prætexant non habere ſufficientem titulum, ad quem promoueantur: idcircò alumni recipiendi inter alia requiſita conſtare faciant ſe in tempore, & ætate legitima habere ſufficientem titulum Eccleſiæ, ſeù patrimonij, penſionis, beneficij, donationis, &c. & de ipſius veritate documenta neceſſaria exhibeant.

3 Præſtent quoque idoneam cautionem in noſtra Curia de reficiendis, & reſtituendis expenſis receptis in Seminario pro alimentis, & doctrina; ſi poſtquam peruenerint ad perfectam ætatem, omittant progredi ad Sacros Ordines, vel ſi interim habitum dimittant Clericalem, matrimonium ineant, aliquouè modo alio Clericatui tacitè, vel expreſsè renuncient, aut ſine noſtra licentia à Seminario diſcedant, amplius non reuerſuri. Neque in caſu dimiſſionis habitus, poſſint ſe excuſari, quòd intendant illum reaſſumere, quando ad perfectam ætatem recipiendi Sacros peruenerint. Quam refectionem in caſibus ſupradictis faciendam taxamus ad ducatos triginta pro vnoquoque anno incolatus, & fideiuſſores in prædictis, ſint perſonæ Eccleſiaſticæ.

4 Promittant inſuper ſe poſt profectum factum in ſcientijs per annum ſaltem in eodem Seminario gratis docere diſcipulos aſſignatos in ea ſcientia, in qua ipſi alumni iudicio Magiſtri ſcholarum meliùs profecerint.

5 Electionem alumnorũ admittendorum, quamuis ob numeroſitatem locorum noſtræ Diœceſis, præſtaret fieri iuxtà deſignationem, & circulos præteritæ ſynodi *ſeſſ. 3 cap. 3.* vt ſingula oppida de tali beneficio participare poſſent. Tamen iuſtis de cauſis à nobis expertis, & maturè excuſſis; id omne noſtro arbitrio, & voluntati reſeruamus, vt ſi quandoque omiſſis nominatione, & electione Cleri per ſecreta ſuffragia, & per ſortes ſi plures ſint nominati alumni, ex motu proprio à nobis præcipiantur recipi in Seminarium, talis electio, deſignatio, & admiſſio à nobis facta valida, & canonica cenſeatur, contraria Synodali Conſtitutione non obſtante.

6 Monemus autem Cleros eligentes (si per electionem, vt ſuprà, fiat nominatio, quod tamen non sine noſtra licentia in ſcriptis fieri liceat) quàuis humanâ affectione poſtposita illos eligant, quos pro loci neceſſitate, & vtilitate magis expedire iudicauerint; & in nominatiône plurium, nobis reſeruamus gratificationem.

7 Admittendi in Seminarium, ſecum afferunt neceſſariam ſupellectilem ſcilicet, anaclinterium ſaltem vnum, lintea, ſtragula, conopęum, puluillos; & ſimiles pannos vſuales; deferant quoque veſtes Clericales, quas in Seminario ſufficiet eſſe coloris nigri, extra verò ſemper ſit coloris violacei ſaltem veſtis ſuperior. Habeant inſuper ſuperpelliceum, & biretum Clericale; libros item neceſſarios de conſilio Rectoris, & Magiſtri ſcholarum.

8 Rector, ſiuè Præpoſitus Seminarij habeat librum grandem, in quo deſcribat admittendos à nobis in Seminarium, adnotando diligenter diem, menſem, & annum receptionis, cum nomine, cognomine, & patria, ac patre admiſſis, & fideiuſſionis præſtitæ, vt ſuprà, de qua etiam exhibeatur Rector copia authentica. Ibidem in dies deſcribet licentias concedendas alumnis egrediendi de Seminario cũ termino ſtatuto ad regrediendum, & etiam dimiſſiones eorundem poſt profectũ in ſcientijs; præter cœtera diligenter notet ætatem cuiuſcumque dimiſſi, vt ſciri poſſit, quando ille ſit in perfecta ætate recipiendi Sacros, vt de eo ſciſcitari poſſit in patria eiuſdem dimiſſi.

9 Quare eumdem librum iugiter Rector recognoſcat ſupputando ætates dimiſſorum, & completo tempore annorum viginti duorum cuiuſque dimiſsi, Rector ipſe per ſpeciales litteras à Parochis locorum, ſe informat, num dimiſſus ille ſit promotus ad Sacros, & ſi contra habitum dimiſerit, matrimonia contraxerint, vel ſi tantummodò in minoribus permanere declaret, & tunc ad nos protinùs referant, vt procedere poſsimus ad petendam reſtitutionem alimentorum, & aliorum, vt ſuprà &c. à fideiuſſoribus; & ſi in his Rector negligens extiterit, vltra pœnam priuationis officij, de proprio tenebitur ad refectionem ſupranarratam eidem Seminario.

10 Et ne vltra vires, & prouentus eiuſdem Seminarij, ac ſupra numerum cellarum, ſiuè cubiculorum alumni recipiantur, congruum videtur numerum admittendorum præfigere, ſupputatis annuis introitibus certis, & expenſis tàm ordinarijs, quàm extraordinarijs, omnium miniſtrorum, operatiorum, medicorum, & medicaminum, & ſimilium, nec non celebrationis Miſſarum, quibus omnibus penſatis, & diſcuſsis, iuxtà prouentus in præſentiarum exigibiles, taxantes numerum viginti alumnorum.

11 Rurſus, quia, vt ſuprà tactum eſt, ex diſpoſitione *Sac. Concil. Trid.* filij diuitum non ſunt ab hoc Seminario excludendi, dummodò ſuis ſumptibus alantur, & nomine Conuictorum ibidem permaneant. Ideò eoſdem recipi concedimus de noſtra licentia, habitâ relatione, quòd vacet locus reſpectu cellarum dormitorij, & Conuictores ipſi in admiſſione, & omnia ſtatuta ſeruanda ab alumnis in petenda licentia, vſu veſtium, & aliorum ſeruabunt; & denique ſingulis legibus, & conſtitutionibus Seminarij, ſicut cæteri alumni ſubiacebunt: excepto quòd non tenebuntur ad reſtitutionem expenſarum, & aliorum, ſi ad Sacros non perueniant.

12 Pro alimentis, & eruditione Scholaſtica, ſoluant annuos ducatos trigintà per ſemeſtres anticipatos, de qua ſolutione facienda ſuis temporibus, idoneè caueant, & ſimul ſecum aſportent cubile, & alia vtenſilia.

13 Et ne cœtero in modo receptionis erretur, vt in prima ſupplicatione coram nobis porrigenda pro parte recipiendi, committatur Rectori Seminarij relationem facere de numero alumnorum, & Conuictorum in Seminario tunc exiſtentium, vt ſi locus vacet, petens admitti poſſit.

14 Præter alumnos, & Conuictores admiſſos de noſtra licentia, nemo alius reci-

recipiatur ad ſcholas, tàm Grammatices, quàm cantus eiuſdem Seminarij, etiā ſi ibidem non permaneat, niſi hora ſcholarum, & exercitij; alioquin Rector, & Magiſtri ſcientiarum, eo ipſo incurrent pœnam priuationis ſui Officij, & alios grauiores noſtro arbitrio infligendas. Neque Magiſtri ipſius Seminarij, poſſint ab illo egredientes alios, etiam extra Seminarium edocere litteras, vel tantùm ſub eiſdem pœnis.

15 Placuit inſuper pro feliciori progreſſu, & optimo regimine ipſiuſmet Seminarij, atque optima diſciplina alumnorum, quaſdam inibi conſtitutiones ſeruandas, breuiter perſtringere, & erunt ſequentes.

16 Quando recipitur alumnus, per dies aliquot quaſi nouitiatum facturus, & animo deliberaturus, retineatur ſeiunctus ab alijs alumnis; & interim Rector grauibus verbis illū moneat, & inſtruat de conſtitutionibus, & legibus in Seminario ſeruandis; ſimulque inſinuet illum per huiuſmodi ingreſſum Seminarij genus vitæ Eccleſiaſticæ elegiſſe; nam ideò ſpopondit ſe congruo tempore ad Sacros Ordines progreſſurum; tùm examinet, & experiatur num ſit bonæ indolis, caſtis moribus, & timoratæ conſcientiæ, vt obindè adſit ſpes eumdem benè profecturum.

17 Si narrata concurrant, receptus, ſi laicus fuerit, debitis mediantibus requiſitis à nobis prima tonſura Clericali initiandus erit, & tùm ſolemniter recipietur in cœtum alumnorum, ſub his ceremonijs. Præmiſſa per recipiendum generali confeſſione ſuorum peccatorum: ducetur in Capellam præſentibus Rectore, Magiſtris, & alumnis: cantetur Hymnus, *Veni Creator Spiritus, &c.* verſ. & Oration. *de Spiritu Sancto, de Beat. Virg. SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, & de Patrono* Seminarij: celebretur Miſſa in qua alumnus communicabitur, & Miſſa completa, alumnus à Rectore induetur veſte violacea ſuperiori, & eidem dato oſculo filiali, accedent ſinguli alumni ad illum recipiendum in contubernalem per oſculum fraternitatis.

18 Seruanda quoque præcipua ab exiſtentibus in Seminario erunt ſequentia: Veſtibus ſemper vtantur Clericalibus, quæ intra ambitum Seminarij poterunt eſſe coloris nigri, extra verò ſemper deſuper alias veſtes geſtetur Tunica violacea; eæque omnes ſint talares, & præcinctæ zonis violaceis ſericeis, non autem corrigijs coriaceis, nulloque pacto veſtes ſint ſericeæ.

19 Veſtes interiores ſint quoque modeſtæ, nempè interulæ, non acu pictæ, collaria non rugata, nec amilo linita; caligæ non inflatæ; tibialia honeſti coloris; manicæ non albæ, ſed veſtibus congruentes, quæ non pendulæ, ſed brachijs cohærentes geſtentur. Abſtineant à chyrotecis, & ſupertibialibus; calceos habebunt nigros non fractos, nec diſſutos; pileo non vtantur niſi extra domum tempore pluuio, ſed aſſiduè biretum aſportent.

20 Doctrinæ Chriſtianæ memoriter addiſcendæ inſiſtant, non ſolùm ex paruo libello, ſed ab explicationis libro eiuſdem Doctrinæ, & ſuper eadem frequenter collationes fiant.

21 Miſſæ ſacrificio intereſſe non prætermittant, quando in Capella celebra-

tur, & celebrati per hebdomodas inſeruiant. Feſtis verò diebus de præcepto, & Dominicis ad maiorem Eccleſiam conueniant cum ſuis Magiſtris ad Miſſam ſolemnem, ibiq; in Choro, & organo canant, ſicut etiam in Veſperis ſolemnibus, quando fuerint requiſiti.

22 Super ritibus, & ceremonijs Eccleſiaſticis à Rectore, ſeù Magiſtro inſtruâtur, & in eiſdem in ſolemnitatibus actualiter exerceantur.

23 Singulis menſibus ſua peccata confiteantur Confeſſario ordinario, & in primis Dominicis communione ſacrâ reficiantur: & bis, aut ter in anno deſtinetur Confeſſarius extraordinarius, cui in termino præfixo omnes confiteantur.

24 In proprio cubili vnuſquiſque ſolus, nunquam cum alijs, accubet: alienas cellas tàm noctu, quàm interdiù abſque licentia non ingrediatur: & ſi contra duo, vel plures in eadem cella vna ſimul maximè Ianuis clauſis reperiantur, grauiter plectantur, ad euitanda ſcandala, & conuenticula.

25 Cubicula ipſa, & arcæ particulares retineantur apertæ, ita vt Rector ad libitum, quidquid intus ſit rimari poſſit.

26 In dormitorio lampas de nocte aſſiduè collucent: & hora ſilentij nullus extra cellam diuagetur, niſi neceſſitate vrgente, & tunc non ſine candela accenſa, & ſine ſtrepitu pedetentim, nè alios exturbet.

27 Sin autem de nocte caſus repentinus infirmitatis, doloris, vel alterius extemporanei accidentis alicui alumno contigerit: tunc qui primus notitiam habuerit, Rectorem adeat, caſumque renunciet, vt de opportuno remedio patienti prouideatur.

28 Poſt datum ſignum ſilentij veſpertini, vnuſquiſque in ſuum cubiculum ſe recipiat, lectum ſternat, & alia miniſteria compleat ante cubitum; & cubile ingreſſus ſigno Crucis ſe communiat, orationes exercitij quotidiani recitet, tùm conſcientiam ſuam de peccatis, & defectibus illa die commiſsis diligenter examinet, & de ipſis actum contritionis eliciat, & demùm ſe ipſo ſub Dei, & Beatæ Virginis, ac Sanctorum tutelarium patrocinijs commendato, dormiat.

29 Alumnis ingreſsis in ſua cubicula, Rector, ſiuè alius ab eo deſtinatus ſingulas cellarum Ianuas forinſecus claudat, & claues apud ipſum Rectorem retineantur, nullique niſi probatæ vitæ miniſtro, credantur.

30 Manè diluculo audito ſigno Matutinali, omnes è lecto ſurgant, niſi de conſilio Medici occaſione infirmitatis, ſeù conualeſcentiæ, ibi ſit immorandum; ſurgentes ſigno Crucis ſe muniant, & veſtibus induti, ante imaginem aliquam Saluatoris noſtri, vel eius Virginis Matris, quæ in vnoquoque cubiculo habendæ erunt, aliquantiſper mentaliter, ſeù vocaliter orent pro ſe, pro Eccleſia Catholica, pro Summo Pontifice, Principibus Chriſtianis, populis, & imminentibus neceſsitatibus.

31 Tùm audito ſigno campanulæ omnes in Capellam conueniant, & in duos Choros ſeparati, Officium Beatæ Virginis Mariæ recitent, decenti geſtu, deuoto affectu, & debita pauſa in medijs verſibus, vſque ad Veſperas, & dùm recitát *verſ.*

Gloria

Gloria Patri. aſſurgant, & ſe inclinent; ſicut etiam in expreſsione nominis Ieſu Chriſti, & Virginis Matris; deindè priuatim orantes ſacrificio Miſſæ deuotè aſsiſtant.

32 Ad ſcholas protinùs accedant, vbi à præceptore, per trium, aut quatuor horarum ſpatium iuxtà longitudinem, vel breuitatem dierum, exercebuntur in Grammatica, & explanatione auctorum latinorum, diſtincti per tot claſſes, prout præceptor ipſe iudicauerit.

33 Sit cautus Magiſter Grammatices in deligendis auctoribus enucleandis, vt ſint non modò puri, & elegantes in eloquio, ſed caſti, & Catholici in dictione, & præceptis, ac dogmatibus, ne puerorum ingenia, & puræ mentes contaminentur; quod item ſeruabit inſtruendo ad Syntaxes, & regulas Grammaticales.

34 Alumnos aliquanto prouectiores aſſueſcat aſsiduè diſputationibus, & diſceptationibus ſuper conſtructiones dubijs, & fallentijs Syntaxeos Grammaticæ, interpretatione auctorum, & ſimilibus: eoſdemque aſſueſciat in explanandis auctoribus ſuo marte, & in eiſdem vertendis in linguam vernaculam in ſcriptis, maximèque Epiſtolas latinas, quas deindè verſas curabit iterum in latinum ſermonem traducendas variando elocutionem per chryas, & ſynonimas, iuxtà captum vniuſcuiuſque.

35 Interpretando Auctores, maximè Poëtas, à lectione eliciat varia documenta, & ſenſa, nempè expoſitionem Grammaticalem circa conſtructionem verborum, & eorum Analogiam. Rethoricalem circa ordinem & methodum in oratione ſeruandam, tum etiam Allegoricam, & moralem, inſtruat quoque in Proſodia, quantitate ſyllabarum, ſcanſione, & modulatione carminum per varia eorum genera, & in his præceptoris ſolertia enixè verſabitur.

36 Ter, aut quater in hebdomada per examen ab alumnis repetat quæcumque didicerunt, maximèque in regulis, vt fortiùs memoriæ inhæreant, nam hæc decies repetita iuuabunt. Quod examen poterit quotidiè etiam practicari, in compoſitionibus latinis eorumdem alumnorum, eis à præceptore dictatis.

37 Non prætermittant etiam illos inſtruere computum Eccleſiaſticum, iuxtà Calendarium reformatum, quod Eccleſiaſticis eſt apprimè neceſſarium.

38 Vnum illud ob oculos Magiſtris ſemper verſetur alumnos ſi quidem informare in timore Dei, in caſtis, & modeſtis moribus, pietate, & religione: quidquid enim vitij illi contraxerint, præceptori ipſi aſcribendum erit.

39 Poſt exercitationem Grammatices, ſuccedat inſtructio Muſices tàm vocalis, quàm inſtrumentalis iuxtà modulum diſpoſitionis, & vocis vniuſcuiuſque.

40 Completis exercitijs ſcholaſticis, acceptoque ſigno, omnes in Triclinium ad prandium accurrant, & ſacrata menſa à prouectiore eorum iuxta formulas in fine Breuiarij: modeſtè, & ſub ſilentio cibum ſument: & inter prandendum non deſit lectio ex aliquo libro ſpirituali ad libitum Rectoris, & lector erit vnus ex alumnis, deputandus per hebdomadam.

41 Interdum in feſtis quibuſdam ſolemnibus iubeat Rector ab alumnis prouectis fieri aliquem breuem ſermonem ſuper aliqua materia propoſita, vt ad dicendum illos aſſueſcere faciat.

42 Ex-

42 Expletis epulis, factaq; gratiarum actione ſurgentes alumni ipſi, vel ſe in cellam ad quietem recipiant, vel relaxandi animi gratia, tempus illud quietis in modeſtis collocutionibus, ſeorſum à dormitorio, ne alios turbent; frugaliter tranſigent: quouſque à Rectore vocati per horæ ſpatium exercebuntur ſuper ritibus, & ceremonijs Eccleſiaſticis vſu, & eſſentia Sacramentorum, maximèque pœnitentiæ, & alijs ſimilibus.

43 Recitatis poſtmodum Veſperis & Completorio in Capella ad exercitia eadem Grammatices, & ſucceſſiuè Muſices reuertentur; & ſtudijs completis, ſi temporis opportunitas ſuggeret, aliam horam in relaxandis animis inſument, & deindè in cellam ſe recipientes ante cœnam, & omnia, quæ illa die didicerunt, vel à Magiſtro componenda, aut recitanda acceperunt, recolant, repetant, & conficiant, ac memoriæ mandent. Poſt cœnam iterum in cellam diuertant, aliaq; neceſſaria peragant.

44 Feſtis diebus, in quibus eſt à lectione ceſſandum, poterunt Magiſtro duce, aliquo diuertere, ſi anni tempus permittat oblectationis gratia; quòd interdum infrà hebdomadam, die etiam non feriato, Rector permittat.

45 Nullus à Seminario egrediatur, etiam mox reuerſurus ſine Rectoris licentia, à quo etiam dabitur comes, ne ſolus diuaget.

46 Qui linguam latinã nôrint; ſemper mutuò latinè colloquantur in ſcholi, vndè non exibunt Magiſtro inſcio, quẽ omnes metu reuerẽtiali venerabuntur.

47 Alumni ipſi mutuò fraterno amore ſe diligant, nulli detrahant, non iurgia, non rixas moueant; cum Miniſtris inferioribus nullam conſuetudinem, extra caſus neceſſitatis, habeant; exterorum omninò conſortium abhorreant.

48 Litteras etiam ad ipſos conſanguineos non ſcribant Rectore inſcio, neq; ab alijs miſſas recipiant, niſi illas idem Rector prælegat.

49 A blaſphemijs, iuramentis, detractionibus, ſcurrilibus, ſubſannationibus, & deriſionibus caueant, vana, & turpia ne proferant, correctiones fraternas recipiant; & ſi quid diſsidij, vel ſimultatis inter eoſdem intercedat, protinùs Rectori inſinuetur, vt eos mutuò reconcilia i curet.

50 Pecuniam apud ſe non retineant, & quidquid de illa habuerint, Rectori conſignent, qui illam ad dantis requiſitionem retinebit, pro vſu neceſſario reſtituendam.

51 Oculatiſſimè obſeruet Rector, num inter aliquos alumnos nimia, frequens, & ſecreta familiaritas intercedat, vndè alia fortaſſe ſuſpicio mali inſurgat, & tunc opportuna remedia adhibeat; & ſi quos ad hæc proteruos, petulantes, & incorrigibiles comperiat, ſi opus fuerit, ad nos referat.

52 Doctrinæ Chriſtianæ exercitationem, quamuis omni tempore fieri cõgruat, hoc tamen præcipuè in feſtis, & Sabbatis de ſerò haberi decebit, quando etiam mandamus cantari Litanias de Beata Virgine, & Antiphonam *Salue Regina*, ſeù aliam ex quatuor poſitis in Breuiario pro diuerſitate temporum.

53 Si quis alumnus infirmetur, illicò Rector ad illum viſendum aduocet Medicum ordinarium, ſi adſit, & miniſtrandis neceſſarijs, aliquot Miniſtros

valetu-

valetudinarios deputet, vt diù, noctuque remedia opportunis horis exhibeantur.

54 Alumni, in ætate proxima ad Sacros recipiendos conſtituti, inſtruantur de modo, & ordine diuini Officij recitandi, & Rector illos examinet, & experiatur, num habiles ſint, & digni ad talem gradum promoueri, & ſi quid imperdat, ad nos cautè deferat.

55 Idemque animaduertat, ſi quos poſt diutinum experimentum cognoſcat parum profecturos in ſcientijs, aut alias abhorreant ab illis finibus aſſequendis, ad quos Seminarium fuit inſtitutum, puta ſint indociles, valetudinarij, in malis moribus peruicaces, incorrigibiles, & quod in ætate prouecti parum didicerint, hos deferat cum ſuo ſenſu, vt prouidere poſsimus.

56 E conuerſo item, ſi quos acumine ingenij cognoſcat aptos ad altiora ſtudia ſectanda, & eos iam in Seminario in manſuetioribus diſciplinis profeciſſe; ad nos quoque referant, vt eiſdem modum, & opem præbere poſſimus, quomodo grauioribus ſtudijs inſiſtere valeant, ad hoc auxilia, & ſuppetias, ſi pauperes ſint, vel à ſuis Eccleſijs, vel ab alijs locis pijs.

57 Caueat Rector mittere alumnos ad domos priuatorum, causâ muſices, vel alterius negotij; neque illos intra idem Seminarium cantiones prophanas canere permittat: neque ad hæc, & ſimilia peragenda laicos ingredi ſinat ſub pœna priuationis Officij, & alijs grauioribus.

58 Poſt peractam profeſsionem nullus à Seminario dimittatur nobis inſcijs, ideò quando caſus euenerit, Rector ad nos referat, qui neque dare poſsit licētiam alumnis commorandi extra Seminarium vltra menſem, alioquin ſi vltra dictum ſpatium egreſſus reditum diſtulerit, non recipiatur, ſine noſtra licentia.

59 Curet Rector, vt ſinguli alumni has noſtras Conſtitutiones, & Seminarij leges addiſcant, intelligant, & debitæ exequutioni ad verbum demandent.

60 Pro optima demùm adminiſtratione eiuſdem Seminarij inhærendo Decreto *Sac.Conc.Trid.* præcipimus ſingulis annis reddi rationes hoc modo: Miniſtri minores reddant rationem ſui miniſterij in manibus Rectoris, cuius conſcientiam in hoc ſtrictè oneramus, & ſi quos diſcolos, infidos, fraudulentos, aut alias nequam cognouerit, eoſdem mutet & ſi opus fuerit ad nos deferat, vt de melioribus, & legalioribus prouideri præcipiamus.

61 Rector ipſe ſingulis annis nobis rationes reddere tenetur præſentibus (ſi opportunitas detur) duobus de Capitulo, & totidem de Clero, iuxta idem *Trid. ſeſs.* 23. *cap.* 18. *de reſor. verſ. Rationes &c.* & hoc non ſolùm de receptis & expenſis in eodem Seminario, verùm etiam de mala, vel bona adminiſtratione, cura, & moderatione alumnorum, & miniſtrorum omnium exiſtentium ſub eius cura, & protectione, de quibus ipſe de rato cenſetur promiſiſſe; & proindè ſi conniueat, particeps, & conſentiens iudicabitur.

62 Ad hoc cōmodè exequendū habebit librū in quo ſingulis annis adnotabit ſummas exactas, & exigendas iuxta taxam generalem totius Diœceſi; dietim deſcribendo expenſas factas, & in rebus momenti pro verificatione procurabit fides, & atteſtationes neceſſarias.

63 In prouidenda annona,& cæteris neceſſarijs totius domus,omnia coëmat, & procuret debitis temporibus,nempè frumenti in meſſe, & reliqua temporibus opportunis; quod fiet commodiùs, & impenſa valdè minori.

64 Et quoniam poſt primam taxam in ipſa erectione Seminarij factam,vigore litterarum *Sac. Congregat. ab Epiſcopo Paulo Aemilio Verello de anno* 1567. *in Synodo Diœceſana, vt legitur in* §. 122. ſuper omnibus beneficijs Eccleſiaſticis hoc modò; nempè ſuper prouentibus beneficiorum ſimplicium annui valoris illorum ad rationem quatuor pro centenario, & in beneficijs Curatis ad rationem trium pro centenario, ſuper qua taxa æſtimata, & confecta in pleno Conuentu Diœceſis, fuit præſtitus aſcenſus, *iuxtà Sixti PP. V. & deindè in anno* 1583. *die* 20. *Iunij* eadem taxa fuit confirmata in alia Synodo Diœceſana celebrata à Syluio Galaſio Vicario Apoſtolico huius Diœceſis; & demùm in alia Synodo coacta ab Epiſcopo Lælio Morello *de anno* 1593. *die prima Maij* fuit tertio confirmata, & concluſum quòd exigatur annis ſingulis in medietate menſis Auguſti. Plura beneficia de Iurepatronatus deindè fuerunt fundata, & Confraternitates erectæ,quæ iuxta eamdem antiquam taxam fuere etiam taxandæ in beneficium ipſius Seminarij. Ideò inhærentes *Decreto Conc. Trid.* ſuprà relato ad huiuſmodi taxam faciendam ab anno 1593. ſuper omnibus beneficijs, Eccleſijs, Capellis,Confraternitatibus, Hoſpitalibus, & alijs ſimilibus, deſtinamus Commiſſarios de Capitulo: Dominum Archidiaconum Donatum de Rota Vicarium,& D. Octauium Seuerinum Primicerium, & de Clero Diœceſis, alios duos à nobis nominandos.

65 Quibus quidem ſic in præſenti Synodo electis per nos, cum aſſiſtentia, & conſenſu noſtri Capituli,& Cleri Diœceſani, in hanc Synodum legitimè congregatorum ex nunc conceditur plenaria facultas eãdem taxam conficiendi, moderandi, & æſtimandi,vocatis vocandis intereſſe debentibus, & habentibus ſuper omnibus,& quibuſcumque prouentibus,& Introitibus Eccleſiarum,Capellarum, beneficiorũ, & locorum piorum, *iuxtà Decretum* Sac. *Congreg. Concil de anno* 1628. *die* 19. *Nouembris*: à qua taxatione, & contributione neminem eſſe exemptum, niſi quos idem *Concil. excepit*, fuit declaratum *à Sac. Congregat. eadem de anno* 1601. *die* 11. *Ianuarij*. Imò omnia beneficia, quæ in fundatione erant ſecularia, & deindè fuerunt vnita, vel pertinent ad Monaſteria Regularia,huic contributioni, ſunt obnoxia, vt pro hoc noſtro Seminario Diœceſano Caputaquen. declarauit *ead. Congregat. de anno* 1586. *die* 23. *Iunij,& an.* 1593. *die* 4. *Februarij*.

66 Quam eamdem taxam conficiendam, poſtquam confecta fuerit valorem, & vim habere declaramus, quoad effectum, vt licitè exigi poſſit, non ſecùs,ac ſi in hac Synodo,& coram nobis fuiſſet confecta.

De Iudicijs, Miniſtris, & Ritibus noſtri Fori Epiſcopalis.

Titulus XXXI.

CVM rectè viuendi norma, ciuilium actionum ordo, ſubditorumque pax,& tranquillitas ab optima Inſtitutione Magiſtratuum dependeat; iudicantium enim integritas, & prudentia ſalus Populorũ eſſe dignoſcitur: nihilque adeò pernicioſum Reipublicæ contingere poteſt, quam prauos, & indiſcretos habere iudices. Quocircà iam indè ab initio noſtri Paſtoralis Officii,hæc præcipua cura animum noſtrum inceſſanter pulſauit, & aſſiduè anxit; noſtro Epiſcopali foro, & Diœceſano Tribunali, eos præficere Officiales, qui æquâ lance vnicuique ius ſuum tribuere ſcirent, & vellent; & obindè, cum huius laborioſi regiminis partem nobiſcum videantur ſortiri,vnà mecum ouium commiſſarum tutelam,& paratiſſimum ſtatum procurarent. Inſuper, quia ob vagum,& inſtabilem eiuſdem Tribunalis incolatum,& variabilem reſidentiam; non modo collitigantibus incommodum, & noſtræ Curiæ detrimentum effectum eſt: verùm etiam inter ipſos Curiæ Miniſtros, tàm maiores,quàm minores Notarios,& Cancellarios, variabiles ritus, & inter ſe interdum diſcrepantes ſtyli,& ordines Iudiciarij inoleuerunt, non ſine magno Curialium anfractu, & ſubditorum ſcandalo. Quibus incommodis occurrere volentes,iamdiù in animum induximus huic interturbato ordini Iudiciario aliquã imponere normam, & methodum; ſaltem pro minoribus, & Tyronibus Miniſtris. Vndè veteres noſtræ Epiſcopalis Curiæ ritus in nouam obſeruantiam, reuocantes, & multa pro optimo regimine, & exequutione Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum ſanctionum, moderantes, & ſtatuentes, ſequentia ſeruanda præcipimus.

1 Primò,vt noſtri Epiſcopalis fori ſtatus omnibus innoteſcat; dicimus Diœceſim Caputaquen. ſub hoc titulo tres alias Cathedrales Eccleſias in iure Canonizatas, continere; nempè Pæſtanam, Velinam, & Acropolitanam, & tamen ob dirutas titulares Ciuitates,nullum alicubi Epiſcopo, & Tribunali firmum fuit domicilium; & obindè magna contigit iactura ſcripturarum, & forus Epiſcopalis varijs in locis reſidens, nullum potuit ſtabile Archiuium inſtituere.

2 Prętereà Diœceſis ipſa,ob eius vaſtitatem,locorum frequentiam,ſitus aſperitatem, & itinerum longitudinem, ne litigantium recurſus ad Iudicia grauaretur vltra dietam, ab immemorabili duos conſueuit habere Officiales maiores, cum æquali poteſtate Iuriſdictionis; licet alteri eorum fuerit olim datus titulus

Locumtenentis; modò tamen ambo ſub eodem titulò reſident, vt ſecuriùs vterque poſſit exequi reſcripta Apoſtolica Vicarijs commiſſa. Vnus præſidet in valle Diani, & alter in Valle Noui; vndè ad hoc Diœceſis eſt bipartita. Tertius accedit Epiſcopus, qui vbicumque libuerit cauſas cognoſcit, & vnum, & idem Conſiſtorium, & Tribunal facit.

3 Vicarij ipſi, & Epiſcopus habent Miniſtros inferiores, nempè Notarios, & Scribas pro cauſis actitandis, quos etiam Cancellarios appellant. Quibus pro optima adminiſtratione Officij, & curſus ordinis iudiciarij, atque indemnitate ſubditorum, ſequentia præcipimus ſeruanda.

4 Primò, Notarij, Cancellarij, & Scribæ præfati in ipſo ſui Officij ingreſſu, in manibus noſtris Iuramentum præſtabunt de legalitate ſeruanda in cauſis actitandis, & promouendis, informationibus capiendis; quacumque fraude, colluſione, concuſſione, & extorſione remotis, & præcipuè de ſeruanda taxa in præterita Synodo impreſſa, & à Sacra *Congreg. approbata de anno* 1580.

5 Vnuſquiſque Cancellarius in capite reſidens apud vtrumque Vicarium, ſibi conficiat decem libros, pro regeſtandis ſequentibus actionibus.

6 In primo regiſtrentur ordinationes generales, & particulares cum exemplatione per extenſum vnius Bullæ cuiuſque ordinis in fronte Regiſtri ſingulorum ordinum, iuxtà communè ſtylum noſtræ Cancellariæ: ibidem regiſtrentur dimiſſoriæ pro ſuſcipiendis ordinibus ab alienis Epiſcopis, quæ item poſtquam fuerint ſuum effectum ſortitæ, bullæ teſtimoniales ordinum receptorum ab ordinatis præſentabuntur, & in eodem libro adnotentur.

7 In ſecundo libro exemplentur ſingulæ Bullæ in dies à noſtra Curia expediendæ erectionum Parochialium, vel non Parochialium Eccleſiarum, Monaſteriorum, Confraternitatum, Sodalitiorum, Societatum, Collegiorum, Oratoriorum, Xenodochiorum, ſiuè Orphanotrophiorum, Hoſpitalium, Montiũ pietatis, & ſimilium. Item Bullæ fundationum, reſeruationum, dotationum, & erectionum quorumcumque beneficiorum, tàm de iurepatronatus, quàm quouis alio titulo: cum Bullis reſpectiuè collationum pro tempore eorumdem beneficiorum, & prouiſionum ſuper illis: Regiſtrentur ibidem reſignationes beneficiorum quorumcumque, cum publicationibus illorum. Item Bullæ Rectoratus, Archipresbyteratus, Canroratus, litteræ œconomię, coadiutoriæ, Canonicatus, & dignitatis, commiſſiones Vicariorum Generalium, & foraneorum, Promotoris Fiſcalis, Commiſſariorum delegatorum, & omnes aliæ Scripturæ conſimiles.

8 In tertio adnotentur per titulos acta criminalia, cum deſcriptione perſonarum inquiſitarum, contumacium, & delinquentium; & inibi commiſſiones expediendæ pro capiendis informationibus extra Curiam, fideiuſſiones inquiſitorum, mandata de illis exequendis, applicationes, confiſcationes, exequutiones, & cætera his ſimilia.

9 In quarto regiſtrentur actiones ciuiles connotando titulos, & perſonas colligantes, & præcipuè adnotentur cauſæ commiſſæ extra Curiam perſonis

parti-

particularibus, in quarum commiſſione ſemper apponatur clauſula, ſaluis iuribus noſtræ Cancellariæ debitis pro actis conficiendis, & ſi Commiſſarij non ſint perſonæ benè notæ, legales, & idoneæ, cauſæ committantur vſq; ad ſententiam excluſiuè, & ſi tamen committentur incluſiuè, ſaltem fiat cum clauſula, vt Commiſſarius ante ſententiam referat in noſtra Curia de ſtatu cauſæ.

10 In quinto regiſtrentur obligationes, & fideiuſſiones, tàm ciuiles, quàm criminales in dies ſtipulandæ, quæ nullo modo deſcribantur in faſciculis, & folijs ſeparatis.

11 In ſexto notentur dimiſſoriæ, & licentiæ commorandi extrà Diœceſim, celebrationis Miſſarum, auſcultandi confeſſiones, tàm Sacerdotibus ſecularibus, quàm Regularibus, in quibus licentijs fiat ſemper mentio de examine præmiſſo, & de tempore durationis. Item licentiæ concionandi, colligendi eleemoſynas, & ſimilia.

12 In ſeptimo deſcribantur profeſsiones fidei emittendæ à prouiſis de beneficijs, & ab alijs notatis in primo titulo huius Synodi.

13 In octauo notentur legata pia, & diſpoſitiones fauore animæ factæ locis pijs, pauperibus Eccleſijs &c. quæ in dies à Notarijs ſtipulantibus, & à Vicarijs foraneis locorum tranſmittentur ad hoc, vt ſuis temporibus debitæ exequutioni demandari poſsint.

14 In nono regiſtrentur edicta, conſtitutiones, & ordinationes, quæ in dies per Diœceſim erunt tranſmittendæ.

15 In decimo tandem reponantur omnes litteræ, declarationes, reſcripta, & decreta Sacrarum Congregationum, & aliæ prouiſiones à Sede Apoſtolica tranſmittendæ.

16 Quòd verò ad ſingulorum Miniſtrorum Officium, & iuriſdictionem ſpectat, breuibus perſtringemus, ſimulque de Ritibus, & obſeruantijs, in ordine iudiciario, partim per deſuetudinem ferè abolitis, partim verò Notariorum, & Curialium negligentia corruptis, & deprauatis, certum ordinem reſtituemus.

17 Primus noſtræ Curiæ Miniſter eſt Vicarius Generalis, qui omnes cauſas ad noſtrum forum Epiſcopalem ſpectantes tàm Criminales, quàm Ciuiles, & mixtas cognoſcit, promouet, decidit, iudicat, & exequitur; eius iuriſdictio eſt in vtroque foro, nempè temporali, & ſpirituali, non ſolùm in his, quæ cõpræhenduntur in mandato Generali, ſed vbi requireretur ſpeciale mandatũ, puta in cauſis matrimonialibus, inſtitutionibus præſentatorum, & ſimilibus; non autem habet collationem beneficiorum nobis reſeruatorum, neque dat dimiſſorias ad Ordines, ſine ſpeciali facultate.

18 Habet quoque ab immemorabili curia ipſa Promotorem Fiſcalem, qui iura Fiſci Epiſcopalis proponit, tuetur, & promouet; proceſſus etiam informatiuos videt, citationes expediendas petit, & contumacias criminales inuitandas: inſtat pro condemnatione pœnarum, illaſque exequi curat, aliaque facit in litteris commiſsionalibus compræhenſa.

19 Actuarius, qui etiam Cancellarius nuncupatur, alios ſolet habere Scribas de noſtra licentia adhibendos; volumus tamen quoad fieri poteſt acta ſubſtantialia per ipſum deſcribi, vel ſaltem ab alijs conſcripta, ipſum ſubſcribere.

20 Secreta cauſarum nemini pandat. Diligentiam præcipuè adhibeat in capiendis informationibus, & examinandis teſtibus in cauſis criminalibus, tàm ex Officio, quàm ad partis inſtantiam; teſtium ſiuè principalium depoſitiones, benè, fideliter, & iuridicè extendat; neque illas ſuggeſtiuas, ſingulares, & nõ concludentes, potiùs ſua culpa, quàm ex rei, & facti euentu, efficiat, & proindè teſtes, quoad fieri poteſt, coram Vicario examinentur.

21 Informationes huiuſmodi captas, penes ſe retineat ſub tutis clauibus in Archiuio; nemini oſtendat, etiam ſi à Procuratoribus, & Aduocatis poſtulentur, niſi poſt factam publicationem in cauſa, & tunc cum licentia Vicarij Generalis, & fide recipientis, ſi acta extra bancam erunt percontanda.

22 Caueat inſuper ne ipſe, vel alij eius permiſſu proceſſus, & ſcripturas quaſcumque in toto, vel in parte deleant, lacerent, ſupprimant, immutent, vel imminuant, neque aliquam copiam, niſi in caſibus permiſsis ipſe præbeat, aut ante publicatum proceſſum in ipſo probata referat, propalet, & communicet, ſub pœna falſi, & alijs etiam corporalibus.

23 Nulloque prætextu, ſiuè colore, etiam familiaritatis, & beneuolentiæ, ac conſanguinitatis, actuarij, Cancellarij, & Scribæ pro tempore exiſtentes, ab inquiſitis litigantibus, & cauſas quaſcunque in noſtra Curia habentibus, vel ab eorum Procuratoribus, Aduocatis, conſanguineis, & proxenetis, tàm per ſe, quàm per interpoſitas perſonas; aliquid muneris, & præmij exigant, aut etiam ſpontè oblatum recipiant, tàm in pecunia, quàm in alia quauis re conſiſtens. Neque pro actis, ſcripturis, Decretis, copijs, & alijs quibuſcunque in Curia faciendis præſumant aliquid recipere ſupra taxam impreſſam, et in non deſcriptis in taxa, vltra conſuetum ſalarium, alioquin eos ipſos delinquentes in his, ex nunc pro tunc declaramus obnoxios reſtitutionis dupli, vltra pœnam excommunicationis impoſitam in præterita Synodo *ſeſſ. 3. c. 15. num. 1.* quam innouamus.

24 Dies præſentationis ſcripturarum, prolationis decretorum, prouiſionum, contumaciarum, & ſimilium deſcribantur per extenſum, non per Abacum, & ſic etiam annus currens. Et ſi dies contumaciæ fuerit feriata, de feſto fiat mentio, & differatur ad diem non feriatam incuſatio, & condemnatio.

25 Excuſationes, ſiuè purgationes contumaciarum poſt rectam Curiam, vel de ſerò in Criminalibus, & Ciuilibus magni momenti, non admittantur, niſi præſente Vicario; vel ipſo ſciente.

26 Proceſſus omnes ſeruentur benè conſuti, cum titulis in fronte, & paginæ notatæ per Abacum.

27 In actionibus iudiciarijs Criminalibus hic ordo conſuetus ſeruetur. Accuſationes, & querelæ Criminales ad partis accuſantis inſtantiam contra Eccleſiaſticos, non recipiantur, niſi ſeruata forma legalis libellorum, ab his, qui

ſuam,

ſuam, vel ſuorum proſequuntur iniuriam, vel offenſam, & hi parte potente præſtent cautionem de reficiendis expenſis, ſi obiecta crimina non probentur, aut alias ſuccubuerint; niſi Vicario noſtro aliter expedire viſum fuerit, attenta qualitate accuſatoris, & accuſati, & criminis obiecti, nam tunc ratio de expenſis habenda erit in calculo ferendæ ſententiæ, ſi de oppoſitis non probetur.

28 In capitibus contra eoſdem Eccleſiaſticos porrigendis per viam denunciationis non querelæ, apponatur nomen porrigentis; vel ſi denuncians ad euitandas ſimultates ſe prodere nolit, ſaltem ſuam perſonam notificet noſtræ Curiæ, vt eius legalitas innoteſcat; nam ſæpènumero ab impoſtoribus incertis, odij cauſa, contra perſonas innocentes obijciuntur falſa crimina, quæ licet non probentur, tamen denunciato notam inurunt.

29 Receptis accuſationibus, & denunciationibus examinentur teſtes nominati, & alij ex Officio; & ſæpenumerò cùm teſtes ſint ſenes, valetudinarij, mulieres, & ſimiles, vel ob loci diſtantiam à Curia, ſolet eorum examen committi Vicarijs foraneis, vel alijs idoneis confidentibus, niſi in cauſis magni momenti, pro quibus accedit ipſe Vicarius Generalis, vel Fiſcalis, aut Cancellarius Curiæ.

30 Capta informatione non relaxetur citatio ad informandum, niſi ſit ſemiplenè probatum per vnum ſaltem teſtem, cum fama publica, vel per alia indicia ſufficientia iuxta diſpoſitionem iuris; quibus concurrentibus penſatis qualitate perſonæ, & grauitate cauſæ, procedit etiam procedi ad carcerationem inquiſiti.

31 Citatio ipſa, iuxta qualitatem probatorum, ſolet expediri vel ad informandum cum expreſſione cauſæ, & nomine querulantis; vel ad reſpondendum querelæ talis &c. & interdum ad deponendum ſuper nonnullis, abſque expreſſione cauſæ, de qua agitur: ne reus inſtruatur ad fugam, & hoc maximè in filijsfamilias, & ſimilibus.

32 Citatio committitur exequenda, & notificanda Curſoribus Curiæ, vel tranſmittitur in partes ad Vicarios foraneos; eaque expediri debet die non feriata, ſicut etiam erit exequenda, & contumaciæ incuſandæ, quamuis citatio expedita die non feriata, ſi exequatur, & notificetur die feriata validè ſit iuxta ritum primum Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ.

33 Vltra peremptorium, debet in citatione ipſa aſſignari competens terminus ad comparendum, habito reſpectu ad diſtantiam loci à Curia, computando viginti milliaria pro quolibet dieta, ideò ſtatuatur ſaltem biduum, cuius bidui vltima die non feriata accuſetur prima contumacia, & alio triduo expectato accuſetur vltima.

34 Sin autem citandus ſit in loco Curiæ, vel proximo, aſſignetur ſolummodo peremptorium ad primam iuris, &c.

35 Curſores exequentes citationem ſolertes ſint indagare perſonam citandi, vt citatio ipſa fiat perſonaliter: quòd ſi fieri nequeat, citatio fiat domi ſolitæ habitationis citandi, coram tribus teſtibus, notificando familiaribus illius & relicta copia.

36 Si

36 Si verò citandus degat in remotis, nec domum habeat, citetur ante valuas Eccleſiæ illius loci, & ibidem affigatur copia citationis.

37 Et ſi non detur tutus acceſſus ad notificandum in loco citandi ad terminos *Clement. vnic. de for. compet. citetur* per edictum affigendum in valuis Eccleſiæ illius loci, vbi degit citandus, vel ſaltem viciniori, lecta priùs, & publicata citatione in Palatio Curiæ; vel ſi res expoſcat, publicetur modo appoſito in eadem Clement..

38 Poterit etiam ob diſtantiam loci à Curia decerni citationem ad totam cauſam, puta ad videndum in contumaciam procedi in cauſa ad actus incumbentes vſque ad ſententiam, per intimationem per proclama, & affixionem copiæ ad valuas Eccleſiæ, vel in Palatio Curiæ.

39 Quando allegatur abſentia in termino, ad allegandum admittitur non ſolùm Procurator, ſed quilibet familiaris, propinquus &c. & conceditur terminus congruus ad denunciandum citationem inquiſito, vt legitimè compareat, & in hoc auditur Fiſcus ad opponendum, & ad eius inſtantiam decernitur, quòd ſi citatus ipſe fuerit viſus in loco citationis eadem die, vel poſteà, dilatione non gaudeat, & contumax reputetur.

40 Si allegatur infirmitas, & citatus ſit in loco Curiæ, vel proximo, tunc accuſatur contumacia, cum conditione, quòd accedat Cancellarius ad domum infirmi, & repertâ veritate allegationis ex relatione iurata Medici, deleatur cōtumacia; & ſi cauſa erit grauis, infirmus præſtet idoneam cautionem de ſe præſentando infrà tot dies, & de ſtando iuri: & ſi in termino aſſignato non conualuerit, prorogabitur cum ſimili cautione.

41 Sin autem infirmus ſit in remotis, afferatur fides iurata Medici continens ſpeciem, & grauitatem morbi; & accuſatur contumacia cum clauſula, quòd ſi in termino tot dierum comparuerit, deleatur; ſin ſecùs, reputabitur contumax; & ſi morbi grauitas exegerit, terminus poterit prorogari.

42 Si allegatur carceratio, producatur atteſtatio iurata, & admittatur, niſi fuerit in fraudem procurata poſt citationem, & ſit arreſtatio perſonæ carceratæ cum præcepto Officialibus, carcerarijs, & detemptoribus, illum non excarcerare inconſulta Curia Epiſcopali; quod rarò poteſt contingere in Clericis, ſed potiùs in laicis recognoſcendis à Curia Epiſcopali.

43 Atteſtationes Medicorum de ægritudine infirmi in loco Curiæ, & in carceribus ipſius pro aliquo habilitando, non admittantur, niſi fiant à Medico ab ipſa Curia Epiſcopali approbato.

44 Inquiſitis carceratis pauperibus, ne indefenſi permaneant, ipſa Curia ſuis expenſis prouidet de Aduocato, & Procuratore ad defenſam.

45 Quando allegatur nullitas citationis, quæ tamen non apparet ex lectura illius, vel opponatur falſitas relationis, & ſimilia, proceditur ad contumaciarū incuſationem, cum conditione, quod de allegatis in tempore comparitionis habeatur ea ratio, quæ de iure habenda erit.

46 Incuſata vltima contumacia, elapſo termino præfixo, contumax condem-

demnatur Fiſco inſtante ad pœnam in citatione contentam iuxtà taxam conſuetam in ſtylo noſtræ Curiæ, nempè ad ducatos ſex pro qualibet vocia appoſita in citatione; & deindè expediuntur litteræ exequutoriales, & prætereà decernitur mandatum de illo capiendo de perſona.

47 Si contumax compareat de ſerò, illicò carceratur, & purgat pœnam contumaciæ; ſed ſi cauſa erit læuis, præſtat cautionem ſaltem iuratoriam de ſe præſentando poſtridiè, & poterit etiam habilitari per Palatium, cum ordine ſe præſentandi ad omnem ordinem, vel tempore conteſtationis, aut alias iuxta cauſæ qualitatem, & voluntatem Iudicis.

48 Si contumacia ſit in ciuilibus, tunc comparens de ſerò purgat contumaciam, & auditur in iuribus ſuis, non ſecùs ac ſi non fuiſſet reputatus contumax.

49 Inquiſitus comparens conſtituitur, vel ſi opus fuerit examinetur tamquam principalis in ſe &c. & relaxatur cum poteſtate examinandi iterum, & toties, quoties &c. Quando verò conſtituitur ad litem conteſtandam, datur eidem terminus ad ſe defendendum, & Curiæ promotori, & parti querulanti, ſi adſit, ad impinguandum proceſſum, & impugnandum defenſionibus, & repetuntur teſtes examinati pro informatiuo, antequam detur copia repertorum; & ſi pro parte inquiſiti producentur interrogatoria pro teſtibus repetendis, tunc teſtes illi erunt ſuper eis interrogandi ante repetitionem depoſitorum. Sin autem conſtitutus habere velit teſtes Curiæ pro legitimè repetitis, & examinatis; tunc non erit neceſſaria repetitio, & conceditur copia repertorum, ſcilicet ipſius proceſſus informatiui, cum nominibus, & cognominibus teſtium, vt ſuas poſſit formare exceptiones, & defenſiones, niſi in eodem proceſſu ſint plures perſonæ inquiſitæ, & non exiſtentes in fortijs Curiæ, nam tunc non datur copia proceſſus, ſed tantummodò capita ſuæ inquiſitionis ad effectum ſupradictum; ſic etiam ſi teſtibus non adhuc repetitis, nec habitis pro repetitis, petitur copia proceſſus ad finem formandi interrogatoria, non detur copia, ſed tantùm capita ſummaria, aut copia ſui conſtituti duntaxat, cum citatione ad videndum eorum iuramenta.

50 Teſtibus, vt ſuprà, repetitis, vel pro talibus habitis, & data copia, tunc in termino ſtatuto examinantur teſtes producti pro parte inquiſiti ſuper exceptionibus ipſius, ſed primò interrogabuntur ſuper interrogatorijs promotoris Fiſcalis, intimato ipſo promotore, & parte querulante, ſi adſit, ad videndum iuramenta teſtium.

51 Infra terminum ſtatutum reo ad ſe defendendum, ſemper poterunt examinari teſtes ad inſtantiam Fiſci, & partis; & ſuper eiſdem nouis probatis poterit ipſe reus conſtitui.

52 Si interrogatoria præſentata pro parte inquiſiti contineant impertinentia, turpia, & inepta; teſtis repetendus, non tenetur reſpondere impertinentibus, & cõtinentibus ſuã turpitudinẽ, veluti propriũ crimen, infamiã &c. in quibus ſi dicat ſe neſcire, non vitiat depoſitionẽ; quare in Decreto admiſſionis exprimatur, quòd recipiantur interrogatoria reiectis impertinentibus; imò erit opti-

ma practica. Si Vicarius ipſe ſignet reiecta, & de illis per numeros ſignatis mentionem faciat in decreto, prohibendo ſuper illos interrogari teſtes.

53 In ſententijs condemnatorijs ſemper apponatur clauſula: *Salua moderatione, & commutatione Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi, &c.*

54 In cauſis fidei ſpectantibus ad Tribunal Sancti Officij ſupremæ inquiſitionis, denunciationes habitæ, teneantur ſub ſilentio, non manifeſtando denunciantes, neque ab eis denunciata, & à teſtibus depoſita; quòd ſeruabitur tàm ab Officialibus maioribus, & minoribus, Commiſſarijs, actuarijs, & alijs Miniſtris, quam ab ipſis teſtibus, ne ſuas interrogationes, & depoſitiones prodant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

55 Si contingat huiuſmodi denunciationes verbo, vel ſcripto fieri penes Vicarios foraneos, vel Curatos locorum: ſtatim ab illis clauſæ, & ſigillatæ tranſmittantur ad noſtram Curiam, neque alicui oſtendantur, aut publicentur, ſub eadem pœna; & ſi oretenus factæ fuerint, per litteras ad nos ſignificentur.

56 Praxis vſualis noſtræ Curiæ ſuper his, talis ſolet eſſe; ſi fuerit in cauſa hæreſis, ſortilegij, blaſphemię hæreticalis &c. ſcribitur denunciatio coram Vicario, cum Iuramento denunciantis, & exprimitur factum, nominando teſtes, qui de illo deponere poſſunt, & ipſe denuncians ſi ſciat, ſcribere, ſubſcribat, ſin ſecùs ſignet ſigno Crucis; & deindè interrogetur, ſi cum perſona denunciata habeat inimicitias, odium, lites, &c. & ſi denunciauit ex aliqua paſſione, non zelo fidei, & honoris Dei; & quare, ſi factum eſt antiquum, tamdiù tacuit, nec denunciauit; & demùm imponitur ei ſilentium cum Iuramento ſub graui pœna; de non reuelando, ſicut etiam fit in teſtibus, & ipſe denunciatur in his cauſis numeratur in teſtem.

57 In eiſdem cauſis fidei, quęlibet perſona admittitur in teſtem, etiam ſi ſit ſocius criminis, vel infamis, periurus, &c. præter inimicos Notarios denunciati.

58 In examinandis teſtibus caueatur ab interrogatorijs ſuggeſtiuis, nempè non interrogando teſtem, ſi ſciat talem eſſe hæreticum, maleficum, ſortilegum &c. ſed ſemper interrogetur in genere, num ſciat aliquem eſſe maleficum, ſortilegum, blaſphemum, vel aliquid dixiſſe, aut feciſſe contra Catholicam fidem; & quando teſtis nominat aliquam perſonam talem, interrogetur num ſciet illum protuliſſe verba hæreticalia jocosè, aut ex motu iræ, vel referendo dicta, & opiniones aliorum.

59 Teſtes ipſi nunquam à ſolis actuarijs, ſed coram Vicario, & quoad fieri poſſit, adhibitis perſonis Religioſis pro collegis.

60 In citationibus non exprimitur cauſa in ſpecie, ſed reus citatur ad deponendam ſuper nonnullis tangentibus Sanctam Fidem, & frequenter quando habentur indicia ſufficientia ad torturam, proceditur ad capturam perſonæ de facto; hoc tamen non ſine multa circumſpicione, nam talis carceratio infamat.

61 Quando conſtituitur reus, ſemper interrogatur ſi quos habeat inimicos, qui ſint: quibus de cauſis, & ſi cum illis ſit reconciliatus.

62 Pro

62 Pro repetendis teſtibus dantur capita inquiſitionis,non autem copia proceſſus ad formandum interrogatoria, cum termino ad illa præſentandum, & interdum datur copia conſtituti.

63 Reus non citatur ad videndum iuramenta teſtium, nam non ſunt ei prodenda nomina examinatorum; imò teſtes ipſi clàm erunt vocandi,ne deueniant in notitiam inquiſiti, niſi data opera ſe abſentent.

64 Teſtes ipſi poſtquam fuerint interrogati ſuper interrogatorijs pro parte inquiſiti, erunt examinandi ſuper capitibus Fiſci.

65 Si contingat per teſtes fieri recognitionem denunciati, non fit palàm; ſed poſito inquiſito in aliqua aula cum pluribus alijs, & clauſis ianuis, per rimulas à teſtibus recognoſcitur denunciatus, à quo teſtis videri non poſſit.

66 Poſt repetitionem teſtium, datis inquiſito defenſionibus, conceditur copia repertorum, ſine nominibus, cognominibus, & qualitatibus perſonarum, ne teſtes deueniant in cognitionem inquiſiti.Et completis defenſionibus,abſque publicatione totius proceſſus, ſed demonſtratis tantummodò defenſionibus, ſi petantur; citatur ad dicendum, & cauſa expeditur, ac irrogatur pœna ſecundùm iura, & Sacros Canones; & ſi cauſa ſit grauis, tutiùs erit ſuper illa conſulere Sac.Cong. vel Dominum Generalem Inquiſitorem in hoc Regno.

67 Aduocati ipſi, & Procuratores non admittantur, niſi iurent de ſeruando ſecreto,& ſuadendo inquiſito fateri veritatem,& quando cognouerint illum verè reum obiecti criminis, vel hæreſis,abſtinere à defendendo.

68 Acta huiuſmodi, non in propatulo Archiuij, ſed in arca ſeparata ſeruentur,cum duabus clauibus, quarum vnā Vicarius, alteram actuarius tenebit.

69 Proceſſus,& copię, forſan tranſmittendæ ad Tribunal Sancti Officij, gratis fiant. In defenſionibus tamen faciendis, & actis ad fauorem inquiſitorum, pro labore Cancellarij iuſtam poterunt recipere mercedem.

70 Libri, Codices, & ſcripta quæcumque hæreſim, ſortilegia, incantationes, maleficia,& alia huiuſmodi continentes,necnon imagines,characteres,& reliqua inſtrumenta,& materiæ ad ſupradicta fabricanda, & componenda reperta penes inquiſitos,pendente cauſa inquiſitionis, retineantur cautè apud Vicarium Generalem: & cauſa ipſa terminata, ſi non erunt tranſmittenda cum proceſſu ad Officium Sanctæ Inquiſitionis,coram teſtibus fide dignis, comburantur, & de combuſtione fiat actus in eodem proceſſu; niſi ſint talia, vt in proceſſu ipſo in vim maioris probationis, & pro verificationis corporis delicti, remanere, & cenſui debeant; & tunc ſi quis illa ex proceſſu abſtulerit, etiam cauſa omninò finita, ſed illorum copiam in toto, vel in partem extraxerit, aut aliàs etiam memoriæ mandauerit, ipſum volumus ſtatim in excommunicationem incurrere.

71 In cauſis item ciuilibus agitandis, & promouendis apud noſtram Epiſcopalem Curiam praxis conſueta ſequens, vt plurimum eſſe ſolet.

72 Præſentato per actorem libello ſuæ actionis, quæ multiplex in Iure habetur, fit in calce decretum pro notificatione illius, & reus citatur ad dicendum,apponendum,&c. & ad conteſtandam litem.Prima die poſt notificationem,

 ſi non

ſi non ſit feriata, incuſatur prima contumacia, ſi conuentus non comparuerit; & expectato integro alio triduo, accuſatur vltima contumacia, qui ritus inuocandi contumacias, & expectandi peremptorium in hac ſola prima notificatione libelli, & in citatione ad teſtes solummodo ſeruatur, in alijs verò notificationibus, ſequenti die immediatè iuridica fit ille actus, ad quem reus citatur.

73 Reo conuento non comparente, & proindè reputato contumace, olim de praxi Curiæ expediebatur ſecunda citatio ad conteſtandam litem, & illo adhuc in contumacia perſeuerante, ſtatuebatur terminus. Nunc verò breuior vſus inoleuit procedendi; nam in primo Decreto notificationis libelli, vt dictum eſt, conuentus citatur ad litem conteſtandam, & ſic poſt contumaciam, actore petente, ſtatuitur terminus probatorius, & proceditur ad vlteriora, & lis habeatur pro legitimè conteſtata, ſtante contumacia rei conuenti.

74 Si reus poſt contumaciam compareat, & velit audiri in juribus ſuis, tunc refectis priùs omnibus expenſis cauſæ, auditur.

75 Sic etiam ſi ante contumaciam contractam compareat petens libelli, & ſcripturarum præſentatarum copiam, illa conceditur cum termino ad conſulto reſpondendum dierum trium.

76 Et ſi deindè velit opponere exceptiones contra libellum, vel perſonam actoris, conceditur ei terminus ad illas proponendum.

77 Actore autem eligente in actione reali contra debitorem contumacem viam primi, & ſecundi Decreti; tunc poſt contumaciam fit decretum, quòd reus condemnatur adſummam petitam, & actor ponatur in poſſeſſionem rei petitæ; & ſi deindè reus ipſe infra annum venerit agendo pro rei vindicatione, tunc refectis expenſis, & præſtitâ cautione de ſtando juri, & iudicato ſoluendo rem ipſam recuperabit, & in cauſa ipſa procedetur ad ea, quæ incumbunt; ſed ſi infra annum non comparuerit, tunc anno elapſo petente actore interponetur ſecundum decretum, & actor poſſidens firmatur in ſua poſſeſſione, & reus non auditur niſi in proprietate rei.

78 Si actio inſimul fuerit perſonalis, actor primò ponitur in poſſeſſionem mobilium rei contumacis, & in defectu etiam ſtabilium pro ſumma debita, dato iuramento actori ſuper quantitate ſummæ; & ſi reus, vt ſuprà, venerit infra annum, refectis expenſis, & præſtitâ cautione audiatur, aliàs, &c.

79 Primæ prouiſiones, ſeù citationes durant, & validæ ſunt per ſex menſes ab illarum expeditione, infra quem terminum, niſi exequatur, circumducuntur, & ſunt renouandæ. Citationes verò, & monitiones ad ſententiam, etiam ſi intimentur, durant per decem dies, poſt quos ſunt iterandæ.

80 Lite conteſtata, vel ſtatuto termino, vt ſuprà, citantur, & recipiuntur teſtes interrogandi, & examinandi ſuper articulis præſentatis ab vtraque parte, ſeparatim tamen, vt vna citatio fuit pro parte actoris, & altera pro reo conuento, ſi ipſe quoque illam petierit in eodem termino; qui cùm ſit communis, vtraque pars probare poteſt ſuam intentionem ſuper cauſa, de qua agitur, & vtraque citatur ad videndum iuramentum teſtium examinandorum pro parte alterutriùs.

81 Si

81 Si audientia,& examinatio teſtium petatur extra Curiam, ob diſtantiam loci,ſiuè quia teſtes ſunt ſenes,valetudinarij,&c. tunc cauſa ſummariè cognita, & interdum extraiudicialiter,ac ceſſante ſuſpicione calumniæ,conceditur remiſſio, & ſolet pars citari ad videndum decerni petitam remiſſionem,præſentandum interrogatoria,& concordandum de commiſſario. Quæ remiſſio in cauſis magni momenti,non facilè conceditur, ſed accedit ipſa Curia, vel ab ea delegatus.

82 Seruatur etiam,ſi Procurator rei petat terminum ad ſe informandum, & inſtruendum de iuribus ſui principalis, conceditur habito reſpectu ad diſtantiam loci. Hoc tamen non conceditur Procuratori actoris, quia debuit venire inſtructus.

83 Si opponatur exceptio de inualiditate mandati procurationis, datur terminum ad docendum de validiori,

84 Quando in primo termino aſsignato teſtes non potuerunt recipi, & examinari,prorogatur, & datur ſecunda dilatio, etiamſi nulla cauſa impedimenti aſſeratur. Tertia verò, & quarta dilatio non conceditur, niſi ex rationabili cauſa, veluti ſi pars cum iuramento affirmet ſe priùs non habuiſſe notitiam,quod illi teſtes,quos intendit examinari facere,potuiſſent deponere ſuper illo facto, de quo agitur,vel quòd fuerunt abſentes in remotis, aut aliter impediri,&c. neque obindè ſe per dolum petere illam tertiam,vel quartam dilationem.

85 Si pars altera petat copiam articulorum pro formandis ſuis interrogatorijs, non conceditur, niſi quoque ipſa pars petens præſentet ſuos articulos, & offerat copiam illorum, vel ex tunc renunciet examini pro ſe faciendo.

86 Quando petitur depoſitio principalis ſuper interrogatorijs, fit prouiſio, quòd infra biduum deponat per verbum credo, vel non credo ſuper ſpecificis verbis interrogatoriorum; & ſi in illo biduo non depoſuerit; fit ſecundum præceptum,quod ſi in illo alio biduo non depoſuerit cum effectu,habeatur pro confeſſo, prout ſibi deteriùs.

87 Ad refrænandam multitudinem teſtium,in vnoquoque articulo non examinantur vltra ſeptem teſtes,niſi in factis antiquis.

88 His completis proceditur in cauſa ad vlteriora, nempè ad publicationem conclusionem, citationem ad ſententiam, in qua ſi petatur terminus ad allegandum in iure,vel ad diſceptanda,& ſoluenda dubia, conceditur.

89 Profertur ſententia diffinitiua, à qua grauatus poteſt appellare durante termino fatalium, nempè dierum decem, poſt quos currunt alij dies quadraginta ad proſequendam interpoſitam appellationem, & petendam copiam actorum.

90 Si verò non appellatur à ſententia, vel ſi in termino prædicto non proſequatur, tunc illo tranſacto appellatio declaratur deſerta,& pro non interpoſita, & ſententia mandatur debitæ exequutioni.

91 In appellationibus legitimè interpoſitis ſeruatur praxis, quòd appellanti poſt admiſſam appellationem,tunc à Iudice, à quo ſtatuitur terminus dierum decem ad recipiendum apoſtolos; decem ad arripiendum iter, & ſe præſentan-

dum coram Iudice,ad quem, & aliotũ decẽ ad faciendã fidẽ Domino Vicario de diligentia in impetratione reſcripti, cum comminatione, quòd ſi defecerit in vnoquoque termino,appellatio habeatur pro deſerta, & pro apoſtolis conceditur copia ſententiæ.

91 Et notandum, quòd in Curia Eccleſiaſtica, non admittitur appellatio, niſi à ſententia diffinitiua,vel habente vim diffinitiuę,cuius grauamen reparari aliter non poſſit,iuxtà diſpoſitionem *Concil.Trident.ſeſſ*.24. *cap*. 20. *de Reform*. vbi etiam decernitur, quòd cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, tàm ciuiles,quàm criminales, in primà inſtantia ante diffinitiuam, agitandæ ſunt coram Ordinario,nec ante diffinitiuam auocari poſſunt ante biennium à die motæ litis; exceptis cauſis tractandis in Curia Romana, vel committendis per ſignaturam.

93 Dùm ab indebita carceratione appellatur, appellans retinetur in carcere Iudicis, à quo donec per Iudicem,ad quem viſis actis, & cauſa cognita fuerit aliter decretum, ex *declar.Sac.Congreg.Epiſc anno* 1600.*die* 16. *Octobris*.

94 In cauſis modici valoris proceditur ſummariè, & etiam ſine ſcripto, vt etiam in cauſis mercedum, loci pij, & perſonarum miſerabilium.

95 Quando petitur præſtari aſſiſtentiam ſuper bonis obligatis,in contractibus,ſeruatur ſtylus ordinarius,& diſpoſitio Regiæ pragmaticæ huius Regni, & ſi à ſententia appelletur,& pendente non retardatur exequutio ſententiæ, quemadmodum in cauſa cenſuali, & mercedum.

96 In præſentatione inſtrumenti pro illo liquidando, & incuſando, ſeruatur ab antiquo in noſtra Curia Ritus 166. magnæ Curiæ Vicariæ, & illo liquidato habetur exequutio realis, & perſonalis, prout idem ritus diſponit in laicis, & proindè inoleuit vſus, quòd in inſtrumentis, & contractibus ſimilibus ſolet apponi pactum etiam contra Eccleſiaſticos, quòd ſi defecerint à ſolutione, inſtrumenta poſſint liquidari ſeruata forma ritus in c. 5. In hoc tamen differt ſtylus, quòd ſi citatus compareat excipiendo de facta ſolutione, & offerat cautionem de ſoluendo debito, & pœna, niſi probauerit, datur terminus viginti dierum ad probandum; ſi verò oppoſuerit alias exceptiones, non auditur, niſi in vinculis conſtitutus,aut facto depoſito de petita ſumma, & hoc ſeruatur,tàm cum illis, qui tempore obligationis erant Clerici,quàm cum ordinatis poſt obligationem.

97 Quando fit præuentio legitima, admittitur, cum cautione de ſoluendo debitum,& pœnam, niſi tempore,quo conueniendus erit,probauerit allegata.

98 Si contigerit fieri depoſitum,non admittitur,niſi fiat vel penes ipsã Curiã, vel penes perſonam tutam, & opulentam deſtinandam per eamdemmet Curiam, aliàs non euitatur pœna, nec purgatur mora.

99 In conuentione ad recognoſcendam apocam, aliquando fuit conſuetum citari debitorem ad recognoſcendum, & in vltima contumacia, ſi non comparebat, condemnabatur ad ſummam contentam in apoca, cum clauſula, quòd ſi ad primam compareret, & recognoſceret, deleretur contumacia, & dicta recognitio fiebat etiam per Procuratorem cum ſpeciali mandato. Et ſi in termino

 conceſſo

conceſſo opponebatur aliqua exceptio, & apoca erat liquida, ſolebat dari terminum breuem ad probandum, aliàs ad ſoluendum &c. ſin verò apoca non erat liquida, dabatur terminus ad probandum incumbentia.

100 Modò verò frequentior praxis inoleuit, quod debitor citatur ad recognoſcendum infra biduum, quo tranſacto, & non recognoſcente, ſtatuitur alterum biduum, & debitore adhuc non adimplente, impartitur tertium biduum cum clauſula, quòd ſi non recognoſcat, apoca habeatur pro recognita, & acceptata, & in tali decreto ſolet inſeri exemplum apocæ.

101 In apocis item illis bancalibus nuncupatis, alicui publico banco, ad nouum innominatum modum contrahendi firmandum directis, ſublato rigore Reg. prag. cùm nullum in eis Iuramenti genus interueniat: mandamus procedi viâ ordinariâ ſummario tamen iudicio, & debitores audiri in iuribus ſuis, etiam non facto depoſito, nec in vinculis conſtitutos, præſtita tantummodo per eos cautione de iudicato ſoluendo.

102 Acta ſubſtantialia, & ſententiæ fiunt in banco iuris, horis, & loco ſolitis, alij verò actus ſolent fieri extra bancam, & valeant, non ſecùs ac ſi in banca facti forent.

103 Comparitiones. & quælibet ſcripturæ præſentandæ non recipiantur, niſi de manu ipſorum principalium, vel Procuratorum cum mandato valido præſentato.

104 Quia calumnioſè ad dilatandum judicium, frequenter ſolent allegari ſuſpecti Iudices delegati, & Commiſſarij cauſarum; ideò ad reſecandum calumnias, ſtatuimus allegantem, & non probantem de validitate ſuſpicionis pœna ducatorum ſex mulctatum iri.

105 In declaratione incurſus cenſurarum, non proceditur niſi in ſubſidium, quando exequutio realis, & perſonalis haberi non poteſt *iuxtà Trid.*

106 Contra fideiuſſores perſonarum Eccleſiaſticarum etiam laicos, procedit ad incuſationem pœnæ, & exequutiones illius, propter iuramentum, & promiſſionem factam in Curia Epiſcopali, non ſecùs ac ſi eſſent Clerici.

107 Quando in informationibus captis per Curias laicales nominantur cōplices Clerici, ſolet ab eiſdem Curijs petere, & habere copiam integram inquiſitionis, etiam ante publicatum proceſſum, ſuppreſſis tantummodo nominibus laicorum complicum, ſiuè ſociorum criminis.

108 Item ſi capiatur aliquando Clericus à Curia laicali, remittitur ſtatim ad Curiam Eccleſiaſticam vnà cum actis originalibus, niſi cum Clerico venient inſeparabiliter inquiſiti laici, nam tunc datur copia, vt ſuprà, & ſi Curia ipſa Epiſcopalis velit, ex eodem proceſſu remiſſo, ſi Clericus inquiſitus declaret habere teſtes pro repetitis, & examinatis procedit ad vlteriora, ſed tutiùs erit illos repetere ante conſtitutionem inquiſiti.

109 Abſoluit ipſa Curia excommunicatos, quorum abſolutio ſpectat ad Papam ob impedimentum accedendi ad Vrbem ad terminos *cap eos de ſent. excom.* & ſic abſoluit ad cautelam, quando controuertitur de validitate cenſuræ, etiam ante terminationem cauſæ.

110 Quan-

110 Quando Clerici capiuntur à Curia laicali tamquam laici, quia non veniunt nominati Clerici, vel alio prætextu: tunc ſi Curia detinens eſt ſupremæ authoritatis, Curia Epiſcopalis ſolet facere litteras ſignificatoriales, ſiuè certificatorias atteſtantes de qualitate Clericatus, cuius cognitio, & declaratio ſpectat ad Eccleſiaſticum, & inſimul monet Iudices, & Miniſtros ad relaxandum carceratum; & hoc idem ſeruat etiam in Clericis coniugatis, & ſyluaticis. Pro curijs verò minoribus, & inferioribus expedit litteras monitoriales in forma.

111 Cognoſcit Curia ipſa Epiſcopalis de cauſis omnibus ciuilibus, & criminalibus ſuorum Officialium, Notariorum, Scribarum, & familiarium omnium etiam laicorum, & pro his in contingentia expedit litteras monitoriales, ſicut pro Clericis.

112 Habet familiam armatam pro exequendis negotijs Tribunalis, & cognoſcet cauſas omnes illorum de familia prædicta.

113 Exequitur legata pia, & ad illa adimplenda cogit laicos, & etiam Regulares quantumuis exemptos, quando eiſdem demandatur exequutio, & ad hæc aſtringit Notarios aperire teſtamenta clauſa.

114 Procedit, & punit laicos teſtes deponentes falſum apud ipſam Curiam Epiſcopalem in quacumque cauſa.

115 Præſtat aſcenſum alienationibus rerum Eccleſiaſticarum ex antiquiſſima conſuetudine, confirmata per litteras Apoſtolicas, vſque ad valorem vnciarum duodecim rei alienandæ, vt dictum eſt in tit. de alien. rer. Eccleſiaſtic.

116 Quando in ipſa Curia ab accuſatore appellatur à ſententia abſolutoria rei, & ab eodem accuſatore petitur, appellatione pendente, reum ipſum detineri in vinculis, & cauſa appellationis ſit friuola, veluti quia reus fuit nimis remiſsè punitus, &c. tunc oppoſitis non obſtantibus ſolet Curia ipſa illum habilitare ſub cautione de parendo mandatis Iudicis à quo, & ad quem iuxtà *l. eos*, *C. de appellat.*

117 In cauſis hæreſis, ſymoniæ, ſortilegij, ſacrilegij, blaſphemiæ, & ſimilibus ratione peccati, & ſcandali procedit etiam contra laicos, ſicut etiam in violenta manu iniecta contra Clericos ad terminos *Can. Si quis ſuadente*, 17.q.4. procedit etiam contra laicos reſpectu cenſuræ.

118 Si laici inquirantur de cauſis fidei, & inquiſiti reperiantur carcerari in Curia laicali pro alijs edictis, illos repetit & contra illos proſequitur etiam antequam expediantur cauſæ, ob quas detinentur à Curia laicali.

119 Relaxat iuramenta præſtita in contractibus, & obligationibus iuratis, tàm à Clericis, quàm à laicis, illoſque habilitat ad finem agendi, & experiendi de iuribus ſuis abſque metu periurij, & hoc facit ad ſimplicem requiſitionem, ſine citatione partis aduerſæ; quæ relaxatio appellatur in ipſa Curia abſolutio, ſed verius appellaretur ſolutio à vinculo iuramenti.

120 Sin autem ille, qui iurauit effectus eſſet periurus, non abſoluitur ſimpliciter, ~~ſed~~ periuro allegante aliquam cauſam, veluti metus, læſionis, & ſimilium: tunc datur terminus alleganti ad probandum de exceptione, & citatur pars ad-

uerſa

uerſa,& ſi in termino probetur de metu, læſione, &c. reus abſoluitur à iuramento ad finem agendi & experiendi, vt ſuprà, & committitur Confeſſario abſolutio à reatu periurij impoſita ſalutari pœnitentia, de qua abſolutione debet afferre fidem; & ideò in noſtra Curia, in illa conſueta relaxatione iuramenti, apponitur clauſula, *Dummodò orator non ſit periurus*.

121 Procedit per viam remedij reſtitutionis ſpoliatorum, etiam contra laicos, quando bona Eccleſiæ, loci pij, & perſonarum Eccleſiaſticarum defacto occupantur à laicis, vel eorum iura turbantur, aut aliud præiudicium infertur, & tunc cognoſcit de qualitate ſpolij, retentionis, occupationis, turbationis, & ſimilium, vſque ad reſtitutionem, procedendo per pœnas, & cenſuras.

122 In iure congrui, ad terminos *Conſtit. Regni. Sancimus*. ſolet procedere in fauorabilibus tantùm actiuè pro perſonis Eccleſiaſticis, non paſſiuè *iuxtà doctrinam Abb. & aliorum, in cap. Conſtitutus, de reſcript.*

123 In debitis pro cauſa Eccleſiaſtica, nempè pro decimis, cenſibus, redditibus, & ſimilibus ſpectantibus ad perſonas Eccleſiaſticas, procedit etiam contra laicos, illos monendo ſub pœna interdicti Eccleſiaſtici, & non ſoluentes interdicit.

124 Adminiſtratores Eccleſiarum, Confraternitatum, Hoſpitalium, & locorum piorum etiam laicos, aut Eccleſiaſticos, quantumuis exemptos, compellit reddere rationem ſuæ adminiſtrationis, ac illos repertos debitores ſignificat, & per cenſuras cogit ad ſatisfactionem.

125 In accuſationibus de fide fracta nuncupatis, nempè quando ab Eccleſiaſticis fit aliqua promiſſio de aliqua ſolutione facienda, ad promiſſa ſeruanda data fide iunctis dexteris, & ob inobſeruantiam auocantur; procedit non ſecùs ac in obligationibus iuratis, conſtito ſummariè de data fide, quia huiuſmodi fides data habet vim iuramenti, & iuramento æquiparatur, *iuxtà cap. Ad aures. de his, quæ vi, met. cauſ. fiunt*.

126 Cogit teſtes laicos, maximè conuictos, non ſolùm per cenſuras deponere veritatem in ipſa Curia, ſed etiam per pignorum captionem, & perſonæ diſtinctionem.

127 Quando Clericus reconuenitur in Curia ſeculari, & condemnatur vigore reconuentionis, ſolet ipſa Curia inhibere curiæ laicali cum comminatione cenſurarum, non exequi ſententiam, neque in perſona, neque in bonis, ſed adiri ipſam Curiam Epiſcopalem Iudicem competentem pro iuſtitia obtinenda, & tunc ipſa Curia Epiſcopalis ſummariè viſa ſententia, & recognito proceſſu prouidet circa exequutionem contra Eccleſiaſticos. Et ſimiliter procedit pro Clerico in auctorem laudato in Curia laicali, qui poteſt declinare forum, & inhibet Curiæ laicali procedere in cauſa contra talem in authorem laudato, & cauſa cognoſcatur ab ipſa Curia Epiſcopali Iudice competente auctoris laudati.

128 Cpõellit ſponſos ſeruare promiſſa in ſponſalibus, maximè quando præceſſit defloratio ſponſæ, & procedit per remedia iuris opportuna.

129 Quando ſubſit ſuſpicio violentiæ in ſponſa ad præſtandum conſenſum

in

in matrimonio contrahendo, procedit etiam ad ſeqneſtrationem puellæ,& repoſitionem in loco tuto, & deindè explorare facit, alias non concedit licentiam.

130 Cognoſcit cum magna cautela cauſas diuortij, quoad thorum, & habitationem, & ſic etiam alias nullitates matrimonij, vel ſponſalium.

131 In mattimonijs contrahendis inter coniunctos in quarto, & quinto gradu declarat, quòd ratione quinti non obſtat quartus; nam in matrimonijs talibus remotior gradus attenditur. Prout etiam in Curia Romana praxis habetur, quod ſi coniuncti in tertio, & quarto gradu obtineant diſpenſationem cum ſola mentione de quarto, ſufficit ad conualidationem obtinere litteras declaratorias per modum, vt ſuprà ab ipſa Romana Curia, & ita diſpenſationem perindè valere &c. *iuxtà Conſtit Pij IV-anno* 1566. *die* 20. *Martij. incip. Sanctiſſimus &c.*

132 Item ſuper affinitate ſecundi generis, quæ olim attendebatur, & erat cum perſonis ſuperadditis ad perſonas affines in primo genere, ſolet declarare nullum adeſſe impedimentum ad matrimonium contrahendum, *vt cap. Non debet. de Conſ. & affir.*

133 Diſpenſat ſuper impedimentis contingentibus poſt contractum de præſenti, ac etiam ſuper impedientibus, ſed non dirimentibus, etiam ante contractum, veluti ſuper interdicto feriarum &c.

134 Pro contrahendis matrimonijs inter Diœceſanos, & exteros alterius Diœceſis dat litteras teſtimoniales captâ informatione de libero ſtatu ſponſi Diœceſani, *iuxtà litteras, & inſtruct. Sac. Congreg. Sancti Officij ſupremæ inquiſit.*

135 Procedit in obligationibus, & promiſſionibus factis a laicis, poſtmodum effectis Clericis; & ſi dictæ obligationes accuſentur in Curia laicali, monet ſub cenſuris, & prohibet exequutionē illarum fieri, niſi ab Epiſcopali Curia.

136 Reſcripta, ſiuè ſupplices libelli, tàm gratiæ quàm iuſtitiæ ſignati ab Epiſcopo regiſtrentur à Notarijs, ſiuè Cancellarijs, & apponantur originalia in proceſſibus infra dies decem ab illorum data; aliàs ſi elapſo dicto termino per partes obtinentes, non fuerint præſentati eiſdem actuarijs, erunt nulli, & nullius roboris, & momenti; nec obtinentibus in aliquo ſuffragabuntur; & obindè ſemper in decretis ſuper huiuſmodi reſcriptis apponatur talis clauſula, quæ etiamſi non apponatur, intelligatur pro appoſita: ad effectum nullitatis producendæ.

De

De Vicarijs Foraneis.

Titulus XXXII.

OB vaſtam huius noſtræ Diœceſis latitudinem, locorum multitudinem, ſitus aſperitatem, & itinerum longitudinem: non ſolùm noſtri Vicarij Generalis de cauſis contingentibus debitis temporibus opportunas relationes, imò notitiam, habere nequeunt, vt opportunis remedijs prouidere poſſint. Verùm etiam litigantes ipſi grauibus diſpendijs, & incommodis in cauſis etiam læuibus grauentur; dùm vltra dietam ad Officiales accurrere cogerentur. Præterea æquitati repugnaret cauſas etiam modicas apud maiora Tribunalia ventilari. Hac de re Prædeceſſores noſtri conſueuerunt ſingulis ferè locis, & oppidis eiuſdem Diœceſis, quoſdam locales Iudices deputare, Vicarios foraneos, quaſi rurales nuncupatos, cum limitata tamen poteſtate, in eorum conceſſionalibus deputationibus præfinita. Horum quidē Officium eſt, vt quaſi peruigiles, & ſpeculatores maiorum Officialium noſtri Tribunalis, Iudicia cum illis procurent; & quemadmodum plures digiti in eadem manu, eundem actum cum ipſamet manu cooperentur; talibus igitur, vt ſua munia rectiùs exequantur, quaſdam peculiares Conſtitutiones ſeruandas, ſancire placuit.

1. In commiſſione deputationis cuiuſcumque Vicarij foranei detur facultas capiendi informationes, tàm ex officio, quàm ad patris inſtantiam, de delictis, & exceſſibus criminalibus, in locis, & confinibus ſibi aſſignatis, captaſque protinùs ad noſtrum Tribunal tranſmittendas iubeatur. Verùmtamen cùm plerique illorum in forenſi exercitio ſint rudes, & vſquequam inexperti ordinis iudiciarij, vt obindè proceſſus, & informationes ab ipſis captæ plerumque reperiantur nullæ, ſuggeſtiuæ, ſingulares, non concludentes, nec probationem facientes, & in eſſentialibus maximèque in probando de corpore delicti mutilæ, & deficientes videantur. Et quia ſi interdicere vellemus eiſdem hac facultate capiendi informationes; conſequeretur, vt delicta, quæ celeritatem requirunt in probatione, diù laterent, & interim vel feruor accuſatorum teperet, vel teſtes ſeducerentur, aut terrore incuſſo abſentarentur. Ideò huic malo mederi volentes; præcipimus huiuſmodi Vicarijs, in caſibus ordinis, & delictis enormibus, non paſſim ad proceſſus informatiuos fabricandos deuenire: excepta tamen illa de corpore delicti, quàm delicti in generè appellent, quæ non eſt differenda; & totum negotium nobis, vel noſtris Officialibus maioribus ſtatim ſignificent per litteras, & mandata expectent: niſi euidens neceſſitas celeritatis adhibendæ, vrgeat: veluti fuga delinquentis, aſſentatio, ſeductio, contaminatio, interuerſio, & terrefactio teſtium, aut quod huiuſmodi imminere videatur; & tunc Vicarij ipſi in formando proceſſu deligant in actuarios perſonas prudentes, & in his benè verſatas noſtris

expenſis; adhibitis quoque pro Collegis Parocho loci, aut alio Sacerdote legali, & probatæ auctoritatis, & informationes ipſi quantocyùs tuto tranſmittant benè clauſas, & cum relatione opportuna.

2 Inſuper quia contingere ſolet committi grauia delicta ab incertis extractoribus; & tandem longo poſt tempore comperiuntur commiſſa à perſonis Eccleſiaſticis; & tunc ob facti antiquitatem, non plenè probari poſſet de corpore delicti; nec obindè delinquentes ipſi poſſunt condignè puniturn iri. Ad hoc euitandum præcipimus Vicarijs ipſis, vt quando delicta talia clandeſtina committuntur; veluti homicidia, mutilationes, vulnerationes, furta notabilia, incendia, & his ſimilia, & auctores neſciuntur, quamuis nulla detur ſuſpicio fuiſſe commiſſa ab Eccleſiaſticis; attamen Vicarij ipſi capiant informationem de illo delicto in genere, & tranſmittant; vt ſi quando tractu temporis innotuerit delicta illa fuiſſe patrata ab Eccleſiaſticis poſſint faciliùs proceſſus impinguari, & delicta non remaneant impunita; atque vt hoc ſeruetur ſtatuimus Vicarium in hoc negligentem pro qualibet vice pœna ducatorum viginti mulctatum iri.

3 Et ſi interdum ex rationabili cauſa tales informationes ſibi non expediens, aut non tutum, & difficilè viſum fuerit, ad nos de tota re fiat relatio, vt opportunè prouideamus.

4 Porrò ſi Vicarij ipſi, vel eorum Vicarij, ſiuè actuarij etiam aſſumpti informationes quaſcumque in toto, vel in parte immutent, vel mutilent, aut dicta teſtium aliter deſcribant, & exemplent, quàm ab ipſis depoſita, & narrata fuêre; ſiuè proceſſus ipſos occupent, occultent, lacerent, aut aliter infringant; ex his illos vltra pœnam excommunicationis, declaramus etiam in foro exteriori incurrere in pœnam falſi, & reſtitutionis tripli, ſi quid pro his acceperint.

5 Innouamus pœnam impoſitam ducatorum viginti contra foraneos negligentes vltra terminum dierum octo tranſmittere ad noſtram Curiam informationes criminales à ſe captas. Et eam ampliamus, & extendimus ad differentes vltra triduum capere informationes de delictis, & cauſis criminalibus ſpectantibus ad noſtram Curiam, tàm contra Eccleſiaſticos, quàm contra laicos, & tàm ad partis inſtantiam, quàm ex mero Curiæ Officio, quas in dicto termino captas, tranſmittere teneantur, vt ſuprà, & ſub poſita pœna.

6 Foraneorum onus præcipuum erit ſedulò obſeruare num mandata, & edicta in dies à nobis, & noſtra Curia emananda, & Conſtitutiones Synodales debitè ab illis, ad quos pertinet, exequutioni demandentur, & de inobſeruantia ad nos crebro per litteras ſignificare.

7 Curent Clericos aſſiduè ſuis Eccleſijs deſeruire, & renitentes deferre, & pari modò abſque tonſura, & decenti habitu incedentes. Et ſi quando inter Clericos, & Eccleſiaſticos ſciuerint odia, diſſentiones, emulationes; & ſimultates intercedere, illas enitantur componere, vel nobis inſinuare, vt opportunè conſulere poſſimus.

8 Atque, vt Vicarij ipſi ſigillatim, quæ ſibi referenda incumbant, ſcire poſſint, ea ad amuſſim referimus; Primò, ſub grauioribus pœnis noſtro arbitrio irrogandis

dis ad nos, vel ad Officiales noſtros per litteras denũciare teneatur delicta omnia quantumlibet leuia commiſſa in locis ſuæ iuriſdictionis ab Eccleſiaſticis etiam Regularibus extra eorum Clauſtra; & hoc etiamſi nullus adſit querelator, vel denunciator. Item, concubinarios tàm Clericos, quàm laicos; ſponſos ſimul cohabitantes ante matrimonium de præſenti contractum: maximèque impeditos aliquo Canonico impedimento, & cohabitantes abſque procuratione diſpenſationis, vel etiam illa obtenta ante decretum noſtræ Curiæ; præceptũ annuæ Confeſſionis, & Communionis non ſeruantes; publicos excommunicatos, ſymoniacos, & alios huiuſmodi ſcandaloſos.

9 Item Clericos arma deferentes, ludis inſiſtentes, venationibus incumbentes, habitum, & tonſuram dimittentes, in diuino ſeruitio negligentes, propria ſuperpellicea, & bireta non habentes, ſtatutis à nobis temporibus non confitentes, & communicantes; pileola geſtantes, negotiationes illicitas, & mercaturas exercentes, aut aliquid aliud admittentes de prohibitis in titulo de *vit. & honeſt. Cler.* ſuprà poſito.

10 Referat quoque Presbyteros à ſeruitio ſuarum Eccleſiarum ſine noſtra licentia diſcedentes; oneribus Eccleſiaſticis non ſatisfacientes: Decreta noſtræ viſitationis non exequentes: Parochos in ſuo Officio deficientes, & ſe ipſos ſegnes in Sacramentis adminiſtrandis gerentes: ægrotos in vltimo vitæ agone non coadiuuantes, & cætera relatu neceſſaria iudicantes.

11 Denuncient ſingulos maleficos, ſortilegos, blaſphemos, vſurarios, nec non bona, & iura Eccleſiaſtica occupantes, vel notabiliter in ea damnum inferentes, iuriſdictionem, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam violantes; Adminiſtratores Eccleſiaſticos debitis temporibus ratiocinia non reddentes; debita Eccleſijs, & locis pijs ſoluere dilatantes; pecunias Eccleſiaſticas ſibi appropriantes, & ſuper illis negotiantes; delinquentes, & facinoroſos intus Eccleſias commorantes, & quamdiù hoc fit; & ſi ex licentia, & permiſſu Curatorum permaneant, ac ſi immodeſtè, & irreligioſè morentur.

12 Referant legata pia, & diſpoſitiones in dies confecta, quarum notam etiam à Notarijs rogatis noſtro nomine flagitent, & non ſolùm publica, ſed etiam priuata à Confeſſarijs, ſeù ab ipſis Vicarijs ſint deſcripta; & ſi antiqua legata non ſint exequutioni demandata, à grauatis ad illa exequenda.

13 Potiſſimum inuigilent ſuper obſeruatione feſtorum iuxtà tradita in proprio titulo, nec licentiam paſſim concedant etiam in caſibus, vbi neceſſitas, pietas, vel vtilitas ſuadeat; niſi cauſæ ipſæ ſibi clarè conſtent: & ſuper his ad litteram ſeruare teneantur inſtructiones appoſitas in Synodo præterita fol. 3. Appendicis, & quando contigerit aliquem ſine licentia, etiam per modicum tempus laboraſſe, leuato velo, & ſine perſonarum exceptione, procedat, ad mulctas, & pœnas ſtatutas, & ſi in hoc curando Vicarij ipſi negligentes extiterint, pro qualibet vice ſe ad pœnam ducatorum ſex punitum iri animaduertant.

14 Porrò nè Vicarij ipſi mundano affectu, timore, vel propriarum virium imbecillitate in ſui muneris exequutione torpeſcant, præcipimus omnibus, &

Gg 2 ſingulis

ſingulis noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, vt in præmiſſis omnibus, & circa præmiſſa eiſdem Vicarijs, requiſiti, debitam obedientiam, opem, & auxilium præſtent ſub pœna noſtro arbitrio reſeruata, etiam carceris.

15 Vbi non reſident Vicarii, ſupradicta omnia Curatis exequenda, vel eorum ſubſtitutis demandamus.

16 Relationes ſuprà poſitæ, (niſi in re vrgenti, vbi periculum eſſet in mora) fiant ſingulis bimeſtribus de caſibus in dicto termino contingentibus, per litteras ſpeciales, in cauſis autem grauibus, vt ſuprà, relatio fiat omni mora poſtpoſita.

17 Enixè inculcamus Vicarijs exactionem pecuniæ debitam à laicis exemptis, & beneficijs, ſecundùm quantitatem ſummatam, & poſitam in fine prætéritæ Synodi fol. 201. & fiat reſpectiuè à Vicarijs ibi notatis, quæ exigitur pro noſtra Epiſcopali menſa ratione Cathedrali, ſeù alio quouis titulo; alioquin ipſi Vicarij ad talem exactionem faciendam in toto, vel in parte negligentes, vltra pœnas luendas pro præiudicio illato noſtræ Curiæ, etiam ad ſummas non exactas de proprio reſtituendas condemnabuntur. In exactione etiam Introituum noſtræ menſæ puta ſubuentionis, & ſimilium iuxtà taxam, & communem exactionem cuiuſcumque Vicariatus, inuigilent, & in exactione vtantur remedijs iuris opportunis, abſtineant tamen à relaxatione cenſurarum ſine ſpeciali noſtro ordine, & facultate.

18 Continuent immemorabilem conſuetudinem in noſtra hac Diœceſi ſeruatam, & à Sac. Congreg. confirmatam, faciendi teſtamenta ad pias cauſas, & fauore animæ tantùm, decedentibus ab inteſtato cum conditionibus appoſitis in ſuperiori *Synodo in tit. de teſtam.* & in defectu Vicariorum, fiant à Curatis.

De Reſidentia.

Titulus XXXIII.

PErſonalis reſidentiæ onus, non modò Prælatis omnibus maioribus, & minoribus; ſed cunctis quoque Sacerdotibus ad curam animarum deputatis, diuino obligante mandato, ſpectare dignoſcitur. Hoc enim infert tot illud Chriſti Domini reiteratum præceptum ad Apoſtolum Petrum, vt Ioan. c. 21. *Paſce oues meas.* Nec paſtor oues, niſi corporali præſentia paſcere poteſt. Idemq; ſonant verba illa Apoſtoli Pauli *Act. c. 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Et *ad Timoth. 2. cap. 4. In omnibus labora, miniſterium tuum imple*; neque miniſterium abſens quis adimplere poteſt. Cùm ergo reſidendi præceptum ſingulis, curam animarum habentibus ſit adeò neceſſarium,

non

non modò ipſis reſidéntibus, ſed totius Chriſtianæ Reipúblicæ ſaluti; operepretium eſſe duximus ſicubi illud intermiſſum, vel in deſuetudinem collapſum reperiatur, ad debitæ obſeruantiæ rigorem reſtituere, & vindicare: & ad hoc ſequentia ſtatuere, & ſeruanda ſancire.

1 Atque, vt hæc ab initio ſummatim perſtringamus; Primò aſſeruimus ad perſonalem reſidentiam in ſuis Prouincijs, & Diœceſibus teneri Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & poſt eos, alios quoque Prælatos inferiores in Eccleſijs ſibi commendatis, in quibus imminet cura animarum, & hoc vigore Sacrorum Canonum, & ſignanter decretorum *Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. de refor. & ſeſſ. 23. cap. 1.* Neque ab illis poſſunt abeſſe, niſi per duos, aut tres menſes ad ſummum, & ex cauſis, & ſub conditionibus in eodem Conc. expreſſis, ſub pœnis appoſitis non ſolùm in eiſdem locis Concil. ſed quoque in *Conſtit. Pij IV. incip. In ſuprema*, & in motu proprio eiuſdem *incip. Cùm tam. item Conſtit. Pij V. incip. Cupientes de anno* 1568. *die* 15. *Iunij, & demùm Vrbani VIII.* in qua nullus, quâuis dignitate, etiam Cardinalatus fulgens, excipitur.

2. Obtinentes inſuper Dignitates, & Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis, tenentur ad reſidendum, & in eis perſonaliter inſeruiendum, neque ab eis vltra tres menſes ad ſummum continuos, vel vtiles abeſſe poſſunt in anno; & dummodò illa abſentia non cadat in Quadrageſima, Aduentu, & maioribus ſolemnitatibus; atque tunc maior pars Canonicorum remaneat in reſidentia; ſub pœnis *in eodem Concil. ſeſſ.* 24 *cap.* 12. *de refor.* appoſitis, quacumque conſuetudine, & ſtatuto particulari non obſtantibus.

3 Quibus ſic expreſſis, vt quædam rãgentia ad Capitulum noſtræ Cathedralis reſoluamus, hic ſtatum eiuſdem Capituli annectere placuit.

4 Capitulum ipſum continet quatuor dignitates, nempè Archidiaconum, Cantorem, Primicerium, & Decanum, & tres Canonicos; hi omnes ab immemorabili nunquam apud Cathedralem, aut aliam determinatam Eccleſiam reſidere conſueuerunt, ſed ſinguli in proprijs patrijs, & interdum extra Diœceſim inhabitant, cauſas immunitatis à reſidendo huiuſmodi prætexentes.

5 Primò, quòd Ciuitas ipſa Caputaquen. iamdiù ſit prorſus diruta, & ſolo æquata, itaut nullus in ea reſideat incola; & Cathedralis ipſa vnica inter rudera deſtituta, & ruralis ſuperſit.

Secundò, quia ſuffragatur immemorialis conſuetudo hucuſque tolerata.

Tertiò, quia Præbendæ Canonicales ſunt adeò tenues, vt vix minima anni parte Canonicis ipſis ad victum ſufficere poſſint.

Quartò, quia locus ille grauiſſimo aëris contagio, & Cœli inclementia laborat.

Quintò, quòd cùm in eadem diruta Ciuitate nulla extant domicilia, oporteret noua exceſſiuis ſumptibus ædificare, & tamen illa continuis incurſionibus, & latronum direptionibus patere, neque in proximo ſunt alia oppida, vel loca habitata.

Sextò,

Sextò, quia ibidem non reſidet Epiſcopus, nullæque vnquam fiunt functiones, ſed tantùm in Eccleſia celebratur per Capellanos ſuffectos ab eodem Capitulo pro adimplendis oneribus Miſſarum.

6 Ad quas rationes, quæ validiſſimæ, & plurimum vrgere videntur, ita reſponderi poſſet. Primam, ſecundam, & tertiam illarum non excuſare ex declarat. *Sac. Congr. ſuper cap. 12 ſeſſ. 24. Concil. Trid. ſub his verbis:*

In Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, obtinentes Dignitates, & Canonicatus, immemorabilis conſuetudo non excuſat à reſidentia, vt Sanctiſſimus Dominus noſter Greg. XIII. ex ſententia Congr. Conc. declarauit. In Collegiatis autem non inſignibus, immemorabilis conſuetudo excuſare poterit, ſi Eccleſiæ ſunt rurales, prorſus deſtitutæ, aut in quibus antea ſuper hominum memoriam ſolitum eſſet non reſideri: aut in quibus adeò tenues redditus habentur, vt Canonicos alere non poſſint, non habentes aliundè quomodo viuere poſſint. Ex quibus verbis apparet cauſas ſuprà allegatas excuſare ſolùm in Collegiatis non inſignibus, non autem in Cathedralibus.

Ad quartam, & quintam reſponderi poſſet, quòd ſi ibidem commorari poſſunt Capellani ſine periculo, eadem cautio eſſe poſſet prò Capitularibus.

Ad ſextam reſponditur, abſentiā Epiſcopi non obſtare reſidentia Canonicorū, quia Epiſcopus non obligatur taxatiuè à *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1 de reſ.* reſidere apud Cathedralem, ſed ſatis erit morari in Diœceſi, nempè in aliquo loco intra illius ambitum, & in hac ponderanda ſunt verba ipſius *Concil. loco citato. Ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam*, vbi alternatiuè innuit ſufficere ad reſidendum, morari intra fines Diœceſis. Capitulum verò tenetur ad reſidendum, & perſonaliter inſeruiendum in Eccleſia coniunctiuè, ita vt ſi reſideat, & non inſeruiat perſonaliter, non intelligatur reſidere, *vt declar. ead. Congregat. ſuper cap. 12. ſeſſ. 24. allegato.*

7 Ad diluendas quoque eaſdem rationes, accedit decretum Sac. Congreg. eiuſdem nouiſſimè in proprio caſu huius Capituli, ad ſupplicationem Eminentiſſimi Cardinalis Brancacij, tunc Epiſcopi Caputaquen. emanatum tenoris ſequentis, videlicet.

Eminen-

Eminentiſsimi & Reuerendiſsimi D.D.

EPiſcopus Caputaquen. humilis Orator ad Eminentias Veſtras exponit, qualiter ab immemorabili ferè tempore, vt audiuit, Eccleſia ipſius Cathedralis deſtituta ſeruitio reperitur: cùm Ciuitas eadem, vbi adeſt, deſtructa penitùs, collapſaque ſit, & per duo milliaria, & ampliùs à quodam dirutæ Ciuitatis Caſtro, cui incolæ nomen Caputatij noui indiderunt, diſtet. Pro ſatisfaciendis tamen oneribus, quæ ſunt in eadem: Canonicorum eorumdem expenſis, duò deſeruiunt Sacerdotes. Qua de cauſa per idem fermè tempus, vt affirmant dignitates, & Canonici, nunquam, vel in ipſa Cathedrali: vel in Oppido prædicto permanſerunt, ſed vnuſquiſq; in propria Patria. Imò, & nonnulli ex ipſis vnà cum Canonicatu, ex Apoſtolica, (vt aiunt) diſpenſatione animarum curam, & Archipresbyteratum, quos ante retinebant, retinuerunt. Supplicat proindè Eminentias Veſtras modernus Epiſcopus, quatenus dignetur declarare infraſcripta dubitationum capita.

Primò, an prædicti Canonici, & dignitates, vt ſuprà, valeant alios Canonicatus, & beneficia, quæ perſonalem requirunt reſidentiam in aliena Diœceſi, vel in propria in Collegiatis Eccleſijs, obtinere, ſimulque retinere.

Secundò, an prædicti Canonici poſſint extra Diœceſim permanere vltra tempus à Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de refor. & Sacris Conſtit. præfinitum. Neque Epiſcopo ius ſit illos cogendi ad reſidendum in loco, vbi ipſe moratur, vel ſaltem intra Diœceſis fines.

Die 8. Ianuarij. 1633. Sac. Cong. Card. Conc. Trid. interp. cenſuit dignitates, & Canonicos, teneri apud ſuam Eccleſiam reſidere, atque eidem perſonaliter inſeruire, ad præſcriptum cap. 12. ſeſſ. 24. de refor. nec vllo modo poſſe alios Canonicatus,

ſeù beneficia perſonalem reſidentiam requirentia, vel aliàs ſi-mul incompatibilia retinere.

R.Card. Vbaldinus.

Franciſcus Paulucius Sac. Congreg. Conc. Secr.

8 Ex adductis rationibus, reſponſionibus, & decretis, ſcrupulus non mediocris conſcientias noſtrorum Capitularium angere poſſet, prout iamdiù anxit in non reſidendo; niſi pro aliquali eorum quiete, & mentis tranquillitate tueretur conſuetudo immemorialis non reſidendi ſcita, tolerata, & permiſſa à Sede Apoſtolica *ex decl. Sac. Congreg.* quod erit notandum, & fortaſſe hucuſque non animaduerſum ab eiſdem de Capitulo; imò neque ab ipſo Eminentiſſimo Brancacio, alioquin in ſuo libello de ea mentionem feciſſet, & Scripturæ fuerunt nuper à nobis repertæ, & modò ſequenti ſe habent.

9 Cùm de anno 1580. Syluius Galaſſus in hac Diœceſi Vicarius Apoſtolicus in viſitatione Generali promulgaſſet Decretum, vt Canonici, & dignitates ſaltem in diebus Feſtis, & in Solemnitatibus adirent Cathedralem, & ibidem diuina Officia perſoluerent. Ab huiuſmodi nouo Decreto Capitulum ipſum ſentiens ſe grauatum, appellauit ad *Sac.Congreg.* à qua ſuper hoc fuit reſcriptum eidem Vicario in modum ſequentem.

Al Reuerendo Sig. Vicario Apoſtolico di Capaccio.
Reuerendo Signore.

SOno comparſe qui le trè dignità di Capaccio, e ſenza eſporre alcuna querela contro di voi, che queſto dicono di non hauerlo pur mai hauuto in penſiero; & hanno ſolo dimandata prouiſione all'infraſcritti Decreti voſtri, fatti in pregiuditio loro: ſopra li quali la Congregatione hà fatto particolare, e matura conſideratione, e poi gli hà riſoluti. Et in quanto al primo, che eſſe dignità, e Canonici di Capaccio vadino le feſte à dire l'Officij Diuini nella Chieſa di Capaccio. Queſti Signori Illuſtriſſimi ſentono, che ſia aggrauio grande aſtringerli à tale obligatione, ſtandone eſſi lontani d'habitatione, & eſſendo la Città di Capac-

cio

cio diſhabitata. Perilche non non l'aſtringerete à queſto, ſe non dopò cominciato con buon numero di famiglie ad habitarſi detta Città. Quanto all'incompatibilità delle dignità loro con il luogo, che tengono nella Chieſa di Laurino, eſſendo vero, che dette Chieſe ſiano recettiue, come ſogliono eſſer molte nel Regno, e che non ſi ſogliono far Bolle, quando vno è ammeſſo à participare di quell'entrate. Pare alla Congregatione medeſima, non hauendo eſſe altra reſidenza, che non ſi poſſano aſtringere à reſignare vno delli due, e che non ſiano incompatibili, e però non debbano eſſere di ciò più oltre moleſtati, & eſequirete, come vi ſi ordina, e ſtate ſano. Di Roma li 27. Settembre 1580.

Di V.S.R. come fratello

Il Cardinal Maffeo.

10 Porrò de anno 1584. alter pari modo Vicarius Apoſtolicus nomine Franciſcus Teſta, poſt viſitatam Diœceſim, retulit *ad Sac. Congreg. Concil.* multa capita, petendo ſuper illis opportunam prouiſionem, & inter cætera repoſuit hæc ſequentia:

Illuſtriſsimi, e Reuerendiſsimi Signori.

IL Vicario Apoſtolico di Capaccio, ritroua in quella Dioceſe molti inconuenienti, quali par ch'hebbino di biſogno eſſere emendati, e perciò deſidera dalla Sac. Congreg. riſolutione ſopra di eſſi, e ſono l'Infraſcritti.

La Sacra Congreg. hà ſcritto al Vicario, che debba fare, che tutti li Preti faccino la loro reſidenza indifferentemente; alche egli hà obedito, e tutti la ſanno fuor, che li Canonici di Capaccio non fanno detta reſidenza perſonale nella Terra iſteſſa; ne le feſte di Paſqua di Reſurrettione, Pentecoſte, Natiuità di N.S. & Aſſuntione della Madonna, per eſſer la Chieſa nella Città diſtrutta; non vi habita niuno, ſe non vn Sacreſtano, che vi dice Meſſa quaſi ogni mattina, & è cattiua aria, e ſottopoſta a' banditi, e ladroni. Perciò tutti queſti

Canonici deſiderariano, ch'almeno ſi traſferiſſe il ſeruitio di eſſa Chieſa in alcuna altra terra nobile, e commoda; ouero anco la Chieſa iſteſſa.

Et poſt quædam alia capita, ſubiungit ſequentia, videlicet:

La maggior parte delle Chieſe di detta Dioceſe ſono recettiue, & in quelle la cura dell'anime ſtà in confuſo: cioè non è niuno, che ne tenga cura particolare, e però alcuni Parochiani molte volte muoiono ſenza ſacramenti; ſi è ordinato da detto Vicario, che ſi facci vn Rettore per concurſum in tutte ſimili Chieſe, acciòche habbia cura particolare dell'anime di ſuoi Parochiani; ſi deſidera ſopra di ciò il beneplacito della Sac. Congreg. quatenus opus eſt.

Ad quæ capita Sac. Congregat. reſpondit per verba ſequentia.

Al Reuerendo Signor Vicario di Capaccio:

REuerendo Signore, hora ſi riſponde alli voſtri capi, alli quali non ſi potè riſpondere l'altra volta, & in quanto alla reſidenza di Capaccio: dicono queſti miei Signori Illuſtriſſimi; poiche quel luogo è di così triſta aria, e ſenza habitatione, che nõ innouate coſa alcuna. E quãto al ridurre il ſeruitio della Catedrale in vn' altra terra della Dioceſe; ſe bene ſaria coſa buona; biſognaria nondimeno trattare il negotio in altra maniera, che non ce lo ſcriuete, e che il Signore e commune di quel luogo inſigne ne faceſſe iſtantia, offerendo l'altre circoſtanze neceſſarie. Quanto alla cura dell'anime, ch'è nelle Chieſe recettiue, non occorre per adeſſo deputare alcun Vicario perpetuo, come ſi deſegnaua, douendo baſtare, che quelli haueranno da eſercitare la cura ſiano approuati dall'Ordinario; ch'è quanto occorre dirui, e ſtate ſano. Di Roma li 29. di Maggio 1584.

Al piacer ſuo

Il Cardinal Aleſſandrino.

Et ſimiliter de tali conſuetudine non reſidendi, fit mentio in quodam *Breui Apoſtolico Sixti V. de anno* 1586. *incip. Admonet, &c.* expedito ſuper tranſlatione Cathedralis ad Terram Dian.

Ex adductis ergo petitionibus, & reſolutionibus, liquidò patet antiquiſſimã conſuetudinem non reſidendi à dignitatibus, & Canonicis apud deſtitutam Cathedralem, iam inde ab ipſo excidio Vrbis Caputaquen. bis deductam eſſe ad conſultationem,& prouiſionem Sac. Congregat. & obindè denunciatam Sedi Apoſtolicæ, & toleratam eſſe, vt ſuprà relatum eſt, & poſt tolerantiam ita ſuiſſe continuatam per annos ferè octoginta. Vndè videtur legitimè præſcripta; neque obſtare recens decretum ad propoſita Eminentiſsimi Brancacij, quia in libello non fuit facta mentio,quòd Capitulum excuſabatur à reſidendo permiſſu Sac. Congregat. & ea de cauſa illud decretum fuit fundatum in lege generali *Concil.Trident.ſeſſ.*24.*cap.* 12. quæ obligat dignitates, & Canonicos reſidere in ſua Eccleſia,& lex generalis non derogat priuilegio fauori particularis, niſi de illo fiat expreſſa mentio. Quinimmò declaratio in ſuprà relatis litteris Sacræ Congreg. non fuit facta ad ſimplicem requiſitionem, ſed in iudicio contradictorio,præhabitis maturâ conſideratione,& diſcuſsione, nec fuit noua permiſsio,ſed confirmatio veteris conſuetudinis: adde, quòd ſi Sac.Congregat.prohibuit Capitulum aſtringi ad reſidentiam in quibuſdam feſtiuitatibus, quantò magis præſumitur indulſiſſe ad ſemper; Vndè (ſaluâ ſemper aliâ promiſsione Sanctæ Sedis,&c.) hucuſque noſtrum Capitulum videtur licitè excuſari à reſidendo in Cathedrali. Quamuis non excuſetur a reſidendo ſaltem in Diœceſi, in quo non ſuffragatur identitas rationum, & paritas diſpenſationis.

11 Archipresbyteri, Parochi, Abbates nuncupati Rectores, ſiuè Curati, & Oeconomi, omneſque alij curam animarum habentes, apud ſuas Eccleſias reſidere tenentur,nec diſcedere abſque legitima cauſa per nos probanda & nonniſi pro tempore à Iure permiſſo,& nobis benè viſo,ac relicto idoneo Vicario, *iuxtà decretum Conc.Trident.ſeſſ.*23.*cap.*1 *de refor. & Sac.Congreg ſuper eodem.* ſub pœnis ibidem appoſitis. Quæ obligatio reſidendi eſt maioris ponderis in Curatis, quàm in Prælatis, ſiquidem Curati habent curam animarum in actu, Prælati verò, & Capitulum non item; prætereà *Sac. Congreg.* vbi ſuprà, concedit Prælatis abeſſe per trimeſtre à ſua reſidentia ſimpliciter:Curatis autẽ nonniſi per bimeſtre concurrente legitima cauſa, vt plenè dictũ eſt ſuprà *in tit.* 18. *de Parocho*. & reſidere tenetur Curatus in ſua Parochia, etiam ſi tres ſolummodò adeſſent animæ in illa,vt declarauit *Sac.Congreg. ſuper eodem cap.* 1. *ſeſſ* 23.

12 Presbyteri quoque præbendati, vel aſcripti ſeruitio Eccleſiæ, vel ad eius titulum promoti, ac de fructibus participantes, non poſſunt ab illa diſcedere ſine noſtra licentia; vndè tranſgreſſores, vltra alias pœnas arbitrarias, ex nunc præſenti conſtitutione fructibus,& obuẽtionibus eiuſdem Eccleſiæ priuamus; & ſi longa fuerit abſentia vltra quatuor menſes: præcipimus eoſdem non recipi ad ſeruitium, neque ad participationem prouentuum, abſque noſtra ſpeciali licentia, ab alijs Presbyteris ſuæ Eccleſiæ.

 13 Præce-

13 Præthereà diſcedentes cum dimiſſorijs à nobis conceſſis cum præfinitione temporis, ſi termino tranſacto non fuerint regreſſi, vel nouam licentiam non obtinuerint, vltra ſuſpenſionem à celebrando, non admittantur ad ſeruitium, vt ſuprà, nobis inconſultis; & obindè Presbyter diſceſſurus teneatur oſtendere obtentas dimiſſorias Vicario foraneo, & in defectu Parocho, qui copiam extrahet, vt notitiam habeat de termino conceſſo, quem etiam certiorem faciat de prorogatione ſi contigerit; & detur cautio eidem Vicario de ſoluenda ſubuentione abſentia durante, vt in præterita Synodo ſancitum eſt.

14 Sacerdotes abſentes etiam de licentia, non poſſint prætendere portionem introituum, & prouentuum Eccleſiæ, pro rata temporis abſentiæ, nec propriâ auctoritate ſufficere alium Presbyterum ad ſatisfaciendum pro ſe oneribus Miſſarum, ſine noſtra ſpeciali diſpenſatione: neque cum alijs de Clero ſuper his aliquod pactum, vel compoſitionem inire, nobis inconſultis; nam præſentia Presbyteri in Eccleſia non ſolùm pro Miſsis, ſed pro alijs functionibus neceſſaria eſſe dignoſcitur.

15 Si quis autem per breue ſpatium non excedens tempus quindecim dierũ diſcedere velit ex cauſa neceſſaria à ſua Eccleſia, nec ob facti vrgentiã opportunitas detur recurrendi ad noſtram Curiam, tunc licentiam petere poſsit à Vicario foraneo, ſiue à Parocho, dummodò ſeruitium Eccleſiæ non impediatur, & à Diœceſi non egrediatur.

16 Delinquentibus tàm profugis, quàm carceribus mancipatis, nulla detur portio introituum Eccleſiæ, etiam de communi maſſa, donec abſoluantur à noſtra Curia, & ſeruitio, ac participatione reintegrentur, quamuis prætendant eſſe innocentes, & iniuſtè vexatos, vt *Sac. Congr. Conc. de anno* 1595. *die* 15. *Octobris* declarauit his verbis: *Congreg. Conc. cenſuit, quòd ſi quis indebitè coniectus fuerit in carcerem; vtique fructus maſſæ groſſæ non debeantur, donec conſtiterit per ſententiam iniuſtè in carcere detineri*. Pariterque prohibemus portionem dari exulantibus ob delicta commiſſa, ſine ſpeciali licentia noſtræ Curiæ.

17 Inquiſitis habilitatis per palatium, vel oppidum à noſtra Curia, interdicimus celebrare Miſſas pendente cauſa inquiſitionis; niſi delicta ſint læuia, & Vicario noſtro Generali conſtet de Innocentia, & ita ceſſante omni ſcandalo illum celebrare permittere poſsit.

De

De Archiuio Epiſcopali.

Titulus XXXIV.

OB vagum, & incertum hucuſque Tribunalis Epiſcopalis ſtatum,& reſidentiam, nullo in loco Diœceſani Archiuij Sedes firmari potuit; itaut in vnum omnes ſcripturæ ad Curiam pertinentes congererentur. Proindè per diuerſa loca ſparſæ,ita magna ex parte occupatæ, & depopulatæ perierunt, vt in Epiſcopali Archiuio, ſeù potiùs Archiuij fragmento quod noſtri prædeceſſores in terram Salæ reduxerunt; nullæ extent ſcripturæ antiquæ; perpauci libri viſitationum laceri, & mutili: nulla reſcripta Pontificia, & conſultationes Sacrarū Congregationū,quæ plurimæ eſſe deberent,nam ob Diœceſis vaſtitatem, multa occurriſſe dubia cum eorum reſolutionibus, credendum eſt. Ad tam pernitioſam iacturam, & commune Diœceſis damnum, & præiudicium ſaltem de cętero præcauendum, prædeceſſor noſter,quamdam humi proiectarum ſcripturarum congeriem, magna ex parte putri lentore corruptam, & corroſam,à nidore,& tineis eruendo; in vnum colligere, & collectam in nouum Archiuium in Epiſcopali Palatio ab Eminentiſſimo Brancacio conſtructum in dicta Terra Salæ, in decentibus Pluteis ſeriatim digeſtam, & reponendam iuſſit; ſtatuendo,vt deinceps ibidem omnes ſcripturæ ab Officialibus conficiendæ, poſt earum compilationem,reponerentur,atque vt tutæ,& illibatæ aſſeruentur,ianuas ipſius Archiuij duabus firmis ſeris, & clauibus obſeruandas mandauit, quarum vna à Vicario Generali, altera verò ab Archiuario deputando, ſeruarentur.

1 Vndè nos eiſdem Conſtitutionibus inhærentes,præcipimus in idem Archiuium quotannis aſportari acta omnia ciuilia, & criminalia,iam expedita, & ſopita à nobis,vel noſtris Vicarijs in eorum reſidentijs, & à quibuſuis alijs Commiſſarijs, & delegatis.

2 Idcircò Commiſſarijs ipſis, quibus in dies cauſæ committentur, necnon Vicarijs foraneis per Diœceſim præcipimus ſub pœna ducatorum decem in caſu contrarij, vltra alias pœnas occupationis,& falſitatis,tranſmittere quoſcumq; proceſſus,tàm ciuiles,quàm criminales à ſe ex delegatione,vel officio actitatos,intra menſem poſt cauſam terminatam. Pendente verò curſu cauſæ volumus, vt per litteras eorumdem ſpeciales ad nos referatur de ſtatu cauſæ ſingulis tribus, vel quatuor menſibus,& de actibus currentibus, vt iura noſtræ Cancellariæ non depereant,& actuarij Curiæ Epiſcopalis de illis rationem poſcere valeant,neque contra fiat ſub eiſdem ſuprapoſitis pœnis.

3 Proceſſus in Archiuium reponendi, non fiant in pagellis, ſed folijs integris,

gris, benè conſutis, abaco notatis, & in fronte rubricatis, appoſito priùs nomine loci, ſiuè oppidi patriæ litigantium, ſeù inquiſitorum, factum de quo agitur, & nomina perſonarum; atque vt faciliùs inueniantur, per alphabetum nominum locorum in faſciculos annexi, in pluteis ſub illa littera ſignatis, reponantur.

4 Acta ciuilia à criminalibus ſeparata teneantur, & de ſingulis eiſdem cauſis criminalibus, tàm antiquis, quàm recentibus fiat regeſtum, vt alibi diximus.

5 In eodem Archiuio conſeruentur omnes libri illi ſuprà notati in *titulo de Iudicijs*. 31.

6 Nulla ſcriptura, proceſſus, liber, &c. cuiuſcumque generis ſit, originalis extrahatur ab eodem Archiuio, ſine noſtra ſpeciali licentia, quam non niſi ex graui cauſa concedemus, & cum debitis cautelis.

7 Fides perquiſitionis actorum ad partis inſtantiam nullò modò extrahatur à Cancellarijs, aut ab Archiuario, niſi præcedente licentia noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij, alioquin nullius ſit ita extracta roboris, & efficaciæ, & extrahens graues pœnas noſtro arbitrio reſeruatas incurret; & in facti contingentia, porrigenda erit ſupplicatio Vicario, qui decernet fieri perquiſitionem per Cancellariam.

8 Si quis autem nobis inconſultis ſcripturam aliquam cuiuſcumque generis extrahere originaliter, aut illius copiam, & exemplum ſine noſtri Generalis Vicarij (vt ſuprà,) licentia alicui tradere præſumpſerit, pœnam ducatorum viginti, vltra alias corporales, & priuationis officij, nouerit ſe incurſurum.

9 Capitulum quoque noſtræ Cathedralis ſuum conſtruet Archiuium in loco à nobis deſignando, in quo reponentur omnes ſcripturæ ad ipſum Capitulum, & Cathedralem Eccleſiam reſpectu ipſiuſmet Capituli, cum duabus clauibus, quarum vnam Archidiaconus, alteram verò Senior ex ipſis Capitularibus retinebũt.

10 Idipſum efficiendum præcipimus à ſingulis Cleri noſtræ Diœceſis, necnon ab Admiuiſtratoribus Confraternitatum, hoſpitalium, Montium, & aliorum piorum locorum; qui ſub grauibus pœnis noſtro arbitrio irrogandis infrà ſex menſes poſt huius Synodi promulgationem, ſuum peculiare erigent Archiuium in Sacriſtijs ſuarum Eccleſiarum, in quod omnes ſcripturas, tàm publicas, quàm priuatas ad eamdem Eccleſiam, ſeù locum pertinentes, reponant, & claues à maioribus in Clero, retineantur.

11 Ab eiſdem Archiuijs multæ ſcripturæ originales, neque copiæ, vt dictum eſt, de noſtro Archiuio extrahantur, niſi de ſcientia, & conſenſu Cleri illius Eccleſiæ, vel adminiſtratorum Confraternitatis, loci pij, &c. ſub pœna falſi, & alijs pro modo culpæ; Proindè ibidem ſtatuatur Archiuarius, cui per inuentarium conſignentur ſcripturæ.

De

De Spolijs Clericorum.

Titulus XXXV.

QVamuis ſuperioribus annis hæc noſtra Diœceſis per inſtrumentum in plena Camera ſtipulatum cum Nuncio illius temporis in hoc Regno Neapolitano ad ſpecialiter delegato per Sedem Apoſtolicam; ſe concordauerit, & tranſegerit pro certa ſumma quotannis ſoluenda eidem Reuerendę Cameræ. Et pro tali tranſactione multæ promiſſæ fuiſſent exemptiones, in eodem inſtrumento expreſſæ, & ſignanter quòd poſt mortem cuiuſque Presbyteri, ſiuè Clerici, non poſſet inquiri de eiuſdem defuncti illicita negotiatione, & alijs cauſis inducētibus ad faciendum ſpolium in bonis defuncti ad fauorem eiuſdem Cameræ, niſi iudicium ſuper his ſaltem fuiſſet cęptum in vita eiuſdem defuncti. Hoc tamen non obſtante de anno 1590. die 16. Aprilis, fuit per *Breue Apoſtolicum à Sixto Papa V.* quod incipit. *Monſignor Glorierio, &c.* reſcriptum Nuncio Neapolitano, vt tali concordia non obſtante, etiam ſi iudicium non fuiſſet cęptum in vita, inquireretur de illicita negotiatione, dummodò per probationes indubitatas, & per mercaturas, & negotia in actu exiſtentia, inquiſitio formari poſſet. Hac tranſactione initâ, pro eius ſolutione conuocatio tunc Capitulo Diœceſano, & vocatis Cleris, fuerunt taxatæ omnes Eccleſiæ, Capellæ, & beneficia ad quotam contributionem reſpectu introituum cuiuſque ipſarum, & deputati exactores eligendi à Capitulo Cathedralis per tempus ad eorum beneplacitum, ad exigendum ſummam taxatam, & exactam curare ſoluendam in manu eiuſdem Illuſtriſſimi Nuncij huius Regni, cum aſſignatione mercedis pro labore eiſdem exactoribus.

1 Nos itaque eoſdem exactores confirmando, eis tamen præcipimus, nè quid pluris, licet minimùm vltra taxam antequam cum Cleris firmatam exigant, quouis prætextu, & ratione, aſſerendo ſe aliquid ampliùs exigere intuitu proprij laboris in exigendo; nam eorum merces, vt ſuprà dictum eſt, comprehenſa eſt in ſumma taxata, & deſcripta in libro eis aſſignato.

2 Nihilq; recipiant intuitu apocæ de recepto à ſoluentibus ipſis, neque pro ſalario curſorum, ſeu Nunciorum ad intimandam, & notificandum ſolutionem cuiuſcumque ſemeſtris ante tempus præfinitum, nempè menſis Maij, & Octobris; nam cùm dies interpellet pro homine, debitores non debent ſumptibus grauari, niſi adueniente tempore conſtituantur in mora ſoluendi.

3 Tranſacto autem tempore ſolutionis, contra renitentes, non procedatur per cenſuras, ſed per executiones reales *iuxtà diſpoſitionem Conc. Trident.* &

in

in ſubſidium aliorum iurium, quando omninò exequutio haberi non poſſit, procedi poteſt per comminationem interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; & in deſtinandis executoribus taxetur à noſtra Curia ſalarium pro eorum dietis moderatum, nec executores ipſi excedant numerum duorum; & quicquid contra contenta in hoc decreto attentatum fuerit, irritum, & nullum declaramus.

4 Præterea, quia perſæpè contingere ſolet, vt in aliqua Eccleſia ſint plures Capellæ taxatæ in ſpolio, quarum beneficiati, ſiuè adminiſtratores deficiunt à ſolutione ſummæ taxatæ, & exactores quamuis rata Eccleſiæ ſoluantur, tamen pro ſumma debita à Capella particulari, vexant, & per cenſuras aſtringunt Clerum illius Eccleſiæ ad ſoluendum ratam, à Capella debitam; Ideò, quia debitum non eſt inſolidum, præcipimus ad hoc non aſtringendos eſſe Cleros, ſed Capellanos, ſiuè patronos, & adminiſtratores, & ſi deſint Capellas ipſas interdicto ſupponendas.

5 Si fortè contingat, (quòd tamen de raro agendum erit,) vt Clerus non ſoluens ſit declarandus interdictus, tunc ſi Clerus ille habeat procuratorem, cui demandata eſt ſolutio facienda ſuis temporibus, Procurator ille erit interdicendus, & ſi interdicatur Clerus, tunc damna omnia, & intereſſe verſantur in ipſum Procuratorem non ſoluentem debitis temporibus.

6 Parochus ſemper excipiatur à declaratione incurſus cenſurarum, pro quacumque cauſa reſpectu adminiſtrationis Sacramentorum, qui etiam in caſibus neceſſarijs, poſsit ſibi alios aſciſcere de Clero, non obſtante interdicto, &c. ad dicta Sacramenta miniſtranda.

7 Et quia etiam frequenter accidere ſolet, vt negligentia exactorum non exigatur quotannis integra ſumma iuxtà taxam, & obindè remaneant quædam reſidua ſoluenda; de qua à miniſtris Cameralibus ſignificantur debitores Capitulares noſtræ Cathedralis; Ideò adhoc euitandum præcipimus ſingulis annis recognoſci computa exactorum à deputatis à Capitulo, & ſi ſumma non ſit integrè exacta, videatur à quibus ſit debita, & quare non ſit exacta; aliàs declaramus eoſdem negligentes ad totum damnum, & intereſse contingens.

De

De Tertiarijs, & Bizocharis.

Titulus XXXVI.

QVoniam mulieres quædam ſtatum regularem quodammodo affectantes, perpetuæ tamen clauſuræ ſe mancipare non ambientes; ſed tantummodò in proprijs, vel conſanguineorum domibus habitum Religioſum geſtare cupientes, quæ vulgò Tertiariæ, ſeù Bizoche nuncupantur. Quia hactenus præter modum ordinatum in Conſtitutionibus Pontificis, & Decretis Sac. Congregat. ac parum Canonicè receptæ fuerunt, eapropter valdè expedire putauimus in illis recipiendis normam, & inſtructionem debitam aſsignare.

1. Mulieres ad huiuſmodi habitum regularem recipiendæ has conditiones habere, & ſeruare debent *iuxtà Decretum Sac. Congreg. Epiſc & Regular de anno* 1616. *die* 20. *Decembris*. Primò, quòd habitum recipiant de manu Regularium, qui ad hoc agendum facultatem habeant à Sede Apoſtolica. Secundò, ſint probatæ vitæ, & bonis moribus præditæ. Tertiò, ſint in ætate ſaltem quadraginta annorum conſtitutæ. Quartò, habeant de proprio vnde viuere poſsint. Quintò, habitent, vel domi ſuæ, vel conſanguineorum in primo gradu ſibi attinentium. Sextò, obtineant primum licentiam à nobis, quæ non concedetur, niſi plenè conſtituto ſupradictas conditiones copulatiuè concurrere.

2 In eodem Decreto excipiebantur Capuccini à receptione ad ſuum habitum mulieres huiuſmodi, ſed poſtmodum cùm de hoc conquererentur, fuit per *Sac. Congregat. eadem de anno* 1620. *die vltimò Ianuarij*, eiſdem conceſsa facultas recipiendi ſeruatis tamen conditionibus ſuprà poſitis.

3 Talis facultas recipiendi conceſsa Regularibus Religionis à Sede Apoſtolica approbatæ, non competit Sacerdotibus ſecularibus, etiam ſi gregatim viuant; vndè ſi recipiant, receptio non tenet, nec receptæ ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, neque vllo priuilegio, & exemptione, potiuntur, tanquam non Canonicè electæ.

4 Prætereà in eodem decreto expreſsè prohibetur dictis Tertiarijs receptis, & recipiendis geſtare velum ſupra caput, quòd proiectum appellant, & aliud linteum ſub mento, quod vocant ſoccanno, ſiuè ſottogola, ac etiam illam veſtem ſuperiorem, quæ in quibuſdam Religionibus geſtatur, vocatam *la patientia*, & imponitur pœnâ excommunicationis. Quare nos eidem decreto inhærentes, præcipimus eiſdem Tertiarijs, ſiuè alijs huiuſmodi mulieribus receptis, & recipiendis geſtare vela ſupradicta, & veſtem ſuperiorem appellatam *la patientia* ſub pœna excommunicationis ipſo facto, &c. & Parochi locorum tales moneant, &

monitas, ac non obedientes, referant noſtræ Curiæ ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto &c.

5 Inſuper, quia noſtris eſt auribus intimatum multis in locis poſt huius decreti anni 1616. emanationem aliquot mulieres fuiſſe receptas à Sacerdotibus, & alijs Religionis non approbatæ. Et aliquas etiam receptas à Regularibus, ſed non ſeruatis conditionibus eiuſdem decreti. Ideò præſenti Conſtitutione in vim eiuſdem decreti, tales declaramus nulliter receptas, & proindè non eſſe perſonas Eccleſiaſticas, nulloque priuilegio frui; & inſuper eaſdem monemus, infra menſem poſt huius Synodi publicationem habitum huiuſmodi non Canonicè receptum ſub pœna excommunicationis omninò dimittere, & ſuper hoc Parochi inuigilent.

6 Huiuſmodi Tertiariæ noſtræ omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni, non autem Regularium, quorum Religionis habitum ſuſcepêre, ſubiacent, ex decreto ſupradicto *Sac. Congreg. de anno* 1616. prout anteà per aliud eiuſdem *Congreg. Decr. de anno* 1584. *die* 20. *Martij*.

7 In Paſchate Sacram Communionem recipere teneantur in propria Parochia, aliàs non ſatisfacere declarauit *Sac. Congreg. Epiſc.* 26. *Iunij anni* 1615.

8 Quæ ſint ſeruanda circa ſepulturam, talium habentur ſupra cum tit. de Sepulturis, & etiam in præterita Synodo.

9 Confeſſiones earumdem non poſſunt audire Regulares non approbati ab Ordinario ad audiendas confeſsiones perſonarum ſecularium.

De Clericis coniugatis, & Diaconis ſyluaticis.

I Diaconi selvaggi incominciarono nella Prova di Ca- [illegible] nel mio scritto Giurisdizionale nell' Apologia [illegible] del [illegible] pag: 126.

Titulus XXXVII.

AB antiquis illis primitiuæ Græcæ Eccleſiæ Patribus deriuatum, hoc tantummodo etiam in latina Romana Eccleſia inoleuit inſtitutum, vt Clerici in minoribus quamuis ſe cum vnica, & Virgine matrimonio legitimè copulantes, habitum, & tonſuram Clericalem geſtantes, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruientes, priuilegijs, & immunitatibus Clericalibus fruerentur, vt ſtatutum fuit *in Conc. Pariſienſi, & habetur cap. Nullus Iudicium &c de for. compet.* quod fuit innouatum *in cap. Vnico de Cler. coniugato in 6. confirmat. à Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de refor.* vndè huiuſmodi Clerici ſine aliqua controuerſia ſemper ſunt poſiti priuilegio *Canonis. Si quis ſuadente* 17. 9. 7. & etiam priuilegio fori Eccleſiaſtici, & cùm ſuperioribus annis controuerteretur, an ſolùm in criminalibus, non autem in ciuilibus, tali exemptione fori fruerentur, in cōtradictorio iudicio ad omnem litem adimendam emanauit *Decretum à Sac. Congreg.* immunitatis ſuper controuerſ-

iuriſdi-

iuriſdictionales tenoris ſequentis? Die 27. Febr. 1630. Sac. Congr. Card. controuerſijs iurisdictionalibus præpoſitorũ, reſpondit ſecũdum ea, quæ ponuntur, habentem requiſita cap. Vnic. de Cler. coniug. in 6. gaudere priuilegio fori in cauſis merè ciuilibus, non dependentibus à criminalitate.

Berling. Card. Gipſius.

Franciſcus Paulucius S.C. Secr.

Et anteà *in Calaritan.* 1620. *die* 9. Decembris, *in Neriton.* 18. *Ianuar.* 1628. *in Tropien.* 26. *Iunij* 1629. *in* Cantianen. 16. *Aprilis* 1630. *in Rhegien.* 17. *Iunij* 1631. *in Aprutin* 27. *Maij* 1631. *in Oppiden.* 27. Decembris 1632. *in Caputaquen.* 26. *Nouembris* 1643. *in Bouinen.* 27. *Febr.* 1630.

2 Immunes quoque ſunt huiuſmodi Clerici à quibuſcunque oneribus perſonalibus muneribus, & officijs laicalibus, ſeruitijs, angarijs, hoſpitatione militum, & collectis impoſitis pro capite, de quo extant litteræ *Sac. Cong. immunit.* ad nos tranſmiſſæ tenoris ſequentis:

All'Illuſtre, e Molto Reuerendo Monſ. come fratello,
Monſignore Veſcouo di Capaccio.
Illuſtre, e Molto Reuerendo Monſignor, come fratello.

NEl particolare, che V.S. auuiſa ſe li Clerici coniugati, Diaconi ſelueggi debbano cõtribuire all'impoſitioni, che ſi fanno per il donatiuo Regio. Queſti Eminentiſſimi miei Signori hanno ordinato ſi riſpondi à V.S. che ſe l'impoſitioni ſono perſonali, non ſono tenuti à dette contributioni; e ſe ſono reali, ò miſte, deuono concorrere. Quando non vi ſia coſtì conſuetudine à fauore di medemi, che da ſimili impoſitioni ſiano eſſenti, ch'è quãto occorre in riſpoſta della ſua, mentre à V.S. prego ogni bene. Roma 12. Decembre 1645.

M. Card. Ginetti.

Franceſco Paolucci Secr. della Sac. Congr.

3 Diaconi ſyluatici appellati ij ſunt, qui nullo ordine Clericali inſigniti ab Epiſcopis deputantur ad ſeruitium alicuius Eccleſiæ, vel Capellæ cum aliquali mutatione habitus, ob quod gaudent exemptione fori laicalis in criminalibus omninò; in ciuilibus verò quoad diſtrictionem perſonæ, & onera perſonalia, vt ex decreto ſequenti.

Si rapporta nel sinodo di Melfi del 1635.

Sac. Cong. Card. negotijs Regni Neapolit. propoſit. certior reddita in nonnullis eiuſdem Regni Diœceſibus Diaconos, quos vocant ſyluaticos, in maximum numerum citra Eccleſiarum neceſſitatem, aut vtilitatem excreuiſſe. Volens eorumdem exemptionis cauſam declarare, & fraudibus quibuſcumque occurrere, de SS. Domini Noſtri Gregorij XV. mandato viuæ vocis oraculo deſuper habito; Diaconos ſyluaticos huiuſmodi pro Eccleſiarum, & Epiſcoporum ſeruitio retineri, vel in loco quoquomodo deficientium aſſumi poſſe in Cathedralibus, ſeu Superioribus Eccleſijs ad ſummum quatuor: in Collegiatis, & Parochialibus, duos, in alijs verò Eccleſijs, in quibus diuina celebrantur, ſi Epiſcopo videbitur, vnum. Quos quidem Epiſcopi prorſus gratis, & tales, qui omninò per ſe ipſos, non autem per interpoſitam perſonam ſeruitium debitum præſtent. Nec vllo modo criminoſos, aut malæ conditionis, & famæ, eligere debeant; aliàs, & hi nullo priuilegio gaudeant; & eligentes iudicium ſeuerum Sedis Apoſtolicæ experientur. Eos verò priuilegio Canonis non gaudere: Fori autem priuilegio in criminalibus omninò: in ciuilibus quoad diſtrictionem corporis tantùm, & immunitate ab oneribus perſonalibus, non autem ab alijs, durante ſeruitio, frui debere. Sed ſi alicubi maioribus fruantur priuilegijs, & immunitatibus, ex legitima conſuetudine, cuius cognitionem, & declarationem in caſu controuerſiæ, eadem Sac. Cong. ſibi reſeruat, illam debere attendi: cognitionem verò aliorum præmiſſorum ad Ordinarios pertinere: hoc præſenti Decreto ſtatuit, præcipit, & declarauit. Romæ die. Kl. Iulij 1623.

Oct. Cardin. Bandinus.

Laurent. Campegius Secr.

4 Ex hoc decreto habetur deputationem eorumdem Diaconorum, ſiuè Clericorum ſyluaticorum in omnibus locis noſtræ Diœceſis quantumuis exemptis ad nos tantùm, priuatiuè quoad alios inferiores, etiam Prælatos, ſpectare, & deputandos debere eſſe non criminoſos, ſed bonæ conditionis, & famæ, gaudere priuilegio fori in criminalibus, & alijs, vt in eodem decreto; in quo vbi diſponit ſicubi ſit conſuetudo fruendi alijs immunitatibus, eam Sac. Cong. illibatam relinquere; dicimus in hac noſtra Diœceſi conſuetudinem multis in locis eſſe introductam illos eximendi à ſolutione laicalium impoſitionum pro capite, quæ conſuetudo videtur confirmata in ſuprà notatis litteris Sac. Cong. ad nos directis *de anno 1645. die 12. Martij*.

De Concubinarijs.

Titulus XXXVIII.

POenas contra huiuſmodi obſtinatos, & luculentos peccatores à Sacris Canonibus, *& Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de refor. Matr.* & in præterita Synodo irrogatas innouando. Præcipimus ſingulis Confeſſarijs, etiamſi pleniſſimam à nobis facultatem habeant abſoluendi à quibuſuis caſibus, & cenſuris; huiuſmodi nequiſſimos homines in deteſtabili concubinatu viuentes, nullo prætextu abſoluere; quamuis correctionem, & emendationem vitæ ſimulent: niſi de eorum reſipiſcentia liquidò conſtet, & impudicas mulierculas à ſe omninò dimiſſas habere; vt nullum probabile adſit periculum prauam intermiſſam conſuetudinem ipſos reuocatum ire, & per quatuor ſaltem menſes illorum conuerſio, ſcandalizatum, & offenſum populum ædificauerit.

1 Hoc idem agendum ſtatuimus cum pertinacibus illis peccatoribus, qui licet non reperiantur in particulari concubinatu, ſunt tamen adeò conſuetudinarij, vt ſe continere nolint: quod plerumque contingit in meretricibus, paratis cuicumque requirenti ſe proſtituere: quarum confeſſionem licet Sacri Canones, vt habetur *cap. Quod quidam: de Pœnit. & remiſſ.* dicant eſſe recipiendam, & eis ſuper eorum prauitatibus conſilium exhibendum, & crebris ac ſalutaribus monitis pœnitentiam dignam indicendam eſſe; niſi tamen verè conuertantur ex corde, & occaſiones proximæ tollantur; non erunt abſolutionis capaces.

2 Porrò, vt hâc contagioſâ lue inquinati ad meliorem frugem reducantur, & metu pœnæ concuſſi reſipiſcant, ſtatuimus contra concubinarios tàm Clericos, quàm laicos vigore decreti eiuſdem *Conc. Trident.* procedendum eſſe ad pœnas, & cenſuras Canonicas, etiam per declarationem, & affixionem cedulonum. In quo cùm agatur de correptione morum, & ſcandalo ſubmouendo; nulla exemptio, appellatio, inhibitio, & querela etiam apud Sedem Apo-

ſtolicam, decreta mandata, & iudicata quæcumque ſuper hoc, vllo modò impedire, vel ſuſpendere poteſt, vt plenè ſtatuit *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *de reſor.*

3 Et ſi fortè prætenderetur à tali correctione dari appellationem ſaltem ad effectum deuolutiuum; ſcire facimus, quòd dùm à noſtro prædeceſſore fuiſſet quædam illuſtris perſona declarata excommunicata ob publicum concubinatũ, in quo pertinaciter monitus obduruerat, & iam fuiſſent affixi cedulones, à quibus ab illa fuiſſet appellatum ad Metropolitanam Curiam, à qua fuit inhibita noſtra Curia, & remoti cedulones. Cùm de tali inhibitione fuiſſet ab eodem noſtro prædeceſſore reclamatum ad Sacram Congregat. fuit ab illa reſcriptum Eminentiſſimo Cardinali Sabello Archiepiſcopo Salernitano *de anno* 1635. *die* 28. *Aprilis*, curare litteras illas inhibitoriales reuocandas à ſua Curia, neque ampliùs ſinere noſtram Curiam turbandam in executione ſententiæ, contra excommunicatum illum, qui tandem coactus parere mandatis, & peracta pœnitentia correptus abſolutionem obtinuit.

4 Contra Clericos concubinarios publicos, vel notorios, ſeruetur *Conſtitutio Pij V. Cùm primum. de anno* 1566. *die* 1. *Aprilis*.

5 Inſuper contra eoſdem concubinarios Eccleſiaſticos mandamus procedi ad carcerationem, ſi adſit ſuſpicio de fuga, etiam ante captam informationem, habita duntaxat ſummariâ, & extraiudiciali informatione de facti veritate, *iuxta Decr. Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de reform.* & Dec. *Cong. ibidem*

6 Et quamuis *idem Concil. Trident. eadem ſeſſ.* 25. *cap.* 14. ſtatuat huiuſmodi Clericos concubinarios ter eſſe monendos, antequam ad exemptionem pœnarum deueniatur. His tamen monitionibus tunc opus eſt, quando procedendum eſt contra ipſos ad priuationem beneficiorum; ſin autem procedendum erit ad pœnas pecuniarias, vel alias corporales non requiri monitionem poſitam in dicto Decreto *Concil.* vt plenè declarauit *Sac. Congreg. ſuper cap.* 8. *de refor. matr. ſeſſ.* 24. *& ſuper ſeſs.* 25. *cap.* 6. *de refor. & eadem Cong. de anno* 1624. *die* 23. *Iunij*, vbi decernit ſufficere inquiſitionem.

7 Demùm monemus omnes, & ſingulos Dominos, & Magiſtratus laicos, vt vbicumque in locis ſuæ iuriſdictionis extiterint huiuſmodi abominabiles concubinarij, ne alios innocentes ſui exemplo inficiant; opportunis remedijs, etiam per exilium, coërceant *iuxta idem Trident. in dicto cap.* 8. *ſeſs.* 24.

De

De Ludimagiſtris.

Titulus XXXIX.

TEnera puerorum ætas, ob deprauatum naturæ ſtatum, ſ-
ptonior ad malum imbibendum, quàm ad virtutes ſectan-
das eſſe dignoſcitur, niſi quando ab infantia quocumque ducere velis, flexibilis eſt; in ſemitam bonarum artium dirigatur; ſiquidem adoleſcentium via adeò lubrica eſt ſuper terram, vt Sapiens ille eam ſignare, & internoſcete nequiuiſſe confiteatur. Et cùm à teneris aſſuefieri ad bonum, magni ſit operis, & effectus: ad hoc peragendum in pueris opus erit optimos, & prudentes ſcholarum magiſtros adhibere, quorum ſolertia, & eruditione ſimplices eorundem puerorum animi ad virtutes informentur, & in eis, tamquam in tabula raſa, boni mores imprimantur; & ſic ad inſtar recentium vaſorum, odorem virtutum receptarum perpetuò retinendum concipiant, & quaſi candida vellera, colorem, quo priùs infecta fuerint, conſeruent indelebilem. Quod quidem laudabile, & apprimè neceſſarium opus, licet cuiuſcumque in loco inter præcipuas conſeruandæ, & regendæ Reipublicæ curas verſari deberet. Tamen in noſtris viſitationibus dolentes reperimus pleraq; loca noſtræ Diœceſis, etiam inſignia, huiuſmodi neceſſarijs Gymnaſiarchis vacare. Et obindè vix in illis ob puerorum inſcitiam, facilè inueniri poſſint idonei pro Eccleſiarum miniſterio ſaltem Clericali tonſura initiandi: & conſequenter tractu temporis non erit, qui ad officia, & Miſſas celebrandas, & animarum curam miniſtrandam aſſumi, & deſtinari poſſit. Quapropter cum ex tali deſidia magnum detrimentum diuino cultui, & animarum ſaluti immineat; pro noſtro Paſtorali officio, & inhærentes *Decreto Leonis X. in Concil. Generali Lateranen* quod incipit. *Supernè*. *& Concil. Trident. ſeſſ.* 5. *cap.* 1. *de Reform.* hæc ſtatuimus.

1 Præcipimus omnibus, & ſingulis hominibus, & perſonis pro tempore in regimine cuiuſcumque oppidi, & loci noſtræ Diœceſis exiſtentibus, illoſque præſenti decreto monemus, quatenùs ſub pœna interdicti, infra duos menſes poſt huius Synodi euulgationem ſinguli in ſuo loco cum effectu curent vnum, vel plures, (iuxtà loci latitudinem, & puerorum frequentiam) ludimagiſtros vita, moribus, & eruditione probatos, publico, vel priuato ære conducendos; qui ſcholares ſuos non modò in Grammatica, Rhetorica, & alijs manſuetioribus muſis, ac liberalibus diſciplinis inſtruant, verùmetiam quæ ad Doctrinam Chriſtianam, & ad Religionem pertinent, edoceant.

2 Libros obſcœnos, de rebus laſciuis, & immodeſtis tractantes, eiſdem non interpretentur, ſicut etiam alios ſuſpectos, & ab Eccleſia damnatos, ne candidos & ſimplices puerorum animos inficiant, & ſicut in regulis indicis libror. prohibit. præcipitur,

3 Magiſtri ipſi quaſcumque artes, & diſciplinas profitentes, antequam ludum aperiant, fidei profeſſionem emittant, & iurent docere ſuos auditores, & maximè pueros, Doctrinam Chriſtianam *iuxta Conſtit. Pij V.* incip. *Ex debito,* & *Gregor. XIII.* incip. *Vniuerſis* , vt in hoc pio exercitio indulgentias ibidem conceſſas lucrari poſſint.

4 Porrò quoniam in viſitatione ad nos perlatum eſt quoſdam Grammaticulos vix prima litterarum elementa cognoſcentes ad victum ſibi comparandum; oſtentando ſe peritiam rerum, etiam diuinarum habere, ſacra prophanis miſcentes, præſumere audacter ſuis puerulis interpretari Canones, & Decreta Sacroſancti Concilij Tridentini, quæ cùm ex reconditis penetralibus Sacræ Theologiæ, & Doctrina Sanctorum Patrum excerpta ſint ad profligendas vaferrimas hæreſes, & proteſtanda præcipua noſtræ fidei capita. Nullo modò ad cognitionem, & captus hebetum ingeniorum ipſorum deuenire poſſunt; etiam ad ſenſum litteralem, nedum myſticum, & hoc non obſtante plerique iſtorum nebulones, ceu gracculi, imò veriùs puniendi ſycophantæ, audent non modò venerandam illam doctrinam ſuis periculis contra genuinum, & germanum ſenſum exponere, ſed inſuper gloſſemata, & apocryphas paraphraſes deſuper comminiſci; Ne igitur ob hęc error aliquis diſſeminetur, & contrarius orthodoxis Patribus ſenſus imbibatur; interdicimus ſingulis huiuſmodi pueros docere profitentibus, interpretatione eiuſdem Concil. Trid. quouis modo ſine noſtra licentia, in ſcriptis, quæ non concedetur, niſi benè verſatis in Sac. Theolog. & Iure Canonico, cum clauſula, vt intelligatur tantum de interpretatione ſenſus litteralis, ſiuè Grammaticalis, ſub pœna excommunicationis.

De Exorciſmis ſuper obſeſſos.

Titulus XL.

CVM apprimè periculoſa ſit colluctatio aduerſus principes, & poteſtates tenebrarum, de quibus ſcriptum habemus, non eſt poteſtas in terris, quæ comparetur eis; multa ergo oportet ſanctitate, & prudentia pollere eum, qui cum vaferrimo, & validiſſimo humani generis hoſte decertaturus eſt, ne ſuccumbat, aut ſaltem nullam reportaturus ſit victoriam; ſi quidem legimus ipſos Sanctiſſimos Apoſtolos interdum immundos ſpiritus à corporibus obſeſsis eijcere nequiuiſſe.

1 Quamobrem cùm ad nos multorum relatione inſinuatum ſit, plurima inconuenientia, candorem ipſius fidei deturpantia exorta eſſe apud rudes plebis in hoc exorcizandi officio; cùm plerumque talis vexatio contingat in fœminis, quibus tamquam aptioribus inſtrumentis ad illudendum, & decipiendum animas, communis humani generis hoſtis vti ſolet; veluti interdum non verè obſeſſæ, ſed

potiùs

potiùs aliqua delirij, vel inſaniæ ſpeciæ correptæ exiſtimantur à vulgo energumenæ, & exorcizantur à quibuſdam Presbyteris imprudentibus, & ideò neſcientibus cognoſcere vera ſigna obſeſſionis; & tunc callidus dæmon occaſionem nactus illudendi, etiam ſi tunc corpus illud non poſſideat, ad illum tamen actum impeditur, & quædam curioſa reſponſa reddens, ſimplices auditores in magnos inducit errores, ſecreta aliqua pandens, & futura ambiguè prædicens. Ad occurrendum itaque tanto malo, vt hoc opus à doctis, & prudentibus, non minùs quàm Sanctis, & probatis Sacerdotibus exerceatur, hâc noſtrâ Conſtitutione præcipimus, vt nullus deinceps Sacerdos ſecularis, vel Regularis in hac noſtra Diœceſi exorcizare præſumat, etiam adhibendo exorciſmos ab Eccleſia receptos, & præcipuè poſitos in Rituali, quamuis faciat pro experiendo num aliqua perſona ſit verè obſeſſa: ſine noſtra ſpeciali licentia in ſcriptis, etiam ſi ſit Parochus, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, præter alias corporales arbitrarias. Si quis verò Clericus hoc attentauerit, vltra excommunicationem, pœnam quoque carceris per annum luet.

2 Habentes licentiam à nobis, antequam ad actum deueniant, ſint cauti in obſeruatione ſignorum verè obſeſſionis, quæ dantur in Rituali, & alijs tractatibus Doctorum permiſſis adhiberi in tali actione.

3 Exorcizaturus de licentia, opus nô aggrediatur, niſi illa die peracto Sacro, & ieiunus ſi fieri poteſt, ac etiam ipſo obſeſſo, ſi ſuæ mentis compos extiterit, confeſſo; & actus fiat in Eccleſia ante Sanctiſſimum, corâ paucis pijs, & deuotis, quantum fieri poſſit conſanguineis, & attinentibus ad obſeſſum ipſum. Interrogationes futiles curioſas, & futura vaticinia, non admiſceant, & ſigna verè obſeſſionis obſeruent, veluti ſi obſeſſus rudis loquatur Græcè, Hebraicè, &c. & pondera ſupra vires ſubſtollat, & alia ſupernaturalia operetur.

4 Vtantur exorciſmis ab Eccleſiæ approbatis, vt ſunt illa Ritualis Romani. Nulla diſpenſent, vel exhibeant medicamina, Pharmaca, pocula, vel quid ſimile patientibus propinent; ſicut neque vnctiones ſuffitus, & alia huiuſmodi remedia, ſed illa omnia Medicis exhibenda relinquant, & eorumdem conſilio, & iudicio vtantur in ſignis internoſcendis, an patientes aliquo delirio, furore, Phreneſide, vel moxia laborent; & ad hoc à perſonis notis, & domeſticis patientis ſciſcitentur habitu illius, num ſit atræ bili, aut furori obnoxius, aliquo infortunio contingente deſperatus, vel libidinis ardore percitus &c.

5 A tactibus mulierum abſtineant, ſicut ab vnctionibus, & ſecretis colloquijs earumdem, ſed quoad fieri poſſit in Eccleſia, & coram conſanguineis exorcizentur.

6 Non exponatur Sanctiſſimum in actu exorcizandi, neque ſuper obſeſſum applicetur, nec ſub proteſtatione veritatis, & poteſtatis eiuſdem Sanctiſsimi fiat dæmonis coniuratio, nam effectu non contingente liberationis obſeſſi, poſset actus in perſonas rudes ſcrupulum inijcere dubitandi: & quoque obſeſsus nonniſi in recto iudicio exiſtens communicetur ad euitandam irreuerentiam, & alia ſcandala; neque plures eodem tempore exorcizentur, ſed ſinguli ſemotim,

 non

non ante Solis ortum, neque poſt occaſum, & quoad fieri poteſt obſeſſi confiteantur.

7 Munera exorcizantes non recipiant huius officij intuitu, etiam ſponte oblata: ſed ita cum omnibus piè, & ex ſola charitate ſe gerant, vt ſolam proximi liberationem, & ſalutem affectare videantur; & ſi quis harum noſtrarum Conſtitutionum tranſgreſſor extiterit, graues noſtro arbitrio pœnas reſeruatas ſubibit.

De caſuum collatione.

Titulus XLI.

SI in omni perſonarum ſtatu ignorantia videretur quodammodo per conniuentiam toleranda: in perſonis tamen Eccleſiaſticis omnium conſenſu dicetur apprimè deteſtanda. Quandoquidem ſi in gubernanda, & moderanda Republica, atque in regimine Magiſtratuum temporalium optimi, & ſcientifici Iudices, quoad fieri poteſt, deliguntur; quantò magis in iudicio ſpirituali, & cura animarum tractanda, aſſumendi erunt homines ſanctitate, & ſcientiâ diuinarum, humanarumque rerum præcellentes? & quemadmodum in curandis ægritudinibus corporalibus quiſque ſummo ſtudio enititur, Medicum ſibi indagare prudentem: Pari modò in infirmitatibus ſpiritualibus ſummâ ope nitendum eſt peritum Medicum perſcrutari. Quod licet pro noſtra virili ſemper conati ſimus efficere in ordinationibus, viſitationibus, & actionibus ſimilibus, tales nempè eligere moribus, & ſcientiâ præditos, de quibus probabilis adeſſet coniectura, fore habiles ad Sacerdotale miniſterium ſuſtinendum; Verùmtamen ad hoc aſſequendum nullus opportunior modus eſſe videtur, quàm praxis caſuum conſcientiæ, potiùs quàm Theoria ſcientiarum. Ideò ad illam comparandam vſu, & frequenti exercitatione, prædeceſſores noſtri ſtatuerunt inter perſonas Eccleſiaſticas iugiter fieri collationes, & diſceptationes ſuper morali Theologia, & vt vocant, ſuper caſibus conſcientiæ, vt in illa periti, & verſati, docendo alios ſe exercerent, & inſcij inſtruerentur; Hunc tamen laudabilem inſtitutum in noſtra viſitatione comperimus adeò elanguiſſe, vt ferè nullibi vigeat.

1 Quapropter, decreta præteritarum Synodorum ſuper his innouando decernimus hoc inuiolabiliter obſeruandum; vtque deinceps in vnoquoq; Clero, in quo quatuor ſaltem Sacerdotes adſint, tales collationes omninò fiant ſingulis Dominicis poſt Veſperas, ſeu alia hora omnibus commodiori; Si verò numerus ſit infra quatuor, teneantur adire ipſum viciniorem, vbi talis collatio fiat.

2 In collatione tali facienda modus erit, vt ſi in Clero adſint perſonæ prudentes, eligatur Præfectus, qui in vnaquaque Congregatione proponat quinq;

altem

ſaltem caſus diſcutiendos, illi qui proponantur in ſcriptis in ſchedula a ffigenda in Sacriſtia: & caſus propoſiti in ſequenti Dominica diſcutientur, & reſoluentur; adhòc, vt infra tale ſpatium ſinguli apud Doctores, & Summiſtas ſolutionē, & deciſionem illorum addiſcere poſſint. Et illis ſolutis alij, pro ſequenti Dominica proponentur, & interdùm vltra præfatos quinque ex morali Theologia, tres ſaltem alij ſuper rubricis, & ritibus Miſſalis, & Breuiarij; atque ſuper functionibus Eccleſiaſticis, proponantur.

3 Vltra præfatum eligetur Secretarius, qui curam habebit caſus propoſitos, & diſcuſſos deſcribere, & in librum redigere, ad nos ſingulis quadrimeſtribus deferendum, ſub pœna ducatorum quatuor ab eodem Secretario luenda ſi per ipſum ſteterit non tranſmittere.

4 Materiæ morales, ſuper quibus erit conferendum, ſint præcipuè ſuper Sacramentis, & ſignanter Pœnitentiæ, reſtitutionibus, contractibus, vſuris, cenſuris, peccatis, præceptis decalogi, & Eccleſiæ, horis Canonicis, celebratione Miſſarum, & ſimilibus, nec fiant conciſim interturbando materias; ſed vno titulo, ſiuè tractatu incepto, continuetur vſq; in finem.

5 Et quoniam omnes artes, & ſcientiæ tractandæ, & profitendæ Doctorem quemdam, quaſi lumen deſiderant, quo auſpice inſiſtentes progredi poſſint, à congregatis poterit eligi aliqua Summa, ſiuè tractatus cuiuſpiam Doctoris grauis claſſici, & magis ex Doctorum conſenſu receptus ſuper illa materia tractanda; & ab illo excipientur caſus diſcutiendi, vt Presbyteri audientes, & diſcutientes ab ipſo, tamquam ab eodem fonte ſolutionem propoſitorum haurire poſſint, & ſimul addiſcere valeant ſuper eiſdem caſibus notabilia, dubitationes, ampliationes, limitationes, illationes, &c.

6 In Cleris vbi non adſunt perſonæ ſufficientis litteraturæ, quæ caſus ipſos formare poſſint diſcutiendos, ſaltem in Congregatione legatur aliquis Summiſta incipiendo ab initio, & vnaquaque vice legatur capitulum vnum, vel duo, iuxtà eorum longitudinem, & ſuper intelligentia contentorum, conferatur inter congregatos; & actus lectionis adnotetur in libro, cum Concluſione facta ſuper doctrina illius capitis diſcuſſi.

7 Atquè, nè huiuſmodi neceſſaria exercitatio intermittatur; præcipimus punctatoribus deſignatis in quocumque Clero, vt ſtatutum eſt ſupra *in tit. de hor. Can.* pro qualibet vice adnotare deficientes etiam ex cauſa, exprimenda in libro punctorum, ſub pœna carolenorum quinque pro qualibet vice; vbi verò non adſit punctator, fiat ab hebdomadario.

8 Pœnam deficientium taxamus pro qualibet vice in carolenum vnum, de quibus conficiatur liber; & tempore diuiſionis prouentuum Eccleſiæ; calculatur pœnæ incurſæ à quocunque Presbytero in illo anno, & notæ conſignentur Procuratori eiuſdem Eccleſiæ; cui pro tempore exiſtenti præcipimus ſummam eorumdem defectuum cuiuſq; Presbyteri detrahere à virili portione ipſius, & applicare, prout nos ex nunc applicamus in beneficium Sacriſtiæ, & ſi in his fiat aliqua remiſſio, colluſio, compenſatio, & fraus ſimilis, declaramus ita delin-

quentes incurrere in pœnam ducatorum decem per quemlibet. Vndè Procuratores quartæ, eodem tempore, quo taxatæ fuerint in libris introitus quartæ, eaſdem pœnas deſcribant, exigant, & de illis tempore ſuo rationem reddant ſub pœna ſoluendi de proprio.

9 Vbi autem in aliquo Clero tanta ſocordia, imò veriùs contumacia inoleuerit, vt omnes vnanimiter conſpirent ad huiuſmodi collationem deſerendam; præcipimus Vicario foraneo illius loci, & in defectu Parocho, quatenùs ſi per duos menſes poſt huius Synodi publicationem, eadem collatio omittatur, vel ſi incæpta iam, per dictum ſpatium interrumpatur, per litteras nobis ſignificare teneantur, vt ad debita remedia, etiam per coërctionem perſonalem procedere poſſimus aduerſus tale opus neceſſarium contemnentes; alioquin ipſos non denunciantes ad pœnam decem ducatorum condemnabimus pro vice qualibet.

10 Ad huiuſmodi collationem conuenire obligatos declaramus; Primò, Sacerdotes habentes curam animarum, & miniſtrantes Sacramenta. Item Preſbyteros omnes, etiam non adhuc ad ſeruitium, & participationem prouentuū Eccleſiæ admiſſos, tum ſingulos exiſtentes in Sacris, & demùm Clericos in Grammatica aliqualiter prouectos, & ſupra ætatem duodecim annorum.

11 Et quoniam contra huiuſmodi Clericos in Sacris, & in minoribus non poteſt exigi pœna ſuperiùs ſtatuta; nè remaneant impuniti; mandamus deficientes adnotari in libro ſeruitij, de quo ſtatutum eſt ſupra *in tit. de Sacr. Ordin. & de honeſt. Cleric.* nam ſi pluries defecerint, non promouebuntur ad vlteriores ordines: ſicut etiam nouelli Presbyteri non admittentur ad participationem Eccleſiæ.

12 Ad eamdem collationem conuenire tenentur etiam Regulares habentes curam animarum ſecularium, vt decreuit *Sac. Cong. Epiſc. de anno* 1592. *die* 13. *Octobris*, & idem declarauit de omnibus exemptis *in anno* 1598. *die* 18. *Martij*, & de ſubiectis Religioni Sancti Ioannis Hieroſolyomitani.

13 Si quo in loco fuerint plures Parochiales, nec fieri poſſit collatio in ſingulis, ſaltem fiat in maiori, ad quam accedent alij de Cleris aliarum Eccleſiarum: & illa dicetur maior adhoc, in qua præſidet prima dignitas in Clero illius loci; niſi à nobis ex iuſtis cauſis aliter diſponere viſum fuerit.

14 Nemo prætendere poſſit exemptionem quauis cauſa, & impedimento non obſtante; niſi illo coram nobis adducto, & probato diſpenſetur.

De Sanctis eligendis in Patronos.

Titulus XLII.

A Priſcis iam indè temporibus, etiam apud Ethnicos, mos inoleuit, vt ſingulæ quæque Ciuitates, ne dum Regna, & Prouinciæ, peculiares ſibi Diuos coaptarent, quos ceù tutelares, domeſticos, & patrios Deos penates appellabant, eiſque particularibus ritibus, & cerimonijs Sacra litabant. Modò verò falſus ille cultus, qui in figura veri, factiq,, vero Deo, & Sanctis eius adhibendi, contingebat; etiam apud Chriſtianos diù fuit, & eſt in more poſitus, vt multæ Ciuitates, & oppida pro ſua ſpeciali deuotione erga aliquem ex Sanctis cum Deo regnantibus in cœlis, illum in proprium, & peculiarem Patronum eligere aff ctent; ſperando quemadmodum illi ſpecialem cultum maiori deuotione exhibere, ita eumdem pro eorum tutela efficaciores interceſſiones apud Deũ fore adhibiturum. Et quia in noſtra viſitatione fuimus frequenter plurimis in locis requiſiti de modo ſeruando pro obtinenda tali electione. Placuit hic annectere pro inſtructione Decretum Sac. Congregat. ſuper tali negotio ſeruandum.

1 *Decretum ſuper electione Sanctorum in Patronos à Sac. Rit. Congregat. de ordine Sanctiſsimi Domini Noſtri Vrbani PP. VIII. emanatum die 23. Martij 1630. Sac. Rit Congreg. annuente Sanctiſſimo Domino noſtro in electione Patronorum mandauit infraſcripta impoſterum ſeruari debere, declarans quod aliter facta electio, nulla ſit ipſo Iure.*

Primò, quòd eligi poſsint in Patronos ij ſolùm, qui ab Eccleſia vniuerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati duntaxat.

Secundò, quòd de Patrono Ciuitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à populo, mediante conſilio generali illius ciuitatis, vel loci, non autem ab Officialibus ſolùm, & quòd accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci. Idemq; ſeruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debet per ſecreta ſuffragia à populo ſingularum Ciuitatum Prouinciæ. Et quod repræſentantibus Regnum, Ciuitatum, Prouinciam, &c. nulla competat facultas eligendi Patronos niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum: & vlteriùs interueniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Ciuitatum.

Tertiò, quòd cauſæ electionis nouorum Patronorum debeant in Sac. Congreg. deduci, & ab ea examinari, ac demùm cauſa cognita ab ead. Sac. Congreg. approbari, & confirmari.

Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit allegari, eadem

dem Sacra Congregatio Rituum ſupradictum decretum imprimi , & publicari mandauit .

Ioannes Baptiſta Card. Detus .

✠ *Locus Sigilli .*

T. Tegrimius Sec.

2 Si qua igitur communitas ſpeciali deuotione affecta talem electionem facere concupierit , hoc deſiderium nobis exponet , vt prouidere poſſimus ſuper receptione ſuffragiorum , vt compilatum proceſſum cum debitis requiſitis ad Sac. Congregat. tranſmittere poſſimus pro Breui conceſſionis obtinendo .

3 Inſuper , quoniam, vbi tales Patroni iam fuerunt electi in pleriſque locis, non ſeruatur debitus ritus Officij perſoluendi in feſtiuitatibus , ſequentia annectere placuit .

Primò notandum, dari aliquos Patronos alicuius Ciuitatis, vel oppidi, & alios Patronos Prouinciæ , vel Regni ; item in aliqua Prouincia eſſe plures Patronos datos, quorum tamen vnus eſt declarandus principalis .

His poſitis dicimus de principali Patrono Ciuitatis, vel Regni reſpectiuè in illa Ciuitate , vel Regno , faciendum eſſe Officiũ ſub ritu duplici primæ claſsis, & cum ſua Octaua, vbi reſidet corpus, & feſtum erit ſolemniter de præcepto ſeruandum; Ad quod Officium duplex de principali Patrono tenentur etiam Regulares in eo loco degentes, *iuxta Conſtit. Gregor XIII. de anno* 1573. *die* 30. *Decembris*, non autem ad Officium octauæ , *vt Sac. Congreg. Rit. die* 27 *Martij* 1628. De Patronis non principalibus fiet item Officium duplex, ſine octaua, & ſine ſolemnitate feſti , nec Regulares tenentur ad illud Officium, niſi ad illud currens , ſicut poſitum eſt in Breuiario .

4 Feſtum Patroni cadens infrà illas octauas, in quibus prohibetur fieri Officium etiam de duplici occurrente, hoc tamen non obſtante celebratur cum Officio de Patrono niſi contingat infrà octauas Paſchæ, Pentecoſtes, & in maiori hebdomada . Transfertur tamen ſi incidat in die octauæ Epiphaniæ, Dominicis primis Aduentus, & Quadrageſimæ, Paſsionis, Palmarum, Paſchæ in Albis, Pentecoſtes, & Trinitatis; item in vigilijs Natiuitatis Domini, Pentecoſtes , & fer. 4. Cinerum. Lectiones primi Nocturni, vbi non adſunt propriæ, ſumentur de communi Sanctorum; Habent integras vtraſque Veſperas, niſi concurrant cum feſtiuitatibus Domini noſtri primæ claſsis, Beat. Virg. aſſumptæ , & dedicationis propriæ Eccleſiæ : & eiſdem cedunt in concurſu , tùm ſecundæ Veſperæ diei Octauæ Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti , tùm etiam primæ Veſperæ diei octauæ Aſcenſionis , & Corporis Chriſti . Quæ omnia deſumpta ſunt partim , ex nouis Rubricis Breuiarij, partim verò *ex Decretis Sac. Congreg. Rit.*

De electione Iudicum, Miniſtrorum, & Examinatorum Synodalium.

Titulus XXXXIII.

1 QVoniam in huius Synodi promotione, diuerſorum Miniſtrorum adiumento opus habemus: idcircò conſtituimus in Iudices huius Synodicæ actionis in recipiendis querelis, formandis proceſſibus, & alijs, prout Iura dictabunt, cauſis ciuilibus, & criminalibus ad Synodum eandem ſpectantibus, terminandis, & decidendis, & ſignanter contumacijs, abſentiam incuſandis, & exequendis Admodum Illuſtres, & RR.

D. Donatum Roſa V.I.D. Archidiacon. Cathed. Proth. Apoſt. & noſtrum Vicarium Generalem D. Hieronymum Prignanum V.I.D. Canonicum Maiorem Pœnit. & ſimiliter Generalem Vicarium. Præterea Synodicæ actionis Miniſtros deputamus R.D. Ioannē Baptiſtā Lætum à Cuccaro Archip. Montanen. in Secretarium, quem iam pridem elegimus ad huius Synodi decreta, & Conſtitutiones comminiſcendas, condendas, & componendas, nam longo vſu frequentis viſitationis Diœceſanæ functus adhoc optimè præſtandum idoneus viſus fuit. In Promotorem Fiſcalem R. D. Ioſephū Vecchi V.I.D. Proth. Apoſt & Cantorem Laurini, & in Notarium R. D. Petrum Antonium Ciccho noſtrū Cancellarium.

2 Inſuper quia *Sacroſ. Trid. Synodus ſeſſ. 25. cap. 10. de Reformat.* inhærens *Conſtit. Bonif. VIII. quæ incipit. Statutum &c.* de reſcriptis præcipit in Diœceſana Synodo eligi aliquot perſonas dignitates, & perſonatus obtinentes, ſeù Cathedralium Eccleſiarum Canonicos, quibus, vltra ordinarios Iudices, cauſæ Eccleſiaſticæ, & ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, authoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel legatorum eiuſdem delegandæ, committantur; huic igitur decreto obtemperantes in huiuſmodi Iudices eligimus, & deputamus primum ſupradictos D. Donatum de Roſa.

D. Hieronymum Prignanum, noſtros, vt ſuprà Vic. Generales, deindè
D. Octauium Seuerinum S.T.D. Primicerium, &
D. Horatium de Amato V.I.D. Canonicum Cathed.

3 Rurſus quoniam eadem *Trid. Synodus ſeſs. 24. cap. 18.* decreuit in eiſdem Synodis Diœceſanis proponi Viros aliquot Idoneos, qui eidem Synodo ſatisfaciant, in Examinatores Synodales, non minores numero ſex, vt in Parochialium Eccleſiarū vacatione tres ex illis ab Epiſcopo, vel eius Vicario aſſumantur ad examen præficiendorum, *iuxta idem Decretū*

Sac.Concil. Quapropter pro exequutione eiuſdem Decreti, nominamus ad hoc Officium Examinatorum, quouſque alia Synodus celebrabitur infra deſcriptos, qui omnes à Patribus in Synodo præſentibus, & rogatis, fuerunt approbati, & iurauerunt de ſuo munere fideliter exercendo. Porrò quia Diœceſis admodum vaſta eſt ob locorum diſtantiam, & quia nõ frequentes Synodi haberi poſſunt, ideò Examinatores vltra numerum viginti deputare expediens nobis viſum fuit, & ſunt ſequentes:

Primum omnes ſupradicti Iudices Synodales, nempè Admodum Illuſtres & RR.

D. Donatus Roſa V.I.D. Archid. Proth. Apoſt. & Vicarius Generalis.

D. Hieronymus Prignanus V.I.D. Canonicus, Maior Pœnit. Cathed. Vicarius Generalis.

D. Octauius Seuerinus S.T.D. Primicerius.

D. Ioannes Baptiſta Muſcarella Decanus.

D. Perſius Galardus Cantor.

D. Horatius de Amato V.I.D. Canonicus.

D. Franciſcus Riccardus Canonicus.

D. Ioannes Baptiſta Lætus à Cuccaro D. P. Archip. Montanen. Synod. Secretarius.

D. Anacletus de Rubeis S.T.D.

D. Dominicus Tanza Proth. Apoſt. Caputatij.

Cl. Ioſeph Cecchus V.I.D. Lorriæ.

Abb. Iulius Santorius V.I.D. Proth. Apoſt. Laurini.

D. Carolus de Clemente V.I.D. Archip. Padulæ.

D. Diomedes de Alecrio V.I.D. Proth. Apoſt. Sancti Petri.

D. Ioſeph de Vecchio V.I.D. Proth. Apoſt. Cantor Laurini.

D. Michaël Gagliardus V.I.D. Archip. Cerleti.

D. Decius de Sergio V.I.D. Laurianæ.

Cl. Ludouicus Bigottus V.I.D. Salæ.

D. Ioannes de Rito V.I.D. Salæ.

D. Bartholomæus Tomeus S.T.D. Cannalongæ.

D. Iacobus Graſſus V.I.D. Caſtri Noui.

D. Martius de Maſio V.I.D. Archip. Sanſiæ.

D. Marcus Antoninus Carneuale V.I.D. Archip. Siciniani.

D. Vincentius de Amato V.I.D Padulæ.

D. Carolus Benencaſa V.I.D. Sancti Blaſij.

Cl. Franciſcus Pecchianus V.I.D. Salæ.

Cl. Marcus Antoninus Pantolianus Pollæ V.I.D.

D. Thomas Coccellus Archip. Noui.

D. Ioannes Pannella Cantor Salæ.

D. Ioannes Antonius Raymundus Archip. Iungai.

Abb. Ioſeph Schifellus Diani.

D. Ale-

D.Alexander de Miſtro Diani.
D.Laurentius Soccodatus Archip.Pollæ.
D.Ioannes Iacobus Padula Archip. Montiſſani.
D.Hieronymus Monacus Montiſſani.
D.Alexander Piſacane Archip. Atinæ.
D.Ioannes Andreas Gilibertus Atinæ.
D.Ioſeph Ferrus Art.& Med.Doctor, Archip.Saſſani.
D.Franciſcus Antonius Grandazza, Archip. Roccæ aſpidis.
Abb.Alexander Pinnicella Maſſaſcuſæ.
D.Ianuarius Mangarellus electus Abb.Noui.
D.Antonius Tipoldus electus Abbas Cornotorum.
D.Angelus Vairus Archip.Plagenarum.
D.Hieronymus Cubellus Rector Modij.
D.Thomas Oriſtannius V.I.D.Archip.Fileti.
D.Philippus Todiſcus V.I.D.Cantor filetti.
D.Bartholomæus Lombardus Archip.Cuccari.
D.Andreas de Speranza Archip.Lauretani.
D.Syluester Morra Archip.Rofrani.
D.Vincentius Verta Rofrani.
D.Alphonſus Archip. Piſciottæ.
D.Saluus Ienſanus Archip.Aquçueliæ.
D.Angelus Lanza Archip.Pullicæ.
D.Ioannes Baptiſta Lombardus Arch. Roſcinij.
D.Paulus Eternus Archip. Abatinæ.
D.Ioſeph de Apice Siciniani.
D.Melchior Vordoliua Archip. Rodini.
D.Ioannes Leonardus Maronus Archip.Sancti Iacobi.
D.Deodorus Rinaldo Archip. Bonihabitaculi.
D.Paulus Eterus Archip.Sancti Rufi.
D.Pompeius de Donato Archip.Sacci.

4 Aſſolent in eadem Synodo deputari per loca Diœceſis quædam Perſonæ timoratæ conſcientiæ, & zelantes honorem Dei, quæ conſtituuntur quaſi Cenſores, & Correctores, & eorum Officium eſt Eccleſiaſticos in aliquo peccantes coarguere, & ad meliorem frugem reducere, ac pertinaces denunciare, & hi à nobis electi, iuſtis de cauſis, non fuerunt propalati, ſed in manibus noſtris iurauerunt de ſuo munere ſincerè exercendo &c.

De Actionibus Synodalibus.

Titulus XXXXIV.

1 IAM pridem hanc Diœceſanã Synodum celebrãdũ decreueramus; attamen grauibus, & ineuitabilibus impedimentis, quæ in edicto indictionis ſummatim tetigimus, exturbati, hucuſque diſtulimus. Vix tandem otij aliquantulum nacti, occaſionem vrgentes; Synodum ipſam per edictales litteras indiximus in Terram Laurini conuocandam, pro tertia Dominica Aduentus, quæ fuit dies 12. Decembris, & cum continuatione dierum ſequentium currentis anni 1649. Et iam præfata die aduentante, noſmet ad deſtinatum locum trahentes, pro affluentibus ad eamdem Synodum citatis, Hoſpitia, & commeatus, aliaq; neceſſaria noſtro ære paranda iuſſimus. Et ſingulis prouidè diſpoſitis, ſtatuta die, de cunctis locis noſtræ Diœceſis Parochi, & animarum curatores, partim perſonaliter, partim verò per legitimos Procuratores conuenerunt Et indicta Oratione publica ad diuinam opẽ implorandam, euulgataq; tabella diſciplinæ Synodalis, die Dominica ſummo manè proceſſionaliter Cappa Pontificali induti, aſſociantibus dignitatibus, & Canonicis noſtræ Cathed. nec non Parochis Diœceſanis cotta, & ſtola paratis, Diœceſim ipſam repræſentantibus, longo ordine, & frequenti populo, itaut complerentur ſtrata viarum, porreximus ad Collegiatam Baſilicam S. Mariæ Maioris; ibiq; Miſsã de Spiritu Sancto decantauimus, in qua totum Clerum Sacra Communione refecimus, tùm abſolutis reliquis cerimonijs, Pſalmis, & Orationibus iuxtà Pontificale: fuit decantatum Euangelium per Abb. S. Mariæ Dirni. Deindè Admodum Illuſtris, & R. D. Hieronymus Prignanus noſter Generalis Vicarius vir omnigena ſcientiarum eruditione ſuſpiciendus, elegantiſſimum Sermonem de diſciplina Eccleſiaſtica, & Synodi præſtãtia de ſuggeſtu habuit. Illoq; abſolutus, Secretarius Synodi inchoationem publicauit, & decretum de modò viuendi, procedendi, & permanendi emanauit.

2 Poſtmodum ſeriatim publicauit Miniſtros Synodales, Iudices pro controuerſijs decidendis, & alios quibus cauſæ à Rom. Curia delegandæ committerentur, & Examinatores Synodales, prout in tit. præcedenti notantur.

3 Porrò inſtante Promotore Fiſcale fuerunt vocati iuxtà Ordinem deſcriptum *in principio Synodi Eminentiſsimi Brancacij de anno* 1629. omnes, & ſinguli Synodo intereſſe obligati, tàm ſubditi Diœceſani, quàm etiam

alij ſe exemptos eſſe prætendentes, exiſtentes intra fines, & limites noſtræ Diœceſis, & qui de iure & conſuetudine conuenire debent, & quoniam plerique vocati non comparuerunt, nec per ſe, nec legitimè, fuit inſtatum per Promotorem ad condemnationem pœnarum, prout de iure &c.

4 Fuit item publicatum Decretum de præiudicio non inferendo inuocatione, ſeſſione, inceſſu, ſuffragijs ferendis, &c. & interdicto diſceſſu à Terra Laurini, ante Synodum completam: Lectis deindè à Domino Archid. Decretis Sac. Conc. Trid. de reſiden. & fidei profeſſione factaque fidei eadem profeſſione per formulam latam *in Conſtitutione Pij IV.* per omnes præſentes; Fuit completa prima Seſsio Matutina: Hora deindè 21. Pomeridiana, ad ſonum Campanæ omnibus confluentibus; & aſſociantibus in eadem Eccleſia, completis precibus; fuit inſtatum pro lectione Decretorum, & Conſtit. Synodalium, quas Secretarius de ſuggeſto publicare incæpit, continuando vſque ad Veſperam.

5 Sequenti die 13. Decembris conſimili ordine diluculò eandem Eccleſiã adeuntes, celebrata Miſſa, & recitatis Pſalmis, & Orationibus, vt in Pontificali, fuit cantatum ſecundum Euangelium per R. Abb. eiuſdem Eccleſiæ Collegiatæ, & habitus Sermo à R. D. Iacobo Graſſo V.I.D. Deindè Secretarius continuauit Lectionem Conſtitutionum, & hora competenti indicta pauſa, deſijt 2. Seſſio, quæ fuit continuata poſt prandium.

6 Tertia item die 14. Decembris ſimili Ordine Eccleſiaam conuenientes, celebrata Miſſa, & reliquis de more perſolutis Euangelium cãtauit Sacerdos quidam de Clero Terræ Noui: quo finito Orationem Latinam de ſuggeſto habuit R. D. Ioannes Baptiſta Lætus, Secretarius Synodi: poſtquam idem Secretarius proſequutus fuit Lectionem reliquarũ Conſtitutionum, vſq; ad tempus congruum, & completa fuit quinta Seſſio.

7 Eadem ipſa die, hora competenti, regreſſi fuimus Eccleſiam, & poſt Orationes fuerunt lectæ reliquæ Conſtitutiones, & illis abſolutis, fuerunt rogati Aſſiſtẽtes num illas probarent, & omnes vno ore acclamãtes reſponderunt. Placent. Approbamus, & recipimus.

8 Tandem à Promotore Fiſcali fuit facta inſtantia pro Incuſandis cõtumacijs contra abſentes, qui iterùm vocati, alta voce, non comparuerunt, nec reſponderunt per ſe, neque per Procuratores. Id irco fuerunt reputati contumaces, & fuit Decretum contra ipſos procedi per Dominos Iudices Synodales via iuris extra Synodum, vſq; ad condemnationes, & exequutiones pœnarum, & relaxationes cenſurarum in ſubſidium, & omnia acta ſuper his conficienda eundem vigorem, & robur obtinere non ſecus ac in ipſa Synodo confecta forent. Tùm data ab Illuſtriſſimo Domino Pontificali Benedictione fuit terminata Synodus, & omnes præſentes dimiſſi.

Contumaces inquirendi ſunt ſequentes :

9 R.Abb.Sancti Angeli ad Faſanellam.
R.Abb.de Controne.
R.Abbas Centulæ.
R.Abb.Caſtri Sancti Laurentij.
R.Abb.Sancti Petri de Aquara.
R.Abb.Pactani
R.Abb.de Paſitano pro loco de Abbate Marco.
R.Abb.Sanctæ Ceciliæ de Caſtanitellis.
R.Archip. Caſtri Abbatis.
R.Archip. Perdiſumi.
R.Archip.Sancti Magni
R.Archip. de Matonti.
R.Archip. de Capograſſi.
R.Curatus Caſtagnete.
R.Curatus Caſalicchi.
R.Curatus Sanctæ Barbaræ.
R.Rector Sanctæ Luciæ.
R.Rector de loco de Graſſi.
R.Archip.Sanctiſſimæ Trinitatis Pollæ.
R.Archip. Caſalis Noui pro loco de Cadoſſa Cartuſianorum.

Decretum Confirmationis, & innouationis præteritarum Synodorum Prædeceſſorum Epiſcoporum, D. Petri de Matta in Anno 1617. & Eminentiſſ. Card. BRANCACII de Anno 1629.

AD noſtræ Paſtoralis ſollicitudinis munus ſpectat, eaquæ à noſtris prædeceſſoribus pro optimo regimine ouium commiſſarum; & cultu diuino conſeruando, prouidè ſancita ſunt: non modo amplecti, ſed obnixè pro viribus præſtare, vt ſemper in viridi exiſtant obſeruantia. Sanè cùm ob temporum calamitatem, & huius Caputaquen. Diœceſis præteritorum Præſulũ inſtabilis reſidentiæ curſum, vagum, variumque incolatum: nullibi Epiſcopale Archiuium illibatum, imò non depopulatum conſiſtere potuerit; hinc effectum eſt, vt perpaucæ Conſtitutiones Synodales Diœceſanæ habeantur, & hæ tantummodo reperiantur, nimirum Pauli Emilij Veralli, viri omnigena ſcientiarũ cognitione Vrbi, & Orbi notiſſimi, exigua quædam Synodalia materno idiomate conſcripta*. Syluij Galaſſi Vicarij Apoſtolici Conſtitutiones manuſcriptæ de anno 1583. Lelij Morelli Epiſcopi Synodus in anno 1593. Vtilia quidem continens Decreta, ſed quoniam prælo excuſa non fuit, idcircò apud ipſummet conditorem, conſenuit, & cum ipſo quaſi conſepulta in obliuionem deuenit. Poſtmodum verò b. m. D. Petrus de Matta in anno 1617. Synodum coëgit, in qua opulento apparatu, ſed compendiaria methodo, quæ opportuna videbantur collegit, typiſq; dedit. Saluberrima tamen illius decreta cùm ob hominum deprauatum ingenium, quaſi obſolita videbantur abolita, Eminentiſſimus Franciſcus Maria Card. Brancacius in anno 1629. Synodum celebrauit, in qua nihil intactum, inconſultum, indeciſumuè

ſumuè reliquit, vt Succeſſoribus via ferè præcluderetur aliud deſuper commentandi. Attamen cùm in noſtra viſitatione Diœceſana, multa noxia creuiſſe comperiſſemus, & quæ euulſa videbantur, iam vegetiora pullularent. Ideò mala de nouo emergentia noua etiam viſa ſunt indigere prouiſione. Vndè neceſſarium duximus noſtrum Synodum euocare. Attamen ne per has noſtras nouas Conſtitutiones, veteres ſupradictæ noſtrorum Prædeceſſorum, videantur reuocatæ, & abolitæ: ne propria illis in aliquo detrahatur; placuit per hoc Decretum eaſdem Synodos impreſſas, nempè Epiſcopi de Matta, & Eminentiſſimi Brancacij, confirmare, innouare, & quatenus opus eſt, plenum robur adijcere, ac in integrum reſtituere, tàm in Decretis ipſis, quàm in pœnis annexis, & vbi non ſunt appoſitæ illas nobis reſeruare. Præfatas itaq; Synodos, & ſingula in ipſis decreta ſtatuta, ſancitá, & ordinata, de verbo ad verbum, prout iacent, quorum tenores licet hic nō exprimantur, tamen pro expreſſis, & inſertis haberi volentes; pręſenti Conſtitutione de noſtra matura deliberatione, & conſilio nobiſcum in hac Synodo aſsiſtentium. Innouamus, confirmamus, approbamus, & inuiolabiliter ſeruari mandamus; cum hac tamen clauſula, & expreſſa reſeruatione, eatenùs confirmantur, quatenùs per nouas Sum. Pontif. Conſtitutiones, & decreta Sac. Congreg. EE. Cardinalium, & per hanc noſtram Synodum, in aliquo reuocata, correcta, limitata, & aliter declarata non fuerint, vel impoſterum etiam extra Synodum mutanda, abroganda, moderanda, & diſpenſanda non fuerint, & ſic, & non aliter &c. Porrò quia in hac Synodo noſtrum fuit inſtitutum ea ſupplere, quæ in vnoquoque titulo præteritarum Synodorum deeſſe videbantur, ne aliàs ſancita repeteremus. Eapropter, monemus omnes nobis ſubiectos, & præcipuè Parochos procurare præfatas Synodos habere, & cum hac noſtra connectere, vt ſi quando occurrat ſub aliquo titulo Conſtitutiones, & prouiſiones requirere, illis perquiſitis, faciliùs quod opus eſt occurrat, cùm omnes tres ad eumdem finèm tendant, & inter ſe ſint analictica cognatione ſubordinatæ, & ità per hoc noſtrum

Con-

confirmationis Decretum decernimus, declaramus cum Clauſulis, & reſeruationibus ſuprà poſitis.

Decreta Generalia ad obſeruantiam Synodi reſpicientia.

1 Andem ne quis in harum Conſtit. Synodalium obſeruatione iuſtas cauſas excuſationis prætexere valeat: præcipimus omnia, & ſingula in ea ſtatuta, ſancita, & decreta, omnes, ad quos ſpectat, omninò ad eorum obſeruationē arctare, ſub pœnis, & cenſuris in ipſis adiectis, & inflictis, tranſactis duobus menſibus ab eorum impreſsion, ac promulgatione, quo termino decurſo omnes obligare volumus, non ſecùs ac ſinguli forent intimatæ.

2 Eaſdem Conſtitutiones, & Decreta mandamus ad litteram (cuiuſcunque priuati liminis declaratione poſtpoſita) obſeruari; quòd ſi quæ ſuper illarum intelligentia, difficultàs ſuboriatur. Deciſionem nobis noſtriſq; Vicarijs, & Succeſſoribus (ſub ea ſemper Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritate, & correctione) reſeruamus.

3 Ad conſcientiarum autem quietem, declaramus, in illarum obſeruatione lęthalis peccati periculo neminem eſſe innodandum, niſi vbi excommunicatio, vel alia cenſura eſt annexa, & vbi ſtrictè præcipitur obſeruantia, vel ipſius Iuris Canonici ratio poſtulat.

4 Illud etiam admonemus, tranſgreſſores ipſos non ſolùm pœnis taxatis, ſed alijs noſtro arbitrio infligendis, mulctandos eſſe, & coërcendos, & ſi in aliquo Decreto nulla pœna, ſiuè mulcta expreſsè impoſita fuerit, tunc volumus intelligi per nos, vel noſtros Vicarios Generales pro arbitrio contra tranſgreſſores apponendam, & infligendam, quod ipſum in præteritis quoque Synodis noſtrorum prædeceſſorum ſeruandum præcipimus.

5 Præterea quia leges, & edicta diligentiùs ſeruabuntur, ſi ſæpiùs fuerint inculcata. Ideò præcipimus Parochis omnibus decreta illa quæ laicos reſpiciunt, vulgari lingua, temporibus deſignatis, inter Miſſarum ſolemnia, ſuis plebibus, explicare.

6 Et ne quis ignorantiæ cauſam obijcere poſſit; præcipimus huius Synodi volumen infrà duos menſes poſt eius euulgationem procurari modo ſequenti. In ſingulis Parochialibus habeatur vnus Codex retinendus in Sacriſtia, ad commu unem Cleri inſtructionem, alterum habeat proprium quilibet Parochus, & itidem procuretur à ſingulis Confeſſarijs.

7 Attamen, quia fruſtraneum eſſet libros retinere abſq; iugi ſtudio illo-

illorum,præcipimus igitur ab omnibus diurna, nocturnaq; manu verſari, vt ſingula in illis contenta, vniuſcuiuſq; memoriæ infigantur,& in occurſu caſuum prompta habeantur, admonentes illos in viſitationibus ſuper eiſdem interrogandas fore.

8 Præter illarum priuatam lectionem mandamus, vt tempore Collationis caſuum Conſcientiæ, admiſceatur etiam lectio capitulariter in Sacriſtia, ſaltem vnius tractatus horum Conſtitutionum ſingulis vicibus, vt ſæpiùs inculcata, memoriæ inhæreant.

9 Demùm qua ſæpè ſçpiùs ad haſce noſtras Cōſtitutiones cōfirmandas adduximus *Decreta Sacrorum Congreg. EE.DD. Card. maximèq; Sac. Concil. Trid. Interpretum*, Immunitatis, & Sacrorum rituum, & licet compertum habeamus ab eiſdem *Congregationibus*, nempè ab illa *Concilij de ann.* 1631. *ſub die* 31. *Auguſti*, & ab illa *Sacrorum rituum de anno* 1632. *die* 11. *eiuſdem Menſis*, fuiſſe decretum huiuſmodi declarationibus, & decretis, tàm impreſſis, quàm imprimendis, aut manuſcriptis nullam fidem in iudicio, vel extra eſſe adhibendam. niſi illis, quæ in authentica forma, cum ſigillo Eminentiſſimi Card. Præfecti, & Secretarij eiuſdem Congregationis fuerint munita; tamen quia magnum pondus habent, & in ſimilium caſuum identitate rationis faciliùs poſſint ab eiſdem Sac. Cong. in contingentijs flagitari reſcripta authentica: hac de cauſa illa ipſa retulimus, quæ in tali forma obtenta vim habent legis communis, nec poterunt in dubio reuocari, vt ipſamet *Sac. Cong. Concilij reſpondit*, & frequenter teſtatur *Rota Rom.*

10 Eadem Decreta, Conſtitutiones, & ſingula acta in hac Synodo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritati, iudicio, correctioni, & declarationi, ſicut & noſmetipſos, in omnibus ſubijcimus &c.

F I N I S.

O R A T I O

Habita in vltima Seſsione huius Synodi per

R. D. IOANNEM BAPTISTAM

LETVM SECRETARIVM.

ILLVXIT tandem (Ampliſſime Præſul, præſtantiſſimi Capitulares, & venerandi Patres in iſto ſacro Senatu conſidētes) Illuxit, inquam, felix illa, & expectatiſſima dies, in qua exoptatiſſimum noſtrum Antiſtitem, quaſi nouum Hylarium è prælio perſequentium reuertentē aſpicimus, & coram datur ipſius ora tueri, & veras audire, & reddere voces. Receſſerat iam diu paſtor iſte noſter, quoniam communibus peccatis exigentibus, infelix currens ſeculū tot in orbē monſtruoſa portenta inuexit ſeditionum: magiſq; in iſto Regno, vbi tam nefarij Coriolani, & immanes reuixerunt Catilinæ, qui cuncta parricidijs, incendijs, direptionibus, & deuaſtationibus impleuêre. Tot igitur, tantiſq; graſſantibus calamitatibus, non tantùm cōmunibus, quā etiā domeſticis (nā in Diœceſi ipſa plures ſeditioſos Spartacos, & Viriacos, imò viliſſimos, & impudentiſſimos ſicarios, & graſſatores tolerauit) exturbatus Epiſcopus noſter, tempeſtati cedens, Chriſto Domino ſuadente in verbis illis: *Cùm vos perſecuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam, &c.* varia per biennium requirens perfugia, Deo ſeruatore, incolumem hucuſq; ſeipſum ſuo gregi conſeruauit. Poſt eius dſceſſum à Diœceſi; quot lupi rapaces hoc noſtrum deſolatū ouile ſint adorti; quot contagia ab ouibus contracta; quot iam amœna Paſcua areſacta, conuerſa ſint in ſalſuginem; quis firmo pectore, conſtanti voce, & ſiccis oculis, verbis percurrere poſſet? Ea propter optimus Paſtor iſte à longè, ſentiens diſperſarum ouiū miſerandos balatus, & luporum inſectantium, & circa caulas frementium terrificos vlulatus. In viſceribus miſericordiæ communes caſus compatiens, vt boni Paſtoris officio fūgeretur, qui animā ſuā dat pro ouibus, non ſine magno vitæ di-

ſcrimine, perſequutionum adhuc vigente procella;per tela,per hoſtes tranſiens caras aduenit ſuuiſere oues.Sed proh dolor! Quæ facies ab ipſo reperta eſt immutata temporũ? Quanta morũ deprauatio? Quæ diuini cultus remiſsio? Qualis diſciplinæ Eccleſiaſticæ relaxatio? & Eccleſiaſticorum licentioſa peruerſio? Quot Eccleſiæ viduatæ Rectoribus? Quot religioſæ domus carentes obſequijs? Atque, vt zeli rubore ſuffuſus ſingula perſtringam, prophetico vtar eloquio: *Inuentum eſt omne caput languidum, & omne cor mœrens; à pl. nta pedis, vſque ad verticem non eſt ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Ad quæ tam grauia mala, & exitialia contagia, cupiens Epiſcopus noſter adhibere conferens antidotũ,& ſalubre paradigma, ex reconditis ſacrorum Canonum, Conciliorũ generalium,& Pontificiarum Conſtitutionum penitioribus pigmentarijs; Cõſtitutiones quaſdam excerpens, veluti Pharmaca, fomenta, & medelas parauit. Itidemq; vt ſingulis ægritudinibus conferentia remedia Canonicè adhiberentur; Synodalia iſta comitia conuocare decreuit: vt ouium vndequaque languoribus auditis,& examinatis, medicamina ipſa ſic parata,vobis animarũ curatoribus diſpẽſanda,prout expedire videbitur,ſeruata temporum, & rerũ opportunitate conſignaret. Accipite igitur venerandi Sacerdotes tam ſalubres Conſtitutiones,quarũ auxilio(vt audiſtis) cunctis veſtrarum plebium ægritudinibus mederi poſſitis, Siquidẽ in ipſis traditur perſpicua methodus. Qualis debeat eſſe ad Catholicã fidem aſtruendã profeſsio. Quæ ad hæreſes profligandas inſtructio. Quæ ad librorum prohibitorum legendorum cautio. A blaſphemijs, & maledictis ceſſatio. In cultu feſtorum obſeruatio. In doctrina Chriſtiana edocenda ratio. In concionatoribus deſtinandis prouiſio. Itemq; in ſingulorum Sacramentorum adminiſtratione, qui ritus adhibendi, & quæ praxis ſeruãda. Quomodo Parochus ſe gerat in ſuo munere exequẽdo. Quomodo Clerici ſe probẽt benè viuendo. Quomodo beneficia Eccleſiaſtica canonicè adipiſcantur. Qualiter Horæ Canonicæ perſoluantur. Quando excommunicationis gladius exeratur. Funerum,& ſepulturæ officiũ quomodo perſoluatur. Qua ſtructura, & quali ornatu Eccleſiæ ſint conſtruendæ. Res Eccleſiaſticæ qualiter miniſtrandæ. Quando, & quomodo alienandæ. Immunitas Eccleſiaſtica quonam pacto tuenda. Monialium regimen, & clauſura quomodo cuſtodienda. Regulares, & exempti in quibus ab Epiſcopis iudicandi. Pueri in Seminario quomodo educandi. In foro Epiſcopali qui ritus ſint ſeruandi. Vicarij foranei quales ſubſtituendi. Reſidentia quomodo tenenda. In Archiuio quæ ſint adimplẽda. Spolia Clericorum quomodo exigenda. Tertiariarũ immunitas quomodo intelligenda. Clerici coniugati,& ſyluatici quomodo tuendi. Concubinarij qualiter coercendi. Ludimagiſtri quales deligendi. Exorciſmi ſuper obſeſſos quomodo exercendi. Caſus conſcientiæ quomodo diſcutiendi. Sancti in patronos quibus modis eligendi. Miniſtri, & examinatores ſynodales qualiter deputandi: & demum ſynodales Conſtitutiones, & actus quomodo obſeruandi.

Audiſtis venerandi Sacerdotes, quam ſapienter, prudenterq; optimus noſter

Præſul

Præſul ſuas partes egerit. Reliquum eſt, vt vos itidem, qui magnam partem eius miniſterij ſortiti eſtis, veſtrum quoque penſum perſoluatis: nō enim parua imminet pœna, ſi negligentes extiteritis, nā maledictus vocatur à Spiritu ſancto homo ille, qui facit opus Dei negligenter: *& durum iudicium fiet cum his, qui præfuerunt*; ſi in ſuo munere deſides ſe oſtendant. Sap. 7. Item *Hierem.* 25. *Vlulate paſtores, & clamate, aſpergite vos cinere, quia completi ſunt dies veſtri*, videlicet, vt interficiamini morte æterna. Vnde de his ait Gregorius: *Miror ſi quem ſaluari contigerit, ex his, qui principantur alijs, nam quantò gradus ſublimior, tantò caſus periculoſior, & cui plùs committitur, plùs exigitur*. Attendite igitur vobis, & veſtro gregi, ſuper quo Deus vos poſuit cuſtodes, quaſi rationem reddituri de animabus ouium. Paſtores deputati eſtis, vt concreditas vobis oues ad metam ſupernaturalis boni perducatis. Quibus, non veſtra, ſed ipſarum cauſa præeſtis, vt illas prudenter cuſtodiatis.

In omnibus præbete voſmetipſos exemplum bonorum operum; quia ſicut oues ſequuntur paſtorem, & vocem eius audiunt, ita qualis eſt ſacerdos, talis erit & populus. Animaduertite, actiones veſtras tantum debere tranſcendere actiones populares, quantum diſtat à grege vita paſtoris. Cum omnibus exhibete vos ſicut Dei miniſtros; ſi perſequutiones veniant, nè deficiatis; ſi neceſſitas contingat, nè deſperetis; ſi blaſphemamini, ne reſpondeatis; ſi colaphis cædimini, alteram maxillam cædenti præbeatis; ſi verbo, vel murmure lædamini, taceatis; ſi vos proſequentur, ſuſtineatis, quia ſeruus non eſt maior Domino ſuo. Et Dominus dicit: *Si me perſequuti ſunt, ita & vos perſequentur*, nemini reddetis malum pro malo, ſed potiùs bonum, vt in bono malum vincatis.

Eſtote mundi, qui vaſa Domini, nempè animas proximorum veſtrorum portatis; ſitis actione præcipui, vt viam vitæ ſubditis oſtendatis; diſcreti in ſilentio & vtiles in verbo, ne tacenda proferatis, & proferenda reticeatis, nam ſicut incauta loquutio in errorem pertrahit: ſic indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri poterant, in cæcitatem erroris derelinquit. Eſtote ſingulis compaſſione proximi, vt per pietatis viſcera alienas infirmitates in vos transferatis; contemplatione ſuſpenſi, vt per ſpeculationis altitudinem, vos ipſos tranſcendendo, inuiſib[illegible] appetatis. Benè agentibus eſtote ſocij per humilitatem. Delinquentibus verò erecti per zelum iuſtitiæ, vt bonis in nullo vos præferatis, & in malos veſtræ poteſtatis actus exerceatis. Ob interiorum ſpeculationem; exteriora pietatis officia, ne deſeratis, quæ ad proximi vtilitatem neceſſaria iudicaueritis. Docete omnes quæ ſcire oportet: *Sacerdos etenim*, vt teſtatur Aggeus, *eſt Angelus teſtamenti, & populus ex ore eius legem exquiret*; & ſuper hoc inquit Hieronymus: *Si Sacerdos eſt, ſciat legem Domini, & ſi ignorat legem Domini, ipſe arguit non eſſe ſacerdotem Dei. Quia*, vt ait Dominus in Oſeæ: *ſcientiam repuliſti, ego te repellam, nè ſacerdotio fungaris mihi, & ſicut anima eſt conſeruatiuum corporis, ita eruditio eſt conſeruatiuum animæ*; vt ait Ariſt. Paſcite populos non tàm verbo ſapientiæ, quàm exemplo bonæ vitæ, ne cum alijs prædicaueritis, ipſi reprobi efficiamini; ſiquidem, vt ait Gregorius; *cuius vita deſpicitur, contemnitur prædicatio*.

Porrò quoniam, vt ait Apoſtolus, omnes ſumus membra de eodem corpore procedentia, vt oſtendamus connexionem membrorum cum myſtico capite in Eccleſia Dei, & relationes Sacerdotis ad populum: hæc paucula ſpeculemur. Si caput Sacerdotis fuerit aurum optimum ſapientiæ; ſi comæ ſint ſicut elatæ palmarum contemplationum diuinarum; ſi oculi erint nitidi ſicut columbarum reſidentium iuxta fluenta Sacramentorum; ſi labia doceant diſtillare myrrham primam pœnitentiæ. Quale reliquum corpus exiſtimabimus futurum; niſi quòd manus populi ſint plenæ hyacinthis bonorum operum; venter eburneus cęleſtibus ſapphiris diſtinctus, non laſciuijs, & crapulis pollutus: crura erunt ſicut columnæ marmoreæ; ſpecies totius corporis odoratæ, ſicut cedri Libani, & decoræ, ſicut lilia agri; & totum denique corpus commendabile, nam ab aureo capite, non niſi aurei influxus in membra diffluere poſſunt.

Agnoſcite prætereà venerabiles Sacerdotes, quam præcelſa ſit veſtra poteſtas; nā ſi magnum exiſtimatur inter homines, vnum præeſſe multis: leges, & Iura ponere: maria, terras, bella, & pacem moderari: veſtra dignitas, quæ non terrena, ſed diuina eſt, quantum ſublimior cenſenda erit? nam, vt ait Chryſoſt. *expendæ regiæ, & ſacerdotalis dignitatis modum: Regius thronus ob aurum, & gemmas, quibus eſt compactus, videtur admirandus; ſed vltra terrenam iuriſdictionem, nihil habet amplius: Sacerdotis thronus in Cœlis eſt collocatus, de cœleſtibus negotijs pronunciandi poteſtatem habet:* Audiamus item quid de tali poteſtate intonet Auguſtinus. *O cœleſte miniſterium ſacerdotale; quo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus tanta miracula operantur; ſi vno, eodemque momento idem Deus præſidet in Cœlis, & in altari in manibus reſidet ſacerdotis in ſacrificio! O poteſtas, quam cœlum miratur; terra ſtupet; Infernus horreſcit; Diabolus contremiſcit; Homo veretur, & Angelica celſitudo veneratur! O quam mundæ debent eſſe manus ſacerdotis, quam purum os, quam ſanctum corpus, & quam immaculatum cor, ad quæ toties ingreditur auctor puritatis!* Idcircò ex ore ſacerdotis nihil niſi ſanctum, niſi honeſtum, niſi vtile procedere debet verbum, dum tam ſæpè ſuſcipit ſacramentum, & ſic oculi, qui Chriſtum intuentur, & manus, quæ Creatorem Cœli iugiter contrectant, debent eſſe mundæ; ſacerdotibus etenim proteſtatur Dominus: *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Vita clericorum debet eſſe liber laicorum, ſicut Chriſtus eſt liber, & norma clericorum; & adhoc ait Apoſtolus. *Fratres imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Vnde mirabilis dicitur poteſtas ſacerdotalis. Primò, quoad Deum, qui credit ſemetipſum in manibus ſacerdotum, vt Hierem. *Ecce ego ſum in manibus veſtris, facite mecum, quod bonum eſt in oculis veſtris: verumtamen ſcitote quod ſi occideritis me, ſanguinem meum à vobis requiram.* Vnde idem Auguſtinus: *O veneranda dignitas Sacerdotum, inter quorum manus Dei filius, velut in vtero matris Virginis incarnatur, & idem Creator, qui creauit vos, dedit vobis creare ſe: & qui creauit vos abſque verbis, creatur à vobis mediantibus verbis.* Secundò, quo ad Mariam Virginem, nam ſicut illa ipſum manibus tractauit, & recliña-

reclinauit in præſepio, ſic ſacerdos tractat, & reclinat in altari. Tertiò, quoad Angelos, nam ſicut illi ante thronum Dei cantant *Sanctus*: ſic ſacerdos quotidiè in ſacrificio idem perſonat, & cui Angeli in Cœlis aſſiſtunt, ſacerdotes in terris miniſtrant; illi videndo, iſti tractando: illos Deus paſcit per ſpeciem in Cœlo, iſtos autem per corpus ſuum in Sacramento per fidem. Vnde Ambroſius: *Nobiſcum eſt Deus per fidem, donec ipſum mereamur videre in Cœlo per ſpeciem*. Quartò, quoad omnes Sanctos, quia Sacerdos ipſe typum omnium ſanctorum præſefert. Quintò, quoad inferos, quia non modo portæ inferi non præualent aduerſus ſacerdotem, attamen ſacerdos illas verbo aperit, & nemo claudit, Sextò quoad homines, quia Deus ſacerdotes ſuper cęteros homines Iure Diuino præfecit: & dignitas Sacerdotalis prior fuit, quàm Regalis, & in lege veteri Sacerdotes regebant populum, vt ſeruatum legimus à Moyſe, vſque ad Reges; & ex hoc habetur Pſal. 44 *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*. Sacerdotes item à Spiritu ſancto vocantur Dij, & filij excelſi: & Dij, de quibus ait Auguſtinus: *Vos dij eſtis, in quorum Synagoga Deus Deorum ſtare deſiderat*. Vos eſtis Vicarij Dei, quia vicem eius geritis: vos filij excelſi, quibus in poteſtate ligandi, & ſoluendi datur etiam poteſtas aperiendi Cœlum, & claudendi infernum. A Beato Petro vocamini: *Genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, &c.* & ipſe Deus, vt teſtatur Hierem. 1. *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & regna, vt euellas, ædifices, & plantes*. Super quibus verbis ait Hieronymus. *Elegi te, vt euellas iram meam, maculam peccati, & pœnam culpæ: ædifices corda hominum in Cœleſte ædificium: plantes virtutes, &c.* Dignitas ſacerdotis conſecrat Reges, at omnes Reges non poſſunt vnum conſtituere ſacerdotem. Sacerdos conditione eſt homo, dignitate tamen ſuper homines: nam eſt altior Regibus, eminentior Angelis, & creator ſui Creatoris. Cari præter cęteras creaturas ſunt Deo ſacerdotes, de illis enim teſtatur Chriſtus: *Qui vos odit, me odit, qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit*.

Igitur præſtantiſſimi Sacerdotes, ſi cœleſtes eſtis, ſi excelſi, præeminentes omnibus, nolite terrena ſapere, neque mundanis negotijs implicari; conuerſatio veſtra ſit in Cœlis: Cœleſtia meditemini: Cœleſtia facite, & docete, non ſitis amatores mundi, ne cum mundo damnemini. Nolite theſaurizare vobis theſauros deficientes in terra, neque iram in die iræ, & furoris; vulgaria ſunt hæc, vulgares homines delectent: Theſaurizate potiùs vobis theſauros perennes in Cœlo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; nolite eſſe imitatores puerorum Heli, fuſcinula tridenti, ex olla mundanarum diſtributionum carnes miniſtrantes; dicite potiùs cum Apoſtolo. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te*. Fungamini ſacerdotio cum Zacharia, portātes ſemper in capite veſtro nomen Dei Tetragrammaton: Prouidentes Domino in conſpectu veſtro ſemper. Non ſitis Præſulatus appetitores propter lucrum rerum temporalium, ſed potius ob prouentum animarum; nam vt ait Ambroſius; *Meliùs eſſet ligonibus, quam ſacerdotio captare ſtipendium*; Item de his ait Gregorius: *Si quis gradus, & beneficia Eccleſiaſtica acquirere ſtudet, vt inde habeat vitæ neceſſaria, hic peruerſo ordine vult cœleſtia mer-*

mercari, & melius eſſet ſibi mendicare, aut arare, vt inde viueret. & huiuſmodi homines in Eccleſia, vt ait Bernardus, *intrant vt vulpes, viuunt vt lupi, & moriuntur vt canes*; Paſcendæ ſunt à vobis oues, non vt tantummodo tendeantur, & mulgeantur: ſed vt ſummo Paſtori incolumes cuſtodiantur; cauete nè de vobis conqueratur Dominus, ſicut de paſtoribus Iuda per Ezechielem cap. 34. *Væ vobis paſtoribus, qui grege relicto vos ipſos tantum paſcebatis, lac comedebatis, & lanis operiebamini: Quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis; quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum non alligaſtis, quod abiectum non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia: & diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in deuorationem beſtiarum agri. Ideò ecce ego requiram gregem meum de manu veſtra, &c.* & quamuis operarij digni ſint aliqua mercede, etiam temporaria, & mundana, vt ſubſiſtere valeant, & ſubſtentari: Nam, vt ait Apoſtolus, ſeminantes ſpiritualia, decet etiam metere temporalia, & Boui trituranti os claudendum non eſt: Hoc tamen modeſtè procuretur, ſi vere miniſtri ſeminando laborent. Qui etenim in vinea Domini Sabaoth non laborant, ſed tota die ocioſi ſedent, nullam debent expectare mercedem. Caueantq; eſſe de illis, de quibus ita conqueritur Gregor. homil. 15. *Ecce totus mundus plenus eſt ſacerdotibus, ſed tamen in meſſe rarus reperitur operator; quia officium quidem ſacerdotale ſumimus, ſed officium ſacerdotis heu non adimplemus: fructus quidem ſanctæ matris eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, & tamen pro eadem eccleſia in prædicatione minime laboramus: Penſemus cuius damnationis ſit ſine labore percipere mercedem laboris. Vix pro culpa aperta quempiam reprehendimus, & quod eſt grauius, ſi perſona fuerit potens, eius peccata laudantur, nè illius gratia in corripiendo amittatur. Ideo conqueritur per Oſeam Dominus: ſacerdotes peccata populi mei comedent: tunc, inquam, comedent, ſi conniuentes non corripiant, & in ſe ipſos peccatorum pœnas pertrahunt; vel ideò, quia ex oblationibus fidelium, quas illi pro peccatis obtulerunt, viuunt; nec tamen pro illorum peccatis orant, nec peccatores arguunt. Illa pro ſtipendio ſumuntur, quæ ad expiationem peccatorum largita ſunt; nec pro peccatis orationis, vel prædicationis ſtudio inſudatur*. De huiuſmodi quoque negligentibus, ait Bernard. *In labore hominum non ſunt, & ideo cum hominibus non flagellabuntur, ſed cum Dæmonibus torquebuntur*. In labore hominum non ſunt vani, & otioſi ſacerdotes, & ideò non flagellabuntur flagellis paternis cum hominibus, ſed ſempiternis cruciatibus torquebuntur cum Dæmonibus.

Attendite ergo veſtro gregi ſuper quo à Spiritu ſancto poſiti eſtis cuſtodes, & directores; ne per veſtram ſocordiam aliquid detrimenti patiatur. Penſate quomodo talibus minitetur Dominus per Ezech. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael ſi verò non annunciaueris ei, vt impius auertatur à via ſua mala, & in ſua impietate moriatur, animam ſuam requiram de manu tua: ſi autem annunciaueris impio, & ille non fuerit conuerſus, ipſe quidam in impietate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti*.

Se-

Sequeſtrati itaq; à curis ſecularibus, inſtantia veſtra quotidiana, vt monet Apoſtolus ſit ſolicitudo veſtrarum Eccleſiarum, illas prudenter adminiſtrando. Bona earum, vt boni diſpenſatores procurando: non in vanos, & ſuperfluos ſúptus dilapidando: non in proprios, & prophanos vſus conuertendo: ſarctas tectas illas conſeruando; apud eaſdem iugiter reſidendo; ſacrificijs, & orationibus inſiſtendo: Sacramenta per voſmet dignis fidelibus miniſtrando: Verbi Dei prædicatione populos paſcendo: peccatores corripiendo: & pertinaces denunciando: demùm facite vos omnia omnibus, vt omnes Chriſto lucrifaciatis. Eſtis quidem vos capita gentium; cœcorum duces, claudorum baculi: terrarum Principes: Regum præcurſores: Angelis ſuperiores: Attamen eritis Dœmonibus peiores, ſi iſta negligenter prætiteritis. Diſcite benè facere, & oues paſcere verbo, & exemplo: Nolite eis Cœlum claudere non corripiendo; Clauditis item malè viuendo. Tunc verè eritis oculus cæco, & pes claudo, quando ignorantiæ tenebras diſſoluatis, & viam veritatis oſtendatis. Magnos à vobis in his exequendis labores exantlari non inficiar: Attamen pro temporarijs exantlatis laboribus, æterna vobis manere præmia affirmo: Chriſtus ipſe, qui eſt ſumma veritas pollicetur. *Merces veſtra copioſa eſt in Cœlo, & mercedem laboris ego reddam vobis*, qualiſq; & quanta ſit iſta merces, ipſe declarat: *ego ero merces tua magna nimis.*

Præclarum in his omnibus adimplendis exemplar imitandum vobis propono, optimum quippè Antiſtitem noſtrum, in quo veluti in compendio recenſitæ omnium virtutum ſpecies; & ſolicitudinis, prouidentiæ, & vigilantiæ opera collucent; quemq; omnes ſuſpicere debemus, doctrina eruditiſſimum; vſu periſſimum; ingenio perſpicaciſſimum: pietate religioſiſſimum: vita innocentiſſimum: vt meritò Præſulum norma: Antiſtitum Dynaſtes: Epiſcoporum Archetypus; & Prælatorum Anteſignanus, appellari poſſit. Ipſe enim totius Diœceſis neceſſitates in viſcera portans; cùm plurimum de communi ſalute cogitaret, de proprijs commodis multa ſubtrahens, & in publicam vtilitatem conuertens: Synodalia iſta florentiſſima comitia indixit; in quibus ſancitas à ſe conſtitutiones pro veſtro bono regimine, & iam in pluribus Seſſionibus perlectas expendit; eaſq; ad vos, venerandi Sacerdotes dirigit exequendas: fruſtra enim ſummo labore, & acri ingenio conditæ forent: niſi per veſtram ſolertiam, & vigilantiam exequutioni demandarentur, & in optimam praxim adducerentur. Quid enim Hebræo populo Deiipſius ore latæ leges profuerunt? Quid item Lycurgi Lacedemonijs, Solonis Athenienſibus ad libertatem retinendam, cuius cauſa conſcripta erant, Iura vtilitatis attulere, ſi neglectæ fuerunt? Synodales iſtæ conſtitutiones leges mutæ ſunt, manus non habent, neque pedes, veſtro igitur ore promulgandæ, & opere exequendæ erunt. Regredientes ergo ad propria, quiſque veſtrum, ceu alter Moyſes, acceptas harum diuinarum legum tabulas, populis quiſq; veſtris inſinuate, & poſt quam promulgatæ fuerint, obſeruationi illarum inuigilate; etenim ſic agendo, voſmet ipſos, & oues vobis creditas ad æterna virentia Paradiſi paſcua dirigetis. Atque vt meæ orationis

perio-

periodus cum exordio conueniat; in hac tam celebri ſolemnitate, & Synodali conuentu, memet ad ſanctam noſtram Caputaquen. Eccleſiam, ceu myſticam Ieruſalem vertendo; ipſam prophetico inuitamento compellabo: *Lætare Ieruſalem, & conuentum facite, qui diligitis eam; Gaudete cum lætitia, qui in triſtitia fuiſtis, vt ſatiemini ab vberibus conſolationis veſtræ*, quia paſtor noſter cũctis deſideratus aduenit. Et proinde hac die, quam fecit Dominus, exultemus, & lętemur, cantantes mecum alleluia, alleluia, alleluia.

FINIS.

INDEX

Titulorum huius Synodi.

Edictum indictionis Synodi. pag. 3
De Fide Catholica profitenda. Tit I. 6
De Hæreticis profligandis Tit. II. 7
De Librorum prohibitorum vſu, & lectione. Tit. III. 9
De maleficijs, & ſuperſtitionibus. Tit. IV. 10
De Blaſphemis, & maledicis. Tit. V. 13
De Cultu, & obſeruatione Feſtorum. Tit. VI. 15
De Doctrina Chriſtiana. Tit. VII. 19
De Concionatoribus. Tit. VIII. 20
De Sacramentis in genere. Tit. IX. 24
De Sacramento Baptiſmi. Tit. X. 27
De Sacramento Confirmationis. Tit. XI. 31
De Sacramento pœnitentiæ. Tit. XII. 33
De Sacramento Euchariſtiæ. Tit. XIII. 42
De Celebratione Miſſarum. Tit. XIV. 47
De Sacramento Extremæ Vnctionis. Tit. XV. 57
De Sacramento Ordinis. Tit. XVI. 59
De Sacramento Matrimonij. Tit. XVII. 71
De Parocho, & eius Officio. Tit. XVIII. 78
De vita, & honeſtate Clericorum. Tit. XIX. 84
De Beneficijs Eccleſiaſticis. Tit. XX. 101
De Officio Diuino, & horis Canonicis. Tit. XXI. 112
De Sententia Excommunicationis. Tit. XXII. 117
De Sepulturis, & Funeribus. Tit. XXIII. 121
De Eccleſiarum ſtructura, ornatu, & ſuppellectili neceſſaria. Tit. XXIV. 127
De adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum. Tit. XXV. 147
De alienatione rerum Eccleſiſticarum. Tit. XXVI. 157
De Immunitate Eccleſiaſtica. Tit. XXVII. 161
De Monialibus. Tit. XXVIII. 165
De Poteſtate Epiſcopi in Regulares exemptos. Tit. XXIX. 183
De Seminario puerorum Diœceſano. Tit. XXX. 208
De Iudicijs, Miniſtris, & Ritibus Curiæ Epiſcopalis. Tit XXXI. 217

De

De Vicarijs Foraneis. Tit. XXXII. 233
De Reſidentia. Tit. XXXIII. 236
De Archiuio. Tit. XXXIV. 245
De Spolijs Clericorum. Tit. XXXV. 247
De Tertiarijs, & Bizocharis. Tit. XXXVI. 249
De Clericis coniugatis, & Diaconis ſyluaticis. Tit. XXXVII. 250
De Concubinarijs. Tit. XXXVIII. 253
De ludimagiſtris. Tit. XXXIX. 255
De Exorciſmis ſuper obſeſſos. Tit. XL. 256
De Collatione caſuum. Tit. XLI. 258
De Sanctis eligendis in Patronos. Tit. XLII. 261
De Electione Iudicum, & Miniſtrorum. Tit. XLIII. 263
De Actionibus Synodalibus. Tit. XLIV. 265
Decretum confirmationis Synodorum præteritarum. 268
Decreta Generalia. 270

VA I 1528335

Digitized by Google

Digitized by Google